Analecta bollandiana

Bollandists

ANALECTA

BOLLANDIANA

ANALECTA

BOLLANDIANA

TOMUS III

EDIDERUNT

CAROLUS DE SMEDT, GULIELMUS VAN HOOFF

ET

JOSEPHUS DE BACKER

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU

SOCIÉTÉ GÉNÉRALE DE LIBRAIRIE CATHOLIQUE

PARIS
VICTOR PALMÉ, Directeur général
76, rue des Saints-Pères, 76

BRUXELLES
J. ALBANEL, Dr de la succursale
12, rue des Paroissiens, 12

GENÈVE, H. TREMBLEY, rue Corraterie, 4

1884

HISTORIA SS. URSULÆ

ET SOCIARUM EJUS

HACTENUS EDITIS ANTIQUIOR

EX CODICE BRUXELLENSI 831-34

COLLATO CUM COD. BRUX. 8917.

Passio sanctæ Ursulæ cum sociis, quam hic in lucem damus, obvia fuit (1) P. Victori De Buck tunc Ursulana gesta tractanti, in codice S. Viti, sed absque Prologo quem in nostro codice præfixum habet. Quem Prologum si vir doctissimus inspicere potuisset, a præpropero sibi judicio temperasset quo affirmat (2) hanc Passionem recentiorem esse illa quæ incipit *Regnante Domino*, quam omnium asserit esse antiquissimam (3). Utramque Passionem, hanc nostram videlicet et illam quæ incipit *Regnante Domino*, si quis vel leviter percurrere oculis atque obiter comparare secum voluerit, is maxime alienus erit a judicio doctissimi viri, statuentis (4) hanc nostram videri scholasticam exercitationem fuisse in alteram illam.

In Prologo docemur hanc Passionem scribi tempore Geronis archiepiscopi, qui Coloniensem Ecclesiam rexit ab anno 969 usque ad annum 976 (5). Episcopo huic suam lucubrationem auctor dedicavit. Est ergo fetus seculi X ad finem vergentis (6).

Ex eodem Passionis nostræ prologo discimus Coloniæ exaratam fuisse hanc Sanctarum Virginum historiam ex relatione quam " Hoolfus comes " ex Anglia detulerat ad virgines Colonienses prope ecclesiam sanctæ Ursulæ degentes. A quibus virginibus exoratus auctor, quæ Hoolfus " modernis " ait " temporibus " apud Dunstanum, archiepiscopum Cantuariensem, in Anglia audiverat et Coloniam redux narraverat, scripto mandavit. Fatetur auctor antequam a virginibus Colo-

(1) *Act. SS.*, t. IX Oct., ad diem 21, Comm. prævio, § VIII, n. 78 (pag. 93). — (2) Ibid. — (3) Ibid., § IV, n. 20 (pag. 79). — (4) Ibid., n. 78 (pag. 93). — (5) Cfr. Ennen, *Geschichte der Stadt Köln*, t. I, p. 255-257. — (6) Quod et confirmatur ex mentione Dunstani, archiepiscopi Cantuariensis, adhuc viventis (cfr. Prologum, infra).

niensibus relata cognovisset, dubium se hæsisse circa historiam SS. virginum ac martyrum. Quare credi vix potest aliam tunc Coloniæ sanctarum harum Passionem repertam fuisse. Certe si Passio quæ incipit *Regnante Domino* tunc nota fuisset, non videtur archiepiscopum potuisse latere, nec fortasse virum istarum rerum curiosum, qualem se auctor esse monstrat. Multo minus, extante alia Passione a nova sua lucubratione rebus nihil ferme diversa, episcopo suo hanc suam offerre, ut felicem dubii solutionem, ausus fuisset.

Quare concludimus hanc nostram quam edimus Passionem reliquis esse priorem, et illam cujus initium est *Regnante Domino* pendere ab hac, non hanc pendere ab illa.

Ex eadem hac nostra Passione discimus ætatem sanctæ Helintrudis, cui se beata Cordula videndam præbuit. Asserit enim auctor scribente se mortuam quidem esse Helintrudem ejusque sacrum tumulum jam coruscare miraculis, at simul affirmat esse inter coævos qui Helintrudem adhuc in corpore degentem viderint. Scripsit autem, ut supra diximus, inter annos 969 et 976.

Verum igitur manet, quod censuit P. Victor De Buck (1), Passionem *Regnante Domino* inter annum 900 et 1100 compositam fuisse, quum in ea sanctæ Helintrudis ipsique factæ revelationis mentio fiat, sed inde nullo modo sequitur illam Passionem omnium esse antiquissimam; immo jure contendere nobis videmur eam ortam esse ex scripto paulo post medium seculum X exarato, quod nunc tandem tenemus.

Numeros assignatos in *Act. SS.* Passioni *Regnante Domine* servavimus, quo facilius comparari inter se ambo textus possint.

Collationem instituimus etiam textus nostri cum apographo ms. S. Viti Gladbacensis asservato in cod. 8917 bibl. reg. Brux., quod P. Victor De Buck ob causam quam diximus neglexerat, quodque eamdem historiam refert, sed sine Prologo.

Passioni huic subjungimus relationem de translatione corporis sanctæ Odiliæ Huum in Belgio, ex codice Academiæ Leodiensis 135, seculi XV (2). Hæc relatio pertinet ad illa quæ de virginum MM. translationibus leguntur in Gloria posthuma SS. Ursulæ et sociarum ejus (3). Documentum hoc vel aliud ex eo derivatum novisse videtur J. Banelt, quum scripsit opusculum cui titulus : *Petit discours de la translation du corps de Madame S. Odile ... patronesse des Croisiers* (Leodii, typis Ouwerx 1616, 1664).

(1) Comm. prævio, n. 24 (tom. cit., pag. 81). — (2) Cfr. Grandjean, *Bibliothèque de l'Univ. de Liège. Catal. des ms.* (Leodii 1875), p. 176, n. 236. — (3) Tom. cit., pag. 210 sqq.

Incipit prologus de historiis sanctarum virginum Agrippinensium.

Summæ divinitatis theoremate cœlitus prædito, virtutum gradibus satis prænuntio, et per omnia summi apostolatus gloria merito præpollenti, domno [1] archipræsuli Geroni, suæ pastoralitatis proprio exigente peccato abjectissima ovis H., optatæ prosperitatis tempora prolixa, et post vitæ hujus volubilem cursum, immarcessibilem indefectivi bravii coronam.

Prius dulcedini vestræ, antistitum decus et gemma sacerdotum clarissima, fert animus, quamquam impolito sermone, hujus rei negotium quod inter manus versatur, scilicet de exornanda sanctarum Agrippinensium virginum historia, patefacere, utpote cujus honori hanc libuit dedicari, quam forsan pro noxa tantæ præsumptionis auctoritas vestri pergat me censere districtius. Deinde ratum duxi, si quid inde contrahere videar, me [2] in causa ignorantiæ id ultro prodere, quo liberæ confessionis non modo veniam, verum piæ devotionis, cujus gratia incepi, a vobis dotem recipiam.

Quadam namque dierum more oratum ecclesiam in qua virginum tumulata sunt pignora, ingrediens, pro criminum mole præsidia earum, ut peropus habui, quæsiturus, talis incidit menti cogitatus, videlicet quid fieret ut tam prolixus eo loci conflueret martyrum in Deo numerus conspiratus. Præcipue igitur in hoc mens dubia hærebat, quia nulla veterum pagina in hoc mundi climate, nec moderni temporis series hactenus id elucubraverat. Sed nimirum, uti luce clarius arduæ vestri patet honorificentiæ, qui undenis millibus virginum decus pariter et votum servandi pudoris per sanctum immisit Spiritum, si quid ei difficultatis re in aliqua occurreret, quod vel dici nefas judicabitur, facilius id moliri potuit, ut tantus grex martyrum, pro sui nominis confessione promptus generosa morte oppetere, quo [3] pari voto, uti suum decuit gradum, huc perniciter in momento conflueret, quam

[1] *cod.* domni. — [2] *cod.* ne. — [3] *intellige* aliquo ?

cum dispersus esset in patria unius animi in sancta religione fecit possessorem. Ipse enim per spatiosam viam huc perduxit fluxuosus [1] aquarum decursus, qui per Abacuc prophetam de Judæa prandium Danieli attulit in Babyloniam.

Cum vero limen, pedem inde referens, supramemoratæ excederem basilicæ, ante fores perdius pernoxque puellarum in famulatio Dei clarus conventus (1) quasi in eo responsurus cogitavi [2], qui totum in quo titubaveram, secundum exemplaria Anglorum, inde enim nobilissimam carnis ducebant virgines de quibus agitur genealogiam, uti ipse doctus erat relatu cujusdam idoneæ personæ, liquido resonabat.

Est in Britannia [3] locus sanctorum patrociniis et religione divina, nec ne etiam rerum omnium exuberantia famosissimus, vocabulo Dorvernis (2), ubi primus Anglorum archiepiscopus missus a beato Gregorio in opus evangelii requiescit Augustinus. Quo cum modernis temporibus, missu magni Ottonis imperatoris, quidam comes nostras perveniret Hoolfus, ut eidem augusto de nobilissima illius stirpe gentis natam regis sponsam conciliaret, nomine Edidam, quod et fecit (rem loquor pene omnibus notam), contigit eum mellito ejus loci archiepiscopo, nomine Dunstant, qui ad hæc nostra [4] vitæ merito et omni morum elegantia delatus tempora multisque vivit ad perpetuam salutem, potiri colloquio (3). Cumque inter dulciflua perennis vitæ colloquia, sicut est moris omnibus pene episcopis, ut supervenientes cœlestis verbi dape

[1] fluxuosi ? — [2] *hic locus ita forsan intelligi potest :* conventus, quasi respousurus meo cogitatui, liquido resonabat (in canendo Officio) totum id in quo titubaveram. *Vel ita:* Quasi in eo responsum habiturus, cogitavi de adeundo sacro conventu : qui totum ... liquido resolvebat. — [3] *cod.* Brintannia. — [4] *cod.* nostre.

(1) Parthenon S. Ursulæ quando primum conditum fuerit, non satis liquet. In documentis historicis primum memoratur anno 922. Permansit autem usque ad annum 1798 (O. Grote, *Lexicon Deutscher Stifter, Klöster und Ordenshäuser*, pag. 88). — (2) *Dorovernum*, ut notum est, antiquum vocabulum est civitatis Cantuariensis. — (3) Dunstanus sedem Cantuariensem tenuit ab anno 959 ad annum 988 (Le Neve et Duffus Hardy, *Fasti Ecclesiæ Anglicanæ*, tom. I, p. 6). Edgitha autem nupta est Ottoni I imperatori anno 929 (Kœpke, *Kaiser Otto der Grosse*, p. 10). Non potuit itaque qui legatus fuit ad poscendam Edgitham uxorem Ottoni, legationis suæ tempore colloqui cum Dunstano *archiepiscopo,* ac proinde memoria hic lapsus est scriptor noster.

reficiant, plurima vir venerabilis narraret sanctorum ejus partis miracula, ventum est, divina id disponente gratia, ad historiam sanctarum Coloniensium virginum. Quam cum supra nominatus comes Hoolfus sitibundo pectore quasi poculum immortalitatis hauriret, sæpius eadem lectorem interpretari ardentissimis præmonuit precatibus. Quod benigniter agere idem recitator, quia sibi profuturum credidit, ilicet studuit.

Proinde cum Deo devotæ et in sancta meditatione ferventissimo desudantes studio puellæ talia relatu sæpedicti percepissent comitis, me exiguum humillimo adorsæ precatu, modis omnibus uti quomodolibet possem stili officio commendare persuaserunt, onus scilicet grave et ferme inportabile nimium inbecilli meo imponentes humero. Sed [1] quis sum ego, vilis homuncio, qui vestris, o sanctissimæ Dei puellæ, audeam [2] lucidissimis repugnare præceptis? Tandem infirmitatis oblitus, pro parvitatis [3] meæ captu, nullo temerario commotus ausu, quoquomodo [4] id aggredi conabor, fisus de ejus largifluo munere qui ex ore infantium sibi perfecit laudem et linguas mutorum fecit disertas, quia quidquid imperitia denegat, caritas ministrat, et si quid imbecillitas virium subtrahit, vota supplebunt. Vale, domine, pontificum dignissime, et secundis successibus ad vota sublimiter polle.

Explicit prologus.

Incipit relatio de historia sanctarum Agrippinensium [5].

1. Fuit tempore pervetusto in partibus Brittanniæ, quam modo gens Deo incolit præelecta, rex quidam cujus nominis notam mundana occuluit antiquitas, divinis mancipatus legibus et catholicæ fidei regulis apprime instructus. Qui Deum igitur in quem speravit et credidit, totius animi viribus colere studuit, et crebra precum intentione pro vitæ

[1] *cod.* Si. — [2] *cod.* videam. — [3] *cod.* pravitatis. — [4] *cod.* quomodo. — [5] *In apogr. codicis Gladbacensis, quod notamus signo 2 (dum codicem qui habet Prologum notamus signo 1) hic est titulus:* Relatio de historia sanctarum Agrippinensium virginum.

æternæ percipiendo præmio jugiter exoravit. Interea legitimo dans operam connubio, sibi competentem, super senatus proprii consultu, æque ut ipse erat nobilissimam, christianis ritibus perdoctam ducens uxorem, propellere cælibatum ecclesiastico more instituit.

2. De qua, felici temporum successu, cum Dominus famulitium [1]ejus sublevare disponeret, virilis indolis prolem, licet femineo sexu dicatam, concessit. Cui, quia immanis ursi rabiem, videlicet diaboli, erat debellatura, præsago spiritu Ursula uterque parentum conveniens nomen aptarat. Quam in processu ætatis, uti regum decuit natam [2], divinis cultibus, præter baptismatis normam quam se in sacro promisit servaturam lavacro, modis adornabant multis. Virgo vero Deo dignissima, velut terra æstivalibus [3] perusta fervoribus effusum ebibens imbrem, ita evangelicæ sitienter hauriens fluenta doctrinæ, sponso cœlesti virginitatis decorem dicare omni mentis industria studuit, juxta illud propheticum: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, quia concupivit rex speciem tuam.*

3. Interea igitur dum [4] virtutum gradibus et virginitatis serio splendore ad alta cœlorum, mentis puritate pollens, se sustolleret, fama volante, ad gentium barbararum remotas partes probitatis ejus pariter et formæ indicibilis generositas, qua speciali præcluis [5] virgo dignitate perplurimas antecedebat, non regis sed potius gentilis cujusdam tyranni in notitia perlata est. Erat denique eidem tyranno primævæ ætatis flore filius congaudens. Cui quia fasces imperii in futuro affectabat, maxime quia, ut sibi videre videbatur, in eo avitæ speciem duxit industriæ, si tali [6] censenda est qua unice usi sunt in suo errore vocabulo, beatam in connubium corrogari Ursulam impatienti flagrabat conatu. Cumque mens illius, dico, anxia trepidatione æstuaret, qualiter propriis satisfaceret votis, tandem effero insedit animo hujusmodi cogitatio [7]: *Si haud aliter potero, linea rerum ultima,*

[1] *ita* 2; *prius etiam* 1, *sed erasis litteris nunc legitur* famulum. — [2] gnatam 2. — [3] *ita* 2; est valibus 1. — [4] cum 2. — [5] *ita* 2; prædivis 1. — [6] *codd.* talis. — [7] *add.* 2: Prius igitur quasi sibi loquens conquisitis idcirco peragi xeniis tum mecum

morte videlicet, quia id obstinatæ sui inflexit pertinacia mentis, parentem perterrere faciam virginis.

4. Hæc talia, ut paucis dicam, cum [1] nequidquam [2] paternos diverberarent auditus [3], utpote quia vir illustris et per omnia catholicus incongruum æstimavit ut daret universalis ecclesiæ castissimam filiam polluendam gentilibus, tamen mortis interminatione, ut homo, quia illi concertare se non posse credebat, et quia per omnia severus et crudelis sua detestanda barbarie longe lateque perplurimas mundi devastando partes perplexæ multitudinis legiones ad sui [4] innatam [5] auxit vesaniam, paululum hærebat stupidus. Hac de re, rex pius et divinæ religionis comitate [6] plurimos excellens, ne christianæ plebis innoxius cruor a gentili funderetur mucrone, et ne loca sanctorum redigerentur in stabula pecudum et lustra ferarum, præcipue quia humana sibi non sufficere putabat, salubri usus cogitatu, ad divini præsidii confugiebat invictissima arma, videlicet ad solita precum negotia.

5. Et quia parum tristior ipsa virgo genitoris vultum tristem novit, in eodem [7] instanter desudavit, divinum implorando utrisque remedium. Quadam vero nocte [8], cum Deo devota plus solito mœrore [9] confecta puella totam pene noctem more nictantis antistitis in oratione sueta celebrans pervigilia, parum connivens [10] naturæ cederet, divina relatione refocillata, totius vitæ suæ aliarumque plurimarum seriem cœlesti affatu perdoceri meruit.

6. Igitur, cum phœbeæ lampadis ortu minores pallescerent ignes, et cum rosea aurora, croceum linquens cubile, igneo solis curru reducta, ægris mortalibus almum reseraret diem, erat pater mœstissimus, haud injuria, quia invisi tyranni legatis absque dubio super nuptiis filiæ responsurus erat. Ad quem serena fronte, videlicet omni nebula prioris turbinis [11] fugata, hilari voce filia accedens, taliter infit: *Noli,*

paululum mitior hortatibus placidis tum solerti quiri usus mollior consilio. — [1] *ita* 2; cur 1. — [2] nequiquam 1. — [3] *ita* 2; auctus 1. — [4] suum 2. — [5] natam 2. — [6] comitatu 2. — [7] *add.* otio 2; *lacuna in* 1, *nam vox abrasa: forsan* negotio. — [8] noctium 2. — [9] *codd.* more. — [10] *ita* 2; conjiciens 1. — [11] turboris 2.

pater, inquit, *super hoc negotio, quod te angit, in præsenti vel ad momentum quidem moveri; quia nil sinistri apportat: quod lætus in Domino quandoque docebit eventus. Præterita itaque nocte divinæ sublevationis vox ad me, licet indignam, facta, ut* [1] *amorem juvenis qui meis amplexibus cupit perfrui non negarem, ad innubas me tamen transituram certificans, blandissimis exhortationibus persuasit, eo rationis tenore quo tu, secundum carnis putredinem meus genitor, tua ex parte pariter et ejus qui me in suum allicit matrimonium, denas spectatissimæ stirpis, ut ego sim undecima* [2]*, virgines, æquævas videlicet meas, et unicuique nostrum una nobiscum millenarium prospicias ex integro numerum. Quo facto, eumdem, videlicet undenum, totidem trieribus coæquans numerum, trium spatia annorum virginitatem nostram dedicare concedas, et postea quod futurum est præscius rerum Dominus providebit.*

7. Quæ sententia cum parentis mulceret aures, sobrio vultus decore se facturum quod rogabatur, tantum ut juvenis christianis legibus vellet indusiari et vota complere virginis, respondit. Denique hoc accepto exteræ nationis legati optato responso, viam alacri vultu qua venerant repedantes, secundis successibus quæque sibi commissa votis concordare tyranni reportantes, coram intromissi sunt locuturi. Proinde [3] immissi gaudii attactus rumore, quia perdidicit tam decoræ puellæ gratiosissima liberum suum potiturum luculentia, acciri eumdem propere jussit. Erat enim de qua loquimnr virgo stupendæ venustatis decentia [4] oppido clara, et ultra quod mirari satis nequit; de morum vero elegantia et virtutum præcluentia [5] et fidei donorum exuberantia ejus loqui, peritissimi rhetoris [6], nedum nostræ ariditatis excedit facundiam. Hæc vero rerum novitas dum impatientis in amore virginis percuteret aures adolescentis, cœpit pervigili desiderio anhelus genitori insistere quo christianæ fidei regulis obsecundans puellæ satisfaceret votis, coætaneas et primæ ut rogaverat, et æquæ et per omnia destinando [7] virgines

[1] ait 2. — [2] undecim 2. — [3] *ita* 2; perinde 1. — [4] decens 2. — [5] ornamento 2. — [6] *cod.* rethoris. — [7] *add. signum librarius cod. 1, indicans nihil deesse, licet supplendum sit* nobilitatis *post* primæ *vel post* æquæ.

castissimas pariter cum trieribus et navali instrumento, et insuper sua ex parte, juvenis dico, rari et exquisiti munera thesauri. Quod totum impletum est.

8. Interim pater Deo dilectæ Ursulæ, nihilominus parens ejus precibus, cujusdam ducis natam, nomine Pinnosam, cum aliquantis præclari generis virginum turmis sibi in amicitiæ veræ sociavit gratiam. Tandem, ut succincte perstringam, undenæ virgines, pariter cum Ursula et quam modo supra memoravimus [1] Pinnosa, cum totidem millibus et æquo navium numero ex utraque parte congregabantur. Beata etenim Ursula, lacteoli cœtus candida antistes, in divinæ operæ laudibus conspirantum [2] sui voti conscium illico reddidit virgineum lege debita chorum. Cujus [3] rei ardua dignitas cum puellares mulceret purgatissimas aures, inexplebili percelluntur gaudio, id pari consilio animis intromittentes ad omnia divinæ religionis [4] culmina [5] alacres, quo neutique [6] vel ad punctum quidem sapientissimæ virginis Deique agonothetæ [7] refragarentur nisibus.

9. Proinde [8] paratis navibus cum armorum supplemento, altum petierat, erat igitur mare contiguum, venerabilis [9] Christi athletarum cuneus [10], et ut animo libuit lusum diebus singulis exercebat [11]. Aliquando vero ad meridiem usque, cum in centro sol [12] positus majores lineas ascenderet aeris [13], interdum ad nonam vel vesperum sæpe etiam totum solem ludo [14] consummantes suis satisfecerant votis. Cumque rex piissimus et divina Spiritus alimmate perunctus aliique venerabilium personarum totius boni quamplures cupidi ad hoc missi spectaculum, qualiter Deo devotæ puellæ virginitatis cingulum præoptatis lusibus consecrarent, crebro intuerentur [15], favoribus quibus poterant virginali applaudebant amori [16]. Sed, quia pennata ventorum rapiditas earum scaphas sæpius ad remotas ignotarum partium dispulerat oras, paululum repigratæ disposita die non redi-

[1] nominavimus 2. — [2] conspiratium 2. — [3] *ita* 2; cui 1. — [4] legis 2. — [5] munia 2. — [6] *sic videtur legendum pro* neuti quo 1; ne uti quo 2. — [7] *ita* 2; agonithetæ 2. — [8] provide 2. — [9] venerabilibus 2. — [10] cuneis. — [11] *om.* 2. — [12] *om.* 2. — [13] *cod.* aris. — [14] *ita* 2; lusum 1. — [15] *ita* 2; mererentur 1. — [16] rap. vent. 2.

bant, et [1] opperiens plebis concursus earum reditum, tædio victus, consueto otio desideratas relaxabat habenas.

10. His ita gestis, cum volubilis orbita Apollineæ [2] facis tertii [3] metam clauderet anni, appropinquabat decretus a parentibus utrorumque, juvenis scilicet et puellæ, dies, quo sponsalia nupturis [4] ocius erant maturanda [5].

11. Sed Dominus, a quo nihil oblivioni traditur, memor fidelium votorum, sciens mentes virginum immodico angore torqueri, inter diei unius pariter et noctis spatium rapidissima secundi flatus aura naves cum integro sancti cœtus numero ad placidum Thiele [6] appulit littus. Sic enim ad quem venerant in hoc mundi climate vocitatur locus. Instanti vero proximæ lucis matutino crepusculo, cum victus alimoniam, quia inibi forum erat publici conventus, providissent, levantes saburram, felici remigio, ubi modo prædestinante [7] gratia harum pignora pausant, auream applicaverunt [8] Coloniam.

12. Ibi egressæ, quia ulterius ire non poterant, omni quiete potiuntur optata tellure. Adveniente itaque superventuræ noctis placida tranquillitate, cum sopor in terris omne genus irrigaret animantium et beatæ virginum catervæ fragiles somno recrearent artus, uti moris est ægris mortalibus, transactis pene excubiis [9], vidit amabilis Dei tiruncula quoddam in somnis mysterium, præsagum scilicet futurorum. Divinæ namque pietatis revelante gratia, videre sibi videbatur qualiter vir angelicæ venustatis splendore decentissime illustratus advenisset, qui mellifluo an excubaret perquirit affatu. Quæ sic professa [10] quis tam stupendæ auctoritatis heros ille foret qui virginem inquietaret tamque imperiose de corporeæ lassitudinis pervigilio percunctaretur, revibratu serenissimo mirabatur obtutus. E contra vir floridus et per omnia angelicus, miti responso ingressus : *Noveris*, inquit, *te, filia et Israeliticæ stirpis speciosissima summi regis sponsa, ubivis superna* [11] *locorum comitante gratia, cum amantissimo*

[1] *add. ex* 2 ; *deest in* 1. — [2] *codd.* Apolloniæ. — [3] tractu pene 2. — [4] nupturæ 2. — [5] maturandæ 2. — [6] Thielæ 2. — [7] *add.* Dei 2. — [8] *ita* 2 ; applicabant 1. — [9] connubiis 2, *sed in marg. :* an concubia nocte. — [10] *ita* 2 ; fessa 1. — [11] sup. ubiv. 2.

sororum tuarum collegio Romam visuram, ut mentis sinceritate præoptare te sæpius memineris, et tamen hic Coloniæ pro Christi nominis gloriosa confessione proprii cruoris unda dedicare martyria. Quod postea certus rerum probavit eventus.

13. Fugata igitur noctis caligine, cum radii solis perlustrarent ardua Olympiaci cacumina montis, dux virgineæ concionis, prudens Ursula, alacri vultu retulit sororibus quid [1] corpore in somnis laxato vigil suus hauriret mystici [2] spiritus. Quod cum intenta mentis acie virginum perciperent aures, extimplo festivo gaudio hymnum Deo, ut par erat, jubilabant. Hac de re in medium consulentes quid essent super hoc negotio facturæ, nimium cupidæ maturius revelata perficere, de martyrii palma nihil hæsitantes, precum victimis Deo mactatis, omnes se altrinsecus scuto cœlestis fidei et galea salutis fortiter contra inimicæ jaculationis tela pugnaturæ virili more armaverunt. Sed interim cum in hoc studio desudarent, Dei præordinante res earum clementia [3], vis ventorum desideratas precum instantia expandens alas perpeti navigio [4] Basalam usque omni prosperitate simul cum eis virginum afflaverat naves. Ibi egredientes, in tuta portus statione religatis trieribus, propere pedestris phalanx Romam petiit. Cumque ibi per dies aliquot sanctorum liminibus apostolorum dulcia figerent oscula et votis propriis cum humilitatis thure et orationis thymiamate sanctorum loca circumeundo, sicut illic cernere est, per plura obsequerentur, iter quod aggrediebantur ovantes repedarunt. Postea vero ad alia tendentes, servatis rebus et invento omni navium numero, cum integro armorum remigio alveum Rheni prono defluentes amni, divinum celeuma canentes, lætæ videlicet quod prospere sibi cuncta ad nutum cederent, præclaram qua venerant denuo inviserunt [5] Coloniam.

14. Cumque classis earum, secundis cedentibus undis, optatos portus plenis peteret velis, aderat gens barbara Hunorum, quæ loca pene hujus partis omnia dira crudeli-

[1] *add.* mystici 2. — [2] *om.* 2. — [3] clementia res earum. — [4] navigatione. — [5] *ita* 2; inviserant 1.

tate longe lateque depopulans, Christicolas universalis fidei armis præmunitos et quibus succurrit pulchrius pro Domino mori quam insani capitis vertigine idolis inclinari, sanguinis effusione perenniter victuros summo tradiderunt Domino. Quæ miseria cum necdum volantis famæ remigio ad virginales volasset auditus, utpote quia per [1] plures dies fluidum innabant marmor, insueto harum colloquio gentium, quasi pacata forent omnia, citra prædictæ metropolis loca egredi non pavebant. Primo unius navis sinus in se receptas cum ripæ funderent virgines sacras, videlicet [2] victus necessaria provisuras, duræ mortis inclementia sine interstitio rapuerat cunctas. Dein omnibus sicca petentibus, invisa pravorum legio obvia letum in manibus gestans, ut mortis filia, de suæ amaritudinis bile virgines sacras bibere bicipite compulit mucrone.

15. Ut autem strictim cuncta [3] complectar, omnibus generosæ necis somno sopitis, tandem beata Ursula quæ ceteras ad convivium æterni Dei epulaturas præmiserat, horum tamen quæ circa eas gerebantur ignara, secura prosequitur. Quam cum tyrannus pagani exercitus omni venustate vernantem prospiceret, nimia detestandæ libidinis incensus coquebatur flamma, videlicet cupiens, quod Deus providit, ejus amplexibus polluto satisfacere amori. Dehinc talibus virginem aggreditur : *Si tu, virgo perpulchra, prius ascenderes, non tibi modo* [4]*, sed etiam contubernalibus succurreres, cum sim* [5] *facilis precatibus annuere sanis. Unde, ut mecum totius fruaris abundantia boni, ne, quæso, mi dilecta, tantum desipias a sanæ mentis liquore quo meo in hoc refrageris voto, ut cupito tui non potiar amplexu; sed potius fronte serena, mente promptissima, petitioni pareas meæ.* Quid plura? Cum neutiquam ad id mentem induceret, quo minus decenti factis vellet respondere precatui, tandem generosæ necis, sagitta mulctata perniciter jussa mori, decurrentis sanguinis rivo totum eluerat si quidne in causa fragilitatis in anteacta contraxerat vita. Sic denique carneam sancta [6] ejus anima

[1] *om.* 2. — [2] scilicet 2. — [3] omnia 2. — [4] modo tibi 2. — [5] *ita* 2; sis 1. — [6] sanctam 2.

exuens tunicam, de terreno soluta carcere, iter ad Christum celerans [1], perenniter cum sanctis omnibus victura læta migravit.

16 (16, 17). Sed quia pacis pro pignore omniparens summi Tonantis genitus supero de cardine cœlestis curiæ descendit, per suarum comitum turmas virginum, loquimur de quibus agitur in præsenti, ejusdem [2] pacis obsessis civibus contulit gaudia, licet insperata, tamen diu mente desiderata. Facta igitur cæde virginum, cum dux earum Christus sanctas quas ipse dederat recepisset animas in siderei cœtus domicilia, circa inutiles prædæ sarcinulas barbarorum satellites occupati, ad naves usque propere maturantes, si quid invenire residui, uti fecerant, raptum ire moliebantur. Quo patrato facinore, tot [3] armatorum legiones militum quot prius virginalis collegii [4] cuneos trucidabant [5] se secuturas [6] rati, in se stupidi terga vertentes fugæ subsidia concite quærebant. Et sic demum virginum carnalia discrimina [7] sanctis incolis diu negata quietis reddiderant gaudia. Fugatis itaque pacis hostibus, sese e portis effundens Agrippinensium præclara juventus, cum se tota civitas solvit e longo luctu, inedicibilem martyrum stragem, qua nil minus putaverant, passim [8] offenderunt dispersam. Sed quia se non inficiabantur [9] nosse qua clare [10] videlicet immortali sponso Christo cui se devoverant et cui agonizabant dicimus et pro cujus amore serio se triumphabant mori, ad [11] suprema cineribus pariter et spiritibus more fidelium solvenda alacriter se accingunt. Et corpora terris commendantes, vitalis hostiæ munia omnium conditori Christo pro animarum æterna requie jugibus obtulerant votis.

17 (18). Nondum longo post tempore [12], divinis flammeis visionibus frequenter admonitus, et virtus magnæ pietatis martyrii cœlestium virginum imminentium ex partibus Orientis

[1] *ita* 2; celebrans 1. — [2] eisdem 2. — [3] in 2. — [4] *codd.* collega. — [5] truc. cun. 2. — [6] *codd.* secuturos. — [7] *ita* 2; carnali a discrimine. — [8] passi 2. — [9] *codd.* inficiebantur. — [10] dare 2. *Videtur intelligendum :* Sed quia non infitiabantur se non nosse quam clare interiissent, videlicet... ut diximus... — [11] *suppletum ex conj.* — [12] *ita* 2; longo tempore post tempora 1.

exhibitus, pro voto Clematius huc proprio in loco suo hanc basilicam voto quo debebat a fundamentis restituit. Si quis autem super tantam majestatem hujus basilicæ ubi sanctæ virgines pro nomine Christi sanguinem suum fuderunt, corpus alicujus deposuerit, exceptis virginibus, sciat sempiternis ignibus puniendum.

18 (19). Erat igitur de eodem sacratissimo virginum collegio quædam, præcluis [1] moribus pariter et vita, sicut in fine patuit, virgo Cordula, quasi fidi [2] et puri cordis medulla, quæ non casu, sed ob futuri signum mysterii, omnibus necatis consociis [3], unius noctis cursum in quadam navium excubans alvo. Sed quid mirum, cum sacra dicat Scriptura: *Occulta sunt Dei judicia;* et nullius hominum sagacitati pervia, testante Isaia propheta, qui dicit : *Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? Cum quo iniit consilium et instruxit eum et erudivit eum scientia et docuit eum semitam justitiæ et viam prudentiæ ostendit illi?* Subauditur : Nullus. Et ipse in Evangelio dicit: *Nemo novit Patrem nisi Filius, et nemo novit Filium nisi Pater, et cui voluerit Filius revelare.* Ille vero qui perpetua ratione in sibi coæterno Filio mundum condidit et conditum patria regit virtute, sicut scriptum est : *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Ipse hanc de qua nitimur loqui [4] beatissimam virginem, non sine magni gratia mysterii, ut supra memoravimus, licet non amplius unam noctem, testari tamen aliis voluit.

19 (20-22). Sed quia in gestis virginum non legitur ceterarum, ideo minorem inde fidem capere, quod [5] absit, non debemus, cum hoc [6] sit sincerius venerandum quod, divina concedente clementia, nocturnæ quietis conticinio voluit pandere per seipsam cuidam retrusæ probabilis vitæ, nomine Helintrudæ. Sed cujus sanctitatis fuerit beata inclusa, testatur Herisiaci collegii relatio [7] veridica. Herise enim vocatur in [8] Saxonia venerabile monasterium ubi a puellaribus

[1] *ita* 2; prædivis 1. — [2] *add. ex* 2; *om.* 1. — [3] consciis 2; cum sociis 1. — [4] (nit. loq.) loquimur 2. — [5] *abrasum in* 1, *legitur in* 2. — [6] hocce 2. — [7] *add. ex* 2; *om.* 1. — [8] *om.* 2.

nutriebatur annis, et ubi ejus vivificanda a Domino modo in pace pausant ossa, licet in ultimis diebus in monte quo civitas, Iburg vocabulo, erat fundata, salubriter fuerit [1] conversata. Cernere enim sæpius ad ejus est tumulum cæcis lumen, claudis gressus, infirmis reddi sanitas et dæmones ab obsessis fugari corporibus, aliaque multa ejus meritis fieri, quæ enumerare per singula longum est. Quapropter non absurdum est credere si quid de talis virginis nobis depromitur visione, maxime cum [2] usque nostra delata tempora multis nostrorum non solum specie sed etiam virtutum effulsit clarissima luce. Quadam vero noctium, adveniente quiete, cum athleta Dei sciret mortalium membra lethæo somno esse sopita, divinæ illustrationis lampade oppido clara beatæ quam supra diximus Helindrudæ summi honestate silentii apparens, an se agnosceret percunctatur. Cujus reverendi vultus vernantem speciem et imperiosæ auctoritatis admirans illa gravitatem, erat enim operosis induta vestibus et, ut sibi videre videbatur, coronam albescentibus liliis et rubescentibus rosis intertextam in capite gestans, sic e contra exorsa [3] est : *Haud me tali dignor honore, cum mihi caligo inscitiæ mortales hebetet visus, et tu sis una de summi Tonantis stirpe propagata, videlicet ut queam vel te vel tuæ admodum claram scire* [4] *nativitatis genealogiam.* At illa : *Noveris me,* inquit, *pro certo, quamvis ultimam, de sacratissimo tamen Agrippinensium virginum catalogo, et illis omnibus pro Christi nomine martyrii palma donatis, in cujusdam navis sinu latitantem unam supervivere noctem, et, crastino sole nubes spargente, proprii sanguinis rivo profluente, scilicet sorores comitatura, mortis dedicare sævitiam. Unde cum earum quotidiana pariter et annualis Coloniæ vigeat a fidelibus, ut decet, recordatio, mei nulla recolitur commemoratio. Idcirco ad te, Domini permittente gratia, veniens, id injungo tibi obedientiæ, ut sanctis monialibus et Deo dicatis virginibus ad corpora nostra vigilantibus certissime denunties quo die proxima earum celebritatis, quia illis apud Dominum omnino erit proficuum,*

[1] erat 2. — [2] *add.* ad 2. — [3] ingressa 2. — [4] sc. adm. cl. 2.

vel aliquam mei in divinis laudibus faciant [1] *memoriam.* Sed illa cum [2] de nomine ejus requireret, jubetur a virgine frontem ejus intueri : et id quod litteris cerneret exaratum hoc sibi fuisse nomen impositum. Cordula, enim discretis scriptum erat syllabis. Quocirca eam congruis hymnorum melodiis et magnitudine honoris veneremur, et ut cum omnibus sanctis nostri memor sit jugiter oremus, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui laus, virtus et potestas cum Patre et Spiritu sancto viget in secula seculorum. Amen.

[TRANSLATIO S. ODILIÆ.]

Incipit prohemium historiæ de translatione beatæ virginis et martyris Odiliæ.

Post illud urbis Trojanæ famosum excidium, dispersis per diversa mundi climata residuis, Æneas, maximus inter Trojanos dux, una cum filio suo Ascanio Italiam petens, urbis Romanæ fundamenta fecit. Ascanius autem genuit filium Silvium nomine, Silvius Brutum, prout veteres famosi chronographi, nominatim venerabilis Beda in Northanhimbria sacerdos et monachus, Gildas quoque et alii plerique in suis tradiderunt historiis. Hic itaque Brutus, ut rem brevibus absolvam, deserens Italiam atque Græciam, cum multis Trojanorum reliquiis navigans per Africam et Mauritaniam, ad littus pervenit Tireni maris, ubi Cormeum, potentissimum atque robustissimum, de sua stirpe procreatum, multis dominantem invenit.

Quem secum assumens, transvexit ad insulam a solis gigantibus dudum inhabitatam, cui nomen Albion. De qua crebris victoriis fugatis gigantibus, Brutus insulam de suo vocabulo Britanniam nuncupavit, incolas vero Britones sive Britannos. Dux autem Cormeus terram quæ sorti suæ cesserat, Cormeam vocavit, quæ modo nominatur Cornubia.

[1] *ita* 2 ; faciam 1. — [2] cum illa 2.

Emenso deindè multorum annorum curriculo, Maximus tyrannus, ambitione dominandi stimulatus, Britanniam Armoricanam suæ subjugans ditioni, insulam propriam militum præsidio vacuavit, et irruentes Scoti cum Pictis ceterisque barbaris populum imbellem et terram totam cæde et præda vastare cœperunt. Itaque rex Vortegirnus, barbarorum viribus sentiens se resistere non posse, ad tutamen sui et hostium impugnationem gentem Saxonum, nondum christianis ritibus imbutam, invitavit. Qui cum aliquando strenue ac fortiter cives defendissent, tandem insulam totam multimodo bellorum incursu molestantes, Britones monarchiam et diadema regni amiserunt, et deinceps Saxones, id est Angli, Angliam de nomine suo vocatam provinciam sub suo dominio gubernarunt.

Ex hac felici provincia sacra virgo Ursula, regis Dynothi christianissimi filia unica, felicem traxit originem. Quam cum ob formæ et morum elegantiam pagani cujusdam regis late dominantis in Armoricana Britannia filius in matrimonium postulasset, illa, revelatione divina prædocta, triennii petens inducias, decem primævæ ætatis illustres virgines in solatium sibi tradi flagitabat, et earum cuilibet alias mille ad suæ dedicationem virginitatis petiit assignari, hoc prætextu ut infra illud trimatus spatium sponsus ejus adhuc paganismi sordibus infectus christianis legibus initiaretur ac ritu.

Inter has quas dixi decem illustres virgines beata virgo Odilia, Maromei regis filia et regis Angliæ consobrina, in cujus memoriam et honorem hæc adorsi sumus, propter multiplicem gratiarum dotem sibi cœlitus collatam, præsertim ob morum elegantiam et consiliorum maturitatem, præcipue pollens, velut specialissima consodalis beatæ fuit Ursulae contubernio sociata, et inter ductrices sacras primaria. Insedit jamdiu sacrarum virginum animis mirus ardor visendi sanctorum apostolorum Petri ac Pauli limina in urbe Roma. Præfixo igitur tempore navibus conscensis, oppansis velis, divino se ducatui committentes, signaculo vivificæ crucis frontes ac carbasa munientes, applicuere Basileam, ubi, relictis navibus, ventis et imbribus teneras exponentes facies,

per Alpes et paludes pedestre sunt iter aggressæ; visitatisque circumcirca sanctorum reliquiis, post sacra suspiria et jocundas lacrimas, cum classe quam Basileæ reliquerant, ad Coloniam Agrippinam applicuerunt.

Illuc Hunorum cunei late palantes, christianæ religionis cognoscentes in velis sanctæ crucis trophæum, sibi vituperosum, veluti lupi beluina rabie grassantes in agnos, totum illum virginalem cœtum, nulli parcentes ætati, horrenda cæde mactaverunt. Post hunc ausum sacrilegum Huni, pridem fugere nescii, divino metu conterriti ab obsidione Coloniæ discesserunt. Cives autem devoti una cum archipræsule suo Aquilino, qui tertius a beato Materno illius urbis præsidebat cathedræ, erumpentes per portas, totam superficiem terræ corporibus sacrarum virginum repererunt opertam. Quas cum certis indiciis animadvertissent ob zelum christianæ religionis interemptas, condignis juxta rei et temporis exigentiam tradidere sepulturis.

Sequitur narratio translationis ejusdem gloriosæ Odiliæ virginis.

1. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, considerans venisse tempus miserendi humano generi diversis afflicto calamitatibus, his novissimis temporibus hoc ordine dignatus est sacratissimæ virginis et martyris Odiliæ reliquias mundo revelare. Post inauditam barbariem qua feroces Hunorum phalanges[1] sanctam Ursulam reginam cum suis convirginibus undecim millibus cruenta cæde peremerunt, Huni, divino timore fugati et de Coloniæ Agrippinæ expugnatione desperantes, sacra illa virginum corpora sic horribiliter mactata reliquerunt inhumata. Itaque cives longa jam obsidione fastiditi, per portas eruperunt et juxta temporis angustiam diversis in tumulis summa cum devotione virginea cadavera condigne per hortos et cimiteria mandarunt sepulturæ. Divino quoque nutu contigit sacratissimam

[1] *cod.* phalangæ.

virginem et martyrem Odiliam, Maromei regis filiam et sponsi sacræ virginis Ursulæ consobrinam, totius virgineæ cohortis ductricem primariam, juxta ecclesiam sancti Gereonis in horto cujusdam devoti civis in sepulchro marmoreo, superjecto nominis sui titulo, tumulari. Quem quidem hortum longa post annorum curricula civis quidam, Arnulphus nomine, fama et divitiis gloriosus, avita [1] sibi successione competentem, nimis diligens, viridarium illuc diversis arborum et herbarum generibus consitum, divini adhuc ignarus thesauri ibidem repositi, plantari diligenter procuravit. In quo sub piro frequenter devote cum uxore ob curarum relevamen et gratificum arbustorum ac florum spiramen conveniens, mirabatur idem ipse cur in illo præsertim loco sub piro sua magis quam in ceteris viridarii locis tam libenter resideret.

2. Cum ergo per annos circiter mille quadraginta octo sacræ virginis et martyris Odiliæ ossa in terræ pulvere sub piro prædicta jacuissent, mortalibus cunctis incognita, contigit sacræ sedis apostolicæ pontificem Innocentium IV, celebrato apud Lugdunum Galliæ multorum prælatorum concilio [2] (1), sacrum Ordinem fratrum sanctæ Crucis (2), approbantibus universis, ibidem rite confirmare, multis eidem sacro Cruciferorum Ordini collatis privilegiis (3). Præfati Ordinis domus primaria, tunc temporis apud Hoyum, patriæ Leodiensis insigne oppidum, noviter fundata, velut mater prolifera diversas per orbem ex se quotidie propagabat filias. Itaque reminiscens sacra martyr Odilia dum adhuc vitam duceret in humanis sacrosanctæ crucis signaculum nedum in sua fronte se gestare solitam ad terrendas aerias potestates, verum etiam, dum Romam tenderet et abinde

[1] *cod.* avia. — [2] *cod.* consilio.

(1) Scilicet anno 1245. — (2) De hujus Ordinis institutione cfr. Hermans, *Annales canonicorum regularium S. Augustini Ordinis S. Crucis*, (Silvæ Ducis 1858) tom. I, p. 29. Hujus Ordinis primus magister generalis fuit B. Theodorus Cellesius, vita functus xv Kal. Sept. 1236 (tom. cit., p. 39). Cujus Vitam habes in *Histoire de la ville et du château de Huy par F. Gorrissen, d'après Laurent Mélart*, p. 296 sqq. — (3) Cfr. Hermans, op. cit., t. II, p. 64 sqq.

rediret, navium quarum rectrix fuerat, carbasis et velis illud assuisse, apud Ordinem sanctæ Crucis titulo specialiter insignitum ejusque nomini præcipue dedicatum, in ipsius domo primaria, suas voluit sacras exuvias hoc ordine deportari.

3. Præsidente Leodiensi cathedræ recolendæ memoriæ domno Johanne Flandrensi (1), erat Parisius in conventu Cruciferorum (2) conversus quidam, dictus Johannes de Eppa, simplex et illiteratus, sed ab ipsis infantiæ rudimentis inibi conversatus sine querela. Huic jejuniis et orationibus fatigato, in stratu suo quiescenti, in primo noctis conticinio reverendi admodum vultus apparuit femina, gerens insigne capitis diadema, pretiosis intextum gemmis, miraque vestium claritate circumamicta, sanctæ crucis trophæum portans in pectore. Mox conversus nimirum de cœlesti visione consternatus, nomen, statum et qualitatem inquirebat matronæ celebris, pariter et causam apparitionis. Quem illa serena facie sic affatur, dicens: *Ego sum de Britanneis virginibus sacræ Ursulæ sodalibus una clarissima, regis Angliæ, sponsi beatæ Ursulæ, consobrina, Maromei regis tunc temporis filia, nomen habens Odilia. Ego virginalem exercitum cum aliis decem generosis sociabus a Britannia Romam deduxi, a Roma rursum Coloniam Agrippinam reduxi, et cum ceteris undecim millibus ibi palmam martyrii suscepi. Aureolam binam ab omnium retributore Christo promerui: unam, quia virgineum pudorem casto corde et illibato corpore servavi, alteram quia pro fide christiana viriliter occubui.* Et adjecit: *Surge, frater, acquiesce visioni. Nam meis reliquiis Ordinis tui pauperiem oportet locupletari. Apud Coloniam juxta sancti Gereonis ecclesiam in viridario civis opulenti, cui nomen Arnulphus, invenies ossa mea sub piro cameræ domus suæ contigua, in marmoreo sarcophago recondita. Et quia sacrosanctæ crucis amatrix semper fui in vita, idcirco in primario sanctæ Crucis cœnobio, in Hoyensi oppido, per tuum volo ministerium transferri.*

4. Conscius conversus propriæ simplicitatis nec omni sciens acquiescendum revelationi, probandos item spiritus,

(1) Qui sedit an. 1282-1292. — (2) Qui erectus fertur anno 1258 (Hermans, t. I, p. 54).

an ex Deo sint, super ea re monasterii sui priorem, virum admodum industrium ac devotum, adorsus est compellare, et seriem visionis enucleare. Agnoscens prior conversi simplicitatem, et aut ex cerebri turbulentia qua solet humana mens sæpe deludi aut versipellis hostis suggestione, qui se nonnunquam in angelum lucis transfigurat, suspicatus hoc motivum procedere, monet illum a proposito quantocius resipiscere. Conversus vero, reniti non audens sui rectoris jussioni, orabat intente, quatenus, si a Domino res ageretur, iterum ac tertio eamdem sibi visionem ostenderet. Emensis post hæc aliquantis diebus, dicto converso leniter dormienti rursum beata virgo Odilia velut indignabunda nocturno silentio apparuit, eumque de negligentia redarguit. *Cur,* ait, *tantæ te gratiæ, o frater, reddis ingratum? An ignoras plerosque per mundi climata te sanctiores ac digniores subsistere viros? Quos tamen præteriens, ad hoc opus præcipuum te delegi. Hujus ergo desidiæ non immerito pœnas exsolves.* Mox per capillos arripiens eum quidam teter spiritus graviterque cædens, atrocibus plagis impetivit. In crastinum cernens prior fratris liventes scapulas, confestim dedit operam ut visio sortiretur complementum, cui dudum præstiterat impedimentum.

5. Impetrata demum a priore licentia, devotus frater Coloniam versus properat, adjuncto sibi collega, viarum conscio, cujus cordi par desiderium insederat. Occurrunt prospere singula quæ virgo sancta et nobilis Odilia mandaverat, et devotus Johannes Coloniam quinto decimo die Junii una cum itineris duce fidenter ingrediens, quæ sit sancti Gereonis basilica, quæ domus Arnulphi juxta illam commorantis, solerter investigat. Quem tandem inventum cum uxore, religiosa admodum matrona, in suo viridario subter pirum solito more dulces auras captantem, blande primum salutat, et deinde, assidere jussus, tali eum sermone compellat: *Noveris, Arnulphe, vir egregie, in hoc quo recubas loco cœlestem thesaurum ante multos annos divino nutu repositum, quem me, licet immeritum, cœlica visio monuit ad locum transferre destinatum.* Deinde sacræ visionis exponens eidem seriem, beatæque virginis genus et nomen, graviter consternavit hominem,

sed præcipue suam devotam conjugem. Qui tandem paulisper intra semet deliberans, hæc in animo ruminabat : *Unde in viridario meo, extra septa quibus ceteræ dudum sepultæ scribuntur Britannicæ virgines tam longe seposito, hæc sola præ ceteris debuit virgo tumulari ? Impostor iste fortassis ex insania capitis hæc somniavit, aut certe quæstus causa talia confingit.* Et conversus ad conversum : *Putas,* inquit, *frater, quod propter phantasticas tuas apparitiones viridarium meum suffodere debeam et apud concives eapropter haberi me derisui faciam ? Recede hinc celerius : non est tibi pars neque sors in sermone isto.* Talia meditantem sicque loquentem leniter sua conjunx affatur. *Etsi,* inquit, *o marite dulcissime, rem grandem tibi dixisset vir Dei, certe facere debuisses. Experire dumtaxat, et sub piro nostra foveam fieri permitte, tibique polliceor de proprio dotalitio virgultorum damna recompensare.*

6. Delinitus his sermonibus Arnulphus, assensum præbuit petitis. Et arreptis ligonibus ac paribus ferramentis effossa profundius tellure, apparuit tumba marmorea, albis intexta maculis, in qua cœlestis margarita jacuit Odilia. Qua conspecta, largifluas omnium creatori, qui non deserit sperantes in se, gratias retulerunt, cantantes insuper altisona voce *Te Deum laudamus.* Deinde Johannes et Arnulphus, associatis sibi plerisque timoratis viris, ad palatium archipræsulis Sifredi (1) pervenerunt, narrantes eidem per ordinem quantum quamque pretiosum suis temporibus misericors Dominus misero mundo propalasset thesaurum. Archipræsul nimirum ingenti perfusus gaudio, totius cleri devotæque plebis adunato cœtu, cum letaniis et canticis ad locum perrexit, et descendens cum aliquantis in defossum sepulchrum, extraxit inde venerandas sacræ virginis et martyris Odiliæ reliquias. Aperto denique sarcophago, ex membris sacratissimæ virginis odor suavissimus spiravit in omnium naribus, quo perfusi debiles et languidi plerique salutarem recepere corporum medicinam. Unus præsertim æger in vicina domo lecto decumbens, ex odoris hujus fragrantia inopinate refocillatus,

(1) Sedit an. 1275-1297.

confestim virium resumpsit integritatem et ad locum accurrens, magnalia Dei circa se gesta cunctis enarravit, Deo et sacræ virgini Odiliæ gratias referens infinitas.

7. Elevatum est itaque corpus sacræ virginis a monumento ab archipræsule Sifredo et in capsula ligna ad hanc rem diligenter aptata solerter repositum, quæ nil aliud præter sacræ virginis ossa continere potuisset. Involvit deinde dictus conversus capsam in bysso rubea quæ de filo serico [1] fuerat contexta. Transtulit et servus Dei ollam parvulam, intra tumbam sacræ virginis conclusam, in qua scriptura reperta est, totam virginis parentelam, nomen, officium, necnon et martyrium juxta seriem visionis sibi denuntiatæ plenissime declarans. Qua per archipræsulem et litteratos viros perlecta, laudaverunt omnes nomen Domini, quod est benedictum in secula. Deinde præfata capsula in secretarium ecclesiæ beati Petri apostoli processionaliter est delata, in opus viri Dei tempore non longo reservanda.

8. Deinde paucis revolutis diebus, servus Dei Johannes de Eppa, resumpta capsula, cum litteris gestorum fidem pandentibus (1), a Colonia nocturnis latebris digreditur, veritus ne a civibus aut æmulis insidias aut obstaculum forsitan sustineret. Et pedetentim itinere confecto, ad cœnobium dominarum Ordinis Cisterciensis non procul ab Herstallio distans, quod Vetus Vinetum (2) nuncupatur, sacrorum ossium portitores declinantes, illic prima Julii una nocte quieverunt. Ubi, dum monialis quædam, paralysi gravissime vexata, feretrum sacræ virginis Odiliæ cum devotione et fide contingeret, repente ab omni dolore sana facta est. In crastino cursim transmeantes Leodium, ne qua mora fieret, circa vespertinam horam pervenerunt Hoyum.

9. Illic cum propter generale capitulum celebrandum solito more de diversis mundi partibus infiniti fratres sanctæ Crucis, tamquam filii maternum consilium ac solatium quæ-

[1] *cod.* cerico.

(1) Cfr. *Act. SS.*, ad diem 21 Oct., tom. IX, p. 250, num. 122. — (2) Vivegnies. Vid. *Gallia christ.*, t. III, col. 1040 sqq.

situri, convenissent (1), omnium parili voto decretum est ut in suburbio Hoyensi sacrum feretrum in beati Petri basilica pernoctaret. Sequenti die cuncti qui convenerant sanctæ Crucis fratres sancto feretro cum cereis et lampadibus, altisone [1] resonantes *alleluia,* procedunt obviam. Occurrunt proceres, concurrunt denique cives, hymnos et laudes Domino jubilando canentes. Statim ab ecclesia qua pernoctaverat, religiosorum humeris sacrum feretrum evehitur et versus Hoyum summa cum reverentia deportatur. Quibus lætanter sic pergentibus [2], ecce matrona manibus alienis delata, omnium membrorum debilitate nimia conquassata, reverenter quantum vires permiserant feretrum contrectans, confestim ab omni qua premebatur ægritudine convaluit. Divertit post hæc processio ad ecclesiam gloriosæ Dei genitricis Mariæ, ubi cantatis aliquantis antiphonis, inde digrediens, pervenit tandem ad locum destinatum, in quo, sicut ab æterno divina pietas ordinavit, sacræ virginis Odiliæ debito venerantur honore.

10. Successu quoque temporis, dum ad sacræ virginis tumbam in Fratrum sanctæ Crucis cœnobio creberrime fierent miracula, fama magnalium excitati, de longinquis etiam regionibus advecti quamplurimi, qui, recepta confestim sospitate, gaudenter ad propria sunt reversi. Crescente tandem fidelium devotione, de sectis et quadratis lapidibus fabricata est sacræ virgini nova basilica (2), in qua divino nomini laus canitur continua, quod est benedictum in secula.

[1] *cod.* altissone. — [2] *cod.* peragentibus.

(1) Ex statutis editis apud Hermans (t. II, p. 1 sqq.), singulis annis cogendum erat in domo Huensi Capitulum generale (pp. 54, 55). — (2) Hermans, t. I, p. 68 : Quamobrem Huensem basilicam per prædecessorem (Nicolaum a Rupeforti, qui obiit 3 Maii an. 1320) reinchoatam non solum consummavit (Martinus d'Auvans), verum etiam altaribus septem variisque picturis decoravit. Quæ nova basilica anno 1322, feria secunda Paschæ, in honorem sanctæ Crucis ... fuit dedicata.

TRANSLATIO S. EUGENII

TOLETANI

AD MONASTERIUM BRONIENSE

SECUNDUM RELATIONEM COÆVAM.

Qui Vitam S. Gerardi Broniensis conscripsit ex Mabillonio editam in collectione nostra ad diem 3 Octobris (1), significavit sibi præ oculis fuisse non solum prioris scriptoris lucubrationem, cujus *oratio grammatice quidem composita, non tamen idiotis minus capacibus satis perspicua* erat (2); sed etiam Acta translationis corporis S. Eugenii ex monasterio S. Dionysii apud Parisios ad cœnobium Broniense per Gerardum peractæ, ubi consignata erant *monachorum tunc ibi* (in monasterio Dionysiano) *officialium nomina* (3). Acta hæc reperire contigit in eximio codice bibliothecæ regiæ Bruxellensis signato nº 1820-1827, seculi X. Scriptionem non multo translatione recentiorem demonstrant tum ipsa codicis antiquitas tum nomen Gerardi abbatis illi inscriptum, cujus mandato confecta legitur et ex cujus ore proinde excipere potuit scriptor quæcumque de illa litteris consignavit. Hinc apparet quanto in pretio habendum sit documentum, hactenus ignotum, cui in *Analectis* nostris locum dare utique juvat. Nec ab illo distrahendam duximus, quæ quasi appendicis loco eidem in codice nostro subjungitur, brevem relationem de miraculis per intercessionem S. Eugenii impetratis dum ejus corpus adhuc quiescebat in villa Diogili, antequam ad cœnobium S. Dionysii translatum esset, quamvis non ita sive virorum sive locorum nominibus in ea memoratis insignem.

Incipit prologus de sancti Eugenii Toletani episcopi virtutibus magnificis.

Cum plures vestra habeat paternitas didascalos [1], o amplectende abbas Gerarde, quibus valetis imperare optimæ intentionis vestræ opera, miror cur mihi, totius peritiæ experti, injungere libet vobis talia insignia deificaque facta. Nimirum

[1] *cod.* dediscalos.

(1) Tom. II Oct., p. 300 sqq. — (2) Ibid., p. 300, num. 1. — (3) Ibid., p. 306, num. 23.

meam detegere vultis inertiam apud magnorum virorum notitiam, qui me arbitrantur sciolum propter inutilem fallacium famam. Nihil enim boni conscius sum in me, sed tantum erga me cognosco inæstimabilis Dei omnipotentis opera misericordiæ, quæ vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Jubetis ergo egregii martyris Eugenii stilo comprehendere quæ gessit penes vestrum locum cœlica facta, qui non sufficio deflere nefanda atque conspicere præ nimietate mea commissa. Medelas namque curationum quas debilibus per sui almi antistitis [1] præstat orationes Dominus, nemo ut dignum est exarare valet, nisi fuerit gratia sancti Spiritus afflatus. Hac [2] enim penitus sum indignus inspiratione, quia omni fœdatus sum scelere. Verum qui humanam præstitit loquelam irrationabili asinæ, concedere potest indigno mihi et imperito sermonem, de suo locuturo antistite quæ veracium didici narratione. Vestra ergo jam sublimet oratio sancta quem gravat actio prava, ut implere queam quod sanctitas præcipit vestra.

Finitur iste prologus.

Incipiunt pauca de virtutibus sancti Eugenii episcopi quæ fiunt apud Bronium monasterium per sanctorum merita quorum ibi habentur lipsanæ, ac præcipue per sancti martyris Eugenii preces, cujus sanctum inibi veneratur corpus.

Primo qualiter locus supradictus a Pippino extitit constructus atque in eo pignora sanctissimi Eugenii Toletani episcopi ceterorumque sanctorum sunt devecta.

Ubi Pippinus, filius Ansegisi, oratorium fecerat

1. Tempore igitur quo monarchiam totius regni Francorum Pippinus strenue gubernabat, filius utique Anssigysi, qui extitit filius Arnulfi, Metensis episcopi, quique fuit frater Walchisi, patris scilicet opinatissimi confessoris Christi Wandregisili, erat quidam locus in pago Lomacensi (1) super

[1] *cod.* antestitis *et sic deinceps fere semper.* — [2] *cod.* Hec.

(1) Cfr. *Act. SS.*, t. II Oct., p. 223, numm. 14, 15; Piot, *Les pagi de la Belgique*, cap. III, p. 189.

ripam Bornon, atque in gyro ipsius rivuli multæ fontanæ, dulces emanantes [1] aquas, ad quas agrestes bestiæ venatoribus insequentibus, quia ipse locus venationi erat aptus, ad bibendum venire solebant. Hoc itaque cum ad notitiam principis pervenisset jam dicti Pippini, præcepit in eodem loco auditorium sibi parari, eo quod esset idem locus juxta forestam Masliniam (1) in qua persæpe ipse cum suis venatoribus hujusmodi exercitio instabat. Postea vero, ut credimus, Dei instinctu suasus, jussit eumdem locum extirpari radicitus, atque oratoriolum ibidem extrui suis fidelibus. Deinde Lanbertum, celebratissimum tunc temporis ecclesiæ Tungrensis episcopum, qui nunc martyr Christi in cœlo triumphat insignis, ad se venire mandavit, et ut illud oratorium sanctificatione [2] insigniret pia petitione obtinuit. Parens igitur pius pater jussionibus eximii principis, dedicavit in honore beati Petri, apostolorum principis, altare mediæstinum, et reliqua duo [3], unum quod est a dextris, in honore perpetuæ virginis Mariæ, et alterum lævam, in veneratione beati Johannis Baptistæ xv Kalendarum Septembrium. Anum etenim quamdam longissimo senio inveteratam in eodem loco vidimus, nomine Scanctoriam, quæ nobis fideli relatu narrare consueverat vidisse se ex eadem petra quam postea muro in circuitu munivimus, oleum affluenter manare, quam jam dictus almifluus in honore principis apostolorum Petri sanctificavit Lanbertus.

ibi Gerardus monasterium Broniense fundans et ei

2. Diebus itaque incliti regis Karoli, extitit quidam nobilissimus Sicamber, nomine Gerardus, qui in Francia parvipendens commoda ac cœlestia desiderans gaudia, cœpit cogitare qualiter in alodo jure sibi a progenitoribus concesso quantulumcumque extrueret cœnobium. Quæ cogitatio ad effectum bonæ operationis venta est, auspice Christo. Visum est itaque illi nullo in alio loco dignius [4] extruere cœnobium quam in illo qui olim, ut dictum est, sacratus erat Christo,

[1] *corr. in cod. pro* emanentes. — [2] *cod.* desanctificacione. — [3] *cod.* da. — [4] *cod.* dignus.

(1) Alias *Marligna* (forêt de Marlagne). Cfr. *Act. SS.*, t. c., p. 301 et annot. *f* (p. 304).

sed paganorum insecutione magna ex parte videbatur esse dirutum. Permissu quoque patris sui amicorumque suorum fecit quod multo jam tempore mente conceperat et ad certum finem usque complevit. Completo itaque jam dicti loci ædificio, delegavit ibidem clericos qui Domino obsecundarent, juxta quantitatem alimoniæ quam consequi potuissent, velut in scripto continetur quod in eodem loco fore dinoscitur.

reliquias quærens sanctorum,

3. Interea cœlitus animatus, incidit illi cogitatio non esse ratum ut isdem locus absque alicujus sancti solamine corporali maneret, licet multorum ibi sanctorum reliquiæ conditæ haberentur. Proinde arrepto, itinere, prospero cursu adiit Parisiacensem [1] territorium, ad quemdam religiosæ vitæ virum, nomine Leutgarium, qui tunc temporis regebat abbatiunculam [2] quæ vocatur Diogilum, ubi agius martyr Eugenius pro Christi nomine agone expleto a viris religiosis fuerat sepultus et depostea ad pretiosissimorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii monasterium officiosissime est delatus. Cumque ad præfatum pervenisset Leudgarium, omni cum humanitate est susceptus, et post dulcia ad invicem colloquia dedit illi scriniolum sanctorum reliquiis refertum, in quo et de artubus almi Eugenii aliqua pars continebatur.

impetrat corpus S. Eugenii Toletani;

4. Inde ergo assumpto memorato Leudgario, festine perrexit Catuliacum (1), quo quiescunt [3] nobilissimorum supra fatorum corpora sanctorum, ibique commorantibus narravit senioribus pro quo illuc advenerat desiderio detentus. Prolixum est itaque enarrare quanta egit prece ut quiret obtinere thesaurum desiderabilem [4] quem cupiverat tota mente. Salubri tandem consilio [5] reperto, immo Dei disponente clementia [6], qui suis ubique in se fidentibus semper adesse consuevit, datis sacrosancto illi loco pro posse muneribus impetravit quod diu desideravit thesaurum, egregii scilicet martyris Eugenii corpus nobilissimum. Eodemque tempore erant in eodem monasterio clarissimi viri habitu monachico

[1] *sic.* — [2] *cod.* abbativinculam. — [3] *cod.* duescunt. — [4] *cod.* desiderabile. — [5] *cod.* conscilio. — [6] *cod.* clementiam.

(1) *Saint-Denis.* Cfr. *Act. SS.*, t. c., p. 319, annot. *q*.

ornati. Amico decanus, Franco thesaurarius, Wido cantor, Noe hospitum receptor, Gozlinus camerarius, Erkengerus capicerius, Evrardus janitor; qui, obnixa prece commoti, divinitus [1], ut certum est, adhortati [2], sanctissimi martyris membra, auro obrusso [3] pretiosiora, scrinio honorifice fabricato reposita tradiderunt illi. Ex quo multum ovans, ob metum civium clanculo detulit secum.

quod asportans Cuvinium primum,

5. Sicque cum magno thesauro quem laudabili furto asportabat, pervenit Cuvinium, villam in pago Teoracensi (1) fundatam. In ea (2) siquidem degebant duo monachi ex monasterio sancti Germani; quorum unus dicebatur Werembertus, alter vero Ermarus, qui ibidem sancto Venantio, confessori atque abbati, obsequium divinitatis impendebant. Cumque illo perventum fuisset, noluit memoratus Gerardus cum suis complicibus ire ulterius sine consensu et licentia episcopi Stephani, qui eo tempore episcopium Tungrensis ecclesiæ regebat decentissime. Proinde nobilissimum sibi creditum thesaurum prædictis monachis duobus olim familiariter sibi adhærentibus dereliquit servandum.

ubi ad illud honorandum monachus per visionem excitatur,

6. Operæ pretium namque nobis videtur patefacere (3) cunctis quid ad præconium martyris sui et egregii pontificis cunctipotens Dominus est operari dignatus. Prædictus itaque Werembertus, monachico habitu amictus, narrare cum magno timore erat solitus quod, cum quadam die plus quam oporteret bibisset ac tardius quam decuerat dormitum perrexisset, tandem cum se cubitum nimietate potus plus solito debriatus collocasset gravique somno depressus ad nocturnas laudes Domino concinendas [4] minime surgeret, adest ei per visum sanctus Venantius, minaci vultu illum intuens; ac de crocia quam manu gestabat terribiliter pectus ejus percutiens, hujusmodi verbis illum affatus est, dicens : *Tu hic nimia potatione sopitus stertis, et beatus episcopus martyrque egregius Eugenius præstolans opperit sine matuti-*

[1] *cod.* etadivinitus. — [2] *cod.* adornati. — [3] *cod.* obrixo. — [4] *cod.* concinnandas.

(1) Thiérache. — (2) Cfr. *Act. SS.,* tom. II Oct., p. 306, num. 23. — (3) Cfr. ibid., num. 24.

norum laudibus. Surge quantocius, et quod agere debuisti maturius, fac saltem, quod nefas est, tardius. Qua [1] admonitione ab illa hora et deinceps ita est salubriter correctus ut de ecclesia illa nusquam nisi humanitatis causa recederet, quoadusque ejusdem delator martyris ad eumdem remearet locum.

inde pervenit Bronium.

7. Revertens etenim sæpedictus Gerardus, licentia cum auctoritate episcopi Stephani accepta, nimio exhilaratus gaudio, suis assumptis [2] complicibus cum aliis multis fratribus repedavit Cuvinium, quo sancti viri glebam (1) duo præfati monachi custodiebant magna cum reverentia. Qui unde iter arripiens carpebat gaudens viam suam versus Bronium, non modicam fidelium turbam habens secum. Ea tempestate (2) Adelelmus, vir clarissimus, archidiaconatus fungebatur officio suique pontificis vices diligenter exequebatur. Qui cum audisset cluentissimum Christi testem simulque pontificem intra parochiam sibi commissam deferri, copiosa sibi juncta ex monasterio sancti Foillani clericorum ac laicorum turma, venit obviam sancti [3] cum ambitione magna, atque omni cum devotione et humilitate accepit in ulnis scrinium in quo ferebantur pretiosissima busta, sicque clerici præcedentes et turbæ sequentes. hymnidicas odas regi celso concinentes [4] pervenerunt Bronium, ubi (3) cum tripudio magnæ exultationis collocaverunt quem detulerant thesaurum in oratorio principis apostolorum Petri, festivitate sancti Agapiti martyris, quæ celebratur xv Kl. Septembris. Hujus quoque almiflui præsulis membra quisque cum [5] fide (4) requisivit non ficta, rediit persæpe ovans ad propria domicilia. Omnes quippe illo degentes in pago dicunt a die devectionis ejus multa sibi insolita accidisse commoda. Cumque longe lateque hæc [6] fama divulgaretur, cœperunt catervatim circummanentes ad ejus memoriam cum oblationibus et luminariis confluere et sancti viri suffragium quæritare.

[1] *cod.* Quo. — [2] *cod.* assumptis. — [3] *sic.* — [4] *cod.* concinnentes. — [5] *cod.* con. — [6] *cod.* Hac.

(1) Cfr. *Act. SS.,* tom. II Oct., p. 306, num. 26. — (2) Cfr. ibid., num. 27. — (3) Cfr. ibid., num. 28. — (4) Ibid., num. 29.

Stephanus, episcopus Tungrensis, divinitus correptus,

8. Quod cernens (1) auctor invidiæ, qui ab initio genus humanum, cœlos ne posset adire, a recto itinere conatus est semper retrahere, virus suæ invidiæ per multorum corda clericorum in circuitu nequiter diffudit, adeo ut venientes ad episcopum præscriptum dicerent non esse ratum ut incognitum in sua diocesi permitteret venerari sanctum, qui si esset sanctus nemini illorum erat notum. Qui benevolus ut erat in Dei servitio, juxta viri sapientis proverbium : *Corrumpunt mores bonos* [1] *colloquia mala*, priorem commutavit sententiam et, gaudio quod ante habuerat de adventu magnifici antistitis ire permisso [2], assensit invidorum consilio, hostis invidi dolo patrato. Cum hac itaque voluntate egrediens a Fossensi cœnobio, pervenit Magloniam (2) itinere prospero. Illucque jam cum pervenisset sero, invasit illum dolor coli permaximus, adeo ut in unius horæ spatio speraret humanis excedere rebus. Qua de re (3) festine accito ad se quodam presbytero, nomine Eurehimgo: *Videtur*, inquit, *mihi quod hunc ideo patior immanissimum cruciatum, quia cogitavi sanctum Dei noviter nostra* [3] *diocesi delatum, tuis tuorumque sodalium consiliis depravatus, debito honore frustrari. Ob id ergo absque mora duas candelas præpara juxta longitudinem corporis mei ac latitudinem, et defer ante sanctissimi viri glebam, cujus ope et clementia ab hac qua miserabiliter crucior pœna spero me recepturum sanitatis remedia.* Qui illico jubentis paruit imperio. De nocte itaque consurgens stravit equum suam, duas secum deferens candelas, quas igne per quatuor partes accendit et in solo pavimenti ante almiflui artus Eugenii, perfusus lacrimarum imbre, in modum crucis vivificæ stravit. Cumque fomentum ignis, videlicet cera esset ex integro consumpta, sospitas episcopo e vestigio est restituta.

S. Eugenii festum in decania celebrari præcipit.

9. Comperto itaque meritis sancti Eugenii sanitatis remedium sibi esse collatum, in crastino unum e suis capella-

[1] *ita corr. in cod. pro* bones. — [2] *cod.* permixto. — [3] *sic.*

(1) *Act. SS.*, tom. II Oct., p. 306, num. 30. — (2) Ibid., num. 31. — (3) Ibid., num. 32.

nis (1) ad memoratum destinavit locum, mandans æedituo, qui vocabatur Ansselmus, ut Leodium ad synodum in proximo venturam pergeret, sanctique secum sæpefati Passionem ferret, atque obtutibus ipsius præsentaret. At ille gratanter monitis obtemperavit pontificis. Residente denique episcopo cum multitudine clericorum in synodo [1], recitata est in auribus eorum eadem Passio. Lecta itaque per ordinem ejusdem Passionis serie, hac episcopus circumsedentes affatus est oratione: *Sciat hæc sancta synodus hunc sanctissimum testem Christi atque pontificem in nostro episcopio Christo opitulante noviter delatum, magni esse honoris ac meriti. Ideo noveritis cuncti quia cupimus eum tota mentis intentione venerari, ut apud regem supernorum civium intercessor existat pro nostrarum excessibus culparum.* Accersito denique Flodino (2) decano, præcepit ei ut per omnem decaniam suæ curæ commissam ejus ex nomine sancti Eugenii martyris atque pontificis Christi juberet solemnitatem celebrari, et neque ipse nec ullus aliquis decanus qui post eum venturus esset soniacam [2] (3) episcopis Leodicensibus debitam ab eodem loco ubi ipsius sancti corpus quiescit accipere præsumeret.

Tintinnabulum miro modo cœnobio comparatur.

10. Miraculum interea quod Dominus, mirabilium operum patrator, nostris diebus ad exaggeranda antistitis sui merita est propalare dignatus, licet impolito sit sermone comprehensum, cunctis tamen scire volentibus delectabile, ut remur, erit ad audiendum. Erat quidam homunculus in Trejectensi degens vico, bonis actibus die noctuque intentus, nomine Stephanus. Qui quadam die septima sabbati mature a suo surrexit stratu, ac festine cœpit vestibus suis indui pedesque calciamentis muniri. Qui cum a sua percunctaretur conjuge cur de lecto suo insolenter ante lucis crepusculum [3] maturasset surgere, cum tum nil operis deberet aggredi, hujusmodi responsum intulit ei : *Ante paululum, cum me* [4] *sopor gratis-*

[1] *cod.* synado. — [2] *ita cod. pro* soniatam. — [3] *cod.* corpusculum. — [4] *in cod. bis* me, *hic et post* tempore.

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. II Oct., p. 306, num. 33. — (2) Cfr. ibid., num. 34. — (3) i. e. certam pensitationem. Cfr. Du Cange, v° *Sonniata.*

simus, ut solet, matutino tempore deprimeret, visus est mihi quidam astare ac dicere: Surgens perge quantocius ad mercatum, et quod[1] *primum inveneris ad emendum, dare pro eo non cuncteris pretium inter te et negotiatorem taxatum, et defer in monasterium noviter in pago Lomacensi constructum, quod vocatur Bronium.* Hæc dixit, et post hæc omni cum celeritate perrexit. At ubi in foro venalium rerum intravit, occurrit ei homo ferens in manu sua tintinnabulum, quod gaudens dato pretio emit et usque ad designatum sibi per visionem cœnobium detulit. Et ne aliquis hoc æstimet frivolum, nos illud vidimus in refectorio ejusdem cœnobii super mensam priorum depensum dulcemque reddere sonitum.

Domus ædificandæ ecclesiæ obsistens miro modo combusta.

11. Haud longo autem tempore, id est in anno ipso antequam sanctissimi corpus in Bronium adventasset, vidit quidam sacerdos ejusdem loci visum, rei futuræ præsagium, cui erat Anselmus vocabulum, quod eum terruit nimium. Videbat plane quasi de ecclesiæ clocario immanis[2] exisset draco ac volasset super ipsius presbyteri domum. Cujus e faucibus magnum eructabatur incendium. Proxima quippe sancto oratorio erat sacerdotis ædes. Hoc itaque sacerdos viso, e somno expergefactus cœpit cogitare pavidus cujus istius visus futurus esset exitus. Ergo quod superno judice dispensante vidit, non inaniter transiit, sed mox veraciter patuit, quamquam contrarium antistiti extiterit. Nam die sequenti arrepta est domus igni, et concremata est omnis. Nimirum credi facile potest ob id hoc accidisse, quod isdem sacerdos obstinanter restitit domum suam inde amovere ubi domus Dei debebatur construi et egregii antistitis corpus in ea reponi. Per colubrum enim, quod significat draconem, hostis antiquus humano generi propinavit mortem : ac per ipsius speciem vidit sacerdos suam exurendam ædem. Campanæ siquidem, quæ et cloccæ dicuntur, ob hoc in sanctis sublimantur oratoriis ut per illarum sonum vocetur et aggregetur christianorum plebs amabilis, et admoneatur a presbyteris sacris qualiter obtemperet Dei præceptis ac sine offensa queat su-

[1] *cod.* quot. — [2] *cod.* immanes.

pernis potiri gaudiis, cum fuerit absoluta hujus laboriosæ vitæ ærumnis. Clocca etenim oratorii sancti sacerdos est Dei vivi, plectrum verbi gestans, ore clamans vehementi atque terribili : *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Invocato S. Eugenio opifex a præcipitio servatus

12. Emundato per ignem loco, advenerunt e vestigio operarii, incunctanter fundamentum locantes ecclesiæ quæ hactenus in eodem fundata est solo. Nullus enim peritissimorum nec stilo comprehendere nec verbis valet explicare quam efficaciter celeriterque ædificium basilicæ ipsius consummatum est, beati suffragantibus meritis Petri, apostolorum principis, adeo ut nec una aquæ gutta per totum tempus quo parietes ecclesiæ constructæ fuerint, cœlitus distillaret, sicut sæpissime narravit cæmentarius qui ejusdem ecclesiæ mœnia exstruxit. Peracto itaque totius basilicæ ædificio ac desuper tecto completo, cum vellet carpentarius, nomine Folcradus, gaudens de consummato [1] opere, ad terram descendere, ruptis funibus quibus lignum erat ligatum super quod pedibus innitebatur, penitus ruit ad terram. Cumque nullum sustentaculum haberet, qui de tecto descendere cupiebat cœpit et ipse post lignum valde tremens corruere. Confidens ergo de beati Eugenii auxilio quem invocabat corde ex intimo, manibus utrisque apprehendit assilum [2] clavibus firmiter affixum. In quo loco pependit immobilis, quousque scala apposita a circumstantibus, deorsum incolumis est dimissus. Dicere etenim erat solitus quod quasi duos manibus teneret circulos quibus totius corporis sui moles sustentabatur. Videntes autem qui aderant tam laudabile miraculum, grates immensas reddiderunt Domino, qui extitit mirabilis atque laudabilis in cunctis operibus suis a seculo inito.

et ignis extinctus.

13. Quodam tempore, cum quidam vir circa cultum Dei sollicitus, Bermeriacas (1) villam perrexisset, vehicula impetrandi gratia quibus ad supradictum cœnobium deferrentur [3]

[1] *cod.* consumato. — [2] *forsan pro* asserculum. — [3] *cod.* deferentur.

(1) Biesmerées, Bermereis, prov. de Namur, cant. de Florennes. Piot, *Les pagi de la Belgique*, p. 175.

materia[1], et ad cujusdam pauperis possessiunculam pervenisset, nomine Leodulfi, qui habebat savinam in hortello suo perpulchram, et ex ea voluisset accipere et ad monasterium transferre, subito domuncula juxta mansionem ejusdem posita igne plurimo cœpit concremari. Quo viso vir fidelis qui ex monasterio memorato advenerat, sancti Petri almique Eugenii opem[2] invocavit toto ex corde, ut pauperculi domunculam a periculo liberaret. Mox mirum in modum furens incendium penitus est extinctum. Tunc illud beati impletum est oraculum Jacobi apostoli, dicentis : *Multum valet deprecatio, si fusa fuerit juste ante Deum.*

Dum corpus S. Eugenii defertur, candelæ sponte accenduntur.

14. Cum autem a memorato viro suisque sociis honorifice deferuntur beati præfati episcopi sancta ossa, omni pretioso thesauro cariora, ventum est ad Roslerum (1), villa in pago Lomacensi[3]. Ibi paululum presserunt gradum, ob longioris viæ lassitudinem relevandam. Tum quoque opinione de sancto passim diffusa, undique concurrit populi utriusque sexus, ordinis et conditionis multitudo, sanctum rogatura pro suorum criminum negotio. Cum his ergo affuit quædam mulier devotionis causa deferens secum extinctas[4] candelas : quas per sancti agonistæ merita declaranda divina illuminavit majestas. Enimvero per candelarum illuminationem patefacere dignata est regis superni omnipotentia quanta fruitur gloria in angelorum curia, qualive ejus felix anima claritate perfusa sit in supernorum jocunda societate. Supernis quidem civibus nota erat sanctitas illius; sed homines latebat exterius, qui sola exteriora cernunt, interiora cujusque viri justi perpendere postponunt.

Quid significet nomen Bronium.

15. Inde etiam castra moventes, iter arripiunt alacres quod ducit ad villam Bronium. Quæ villa recto nomine sic vocatur, quia cœlestis providentia præviderat illam quandoque sanctorum pignoribus fore gratulabundam, quæ se defenderent ab omni inimicorum malitia, sicuti nunc protegitur per sanctorum suffragia, quorum inibi habentur patro-

[1] *sic.* — [2] *suppletum.* — [3] *cod.* Lomacensem. — [4] *cod.* extintas.

(1) Rouillon (?), prov. de Namur, dépendance d'Annevoye.

cinia. Bronia enim est lorica, quæ est vestis ferrea qua utuntur milites in pugna : quæ a se repellit adversariorum tela. Sic nempe villa protegitur Bronium per merita sanctorum quorum referta esse cognoscitur reliquiis venerandis, sicut subsequens sermo ostendet verbis præ aliis signis.

Agnellus S. Eugenio dicatus a fauce lupi servatus.

16. Alia præterea mulier de villa quæ vocatur Ermenton(1), vovit unum ex suis agnellis sancto martyri Eugenio, quo sui dignaretur misereri; sed fera semper inimica ovium generi quæ solet lupus vocitari, ceu fur accurrens ore rapuit patenti. Quem, pastoribus post eum vociferantibus, detulit infelix jejunusque in silvas. At mulier paupercula voto suo viduata, tristis nimium effecta, facie lacrimis lota, mente et corpore devota, magnis vocibus sanctum cœpit clamare Eugenium, dicens : *Ut quid, sanctissime Eugeni, quod tibi dedi perdis? Non habui aurum vel argentum quod darem tuæ sanctitati, sed vovi quod habui. Ne perdas, domne martyr, pauperis tuæ donum, licet exiguum, neque gaudere permittas gluttonem lupum de tuo agnello. Non est certe meus, sed tuus. Si vis, redime illum.* His itaque mulieris fletibus pius martyr motus, non permisit comedoni lupo sibi concessum a paupere agnum devorare, sed fecit incolumem referre ad gregem. Quo viso, femina lætata est ingenti lætitia, sancto protectori suo Eugenio magnas gratiarum actiones reddens. In hoc ergo rudi miraculo antiquum recolimus factum de Jona et ceto. Cetus [1], ut legitur, fugitivum absorbuit prophetam, devorandi non habens licentiam, sed sospitem restituit in aridam. Similiter molossus [2] agnum quidem ut glutto rapuit, sed devorare omnino nequivit. Christe, tua sunt hæc miracula. Verum redeamus ad cœpta et pandamus quid sit actum ex agno postea. Receptum namque mulier agnum diligenti studio nutrivit, fovit amabiliter, et impinguatum retulit ad sanctum hilariter, orans humiliter ut se suaque dignaretur custodire misericorditer, et nutrire posset quod illi iterum offerre quiret.

[1] *cod.* cætu. Coetus. *Item* coetus *num. 25.* — [2] *cod.* molosus.

(1) Hermenton, prov. de Namur, canton de Fosses.

Cultum S. Eugenio detrectantes divinitus puniti.

17. In adventu sui in Bronium initio sanctus martyr Eugenius ignorabatur quis esset a circummanentibus fidelibus et ab ipsius parœciæ [1] præsule, domno scilicet Stephano, episcoporum nobilissimo. Sed is lecta ejus Passione, gavisus est gaudio magno, ac præcepit continuo ipsius celebrari festivitatem et in Lomacensi pago et [2] in omni sua diocesi (1). Quod egerunt quidem multi devotissime; sed quædam matrona Emma, in sua villa manens, nomine Laiva (2), sancti martyris monasterio contigua, cum suo filio Dodone, magis in suo fidentes gentilicio quam in beati antistitis solatio, parvipendentes [3] sancti festa, in uno eorum die jusserant omni familiæ suæ operari quæ præcepta eis erant. At rex cœli, vilipendens mox illorum gentilitatem qui operari suos jusserant, atque glorificare volens sui militis festivitatem, quam celebrare tam præclarus præsul decreverat, commovit aerem ac ventum fortem, fecit vehementer ruere imbrem, et reliquerunt imperfecta quæ injuste cœperant contra Dei præcepta. Femina quoque una ex suis vulnerata graviter manu, quievit ab opere tristis. His autem signis divinitus propter sanctum Dei testem ostensis correcti [4] matrona cum filio confessi sunt se veraciter esse reos, se clamantes per omnia iniquos, qui, aliis festum sancti colentibus, contumaciter operari voluerant suos. Cum ingenti vero opprobrio pœnitudinem agentes, acceptis muneribus cum candelis venerunt ad sancti memoriam, culpabiles se cum fletibus reddentes. Votis autem redditis, redierunt in sua cum multa alacritate, postmodum festa martyris sancti venerantes cum jocunditate.

Rursus candelæ sponte accenduntur et apparent columbæ portentosæ.

18. Item in sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum festivitate quædam mulier veniens ex villa quæ dicitur Biurtus (3), detulit ad beati agonistæ Eugenii memoriam extinctam lucernam posuitque juxta sancti sepulturam. Quæ statim ita sancti virtute inflammata est, ut non candela sed

[1] *cod.* paroæchiæ. — [2] *inter* et *et* in *add. supra lin. alia manu :* postea Richarius episcopus. — [3] *cod.* parvidentes. — [4] *cod.* correctri.

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., num. 34, p. 308. — (2) Lesve, prov. de Namur, canton de Fosses. — (3) Bioux, al. Bioul (?), prov. de Namur, canton de Dinant.

titio videretur ardens. Audientes autem sacerdotes quæ fiebant a Domino in sancti martyris honore, adierunt deifica opera videre. Intrantes sane in sacram ædem invenerunt illam plenam columbarum multitudine, ac præ nimia exultatione laudantes benedixerunt Deum, sanctum suum mirificantem tam evidenti ostensione. Itaque in columbarum specie patefecit divina pietas illum locum dignum esse angelorum visitatione, et in candelæ tam profuso lumine possumus perpendere eumdem locum sæpe illum invisere et inhabitare qui dixit benigno ore : *Ego sum lux mundi.*

Puer contractus sanatur.

19. Alia rursus mulier, nomine Gislaberta, habens filium membris omnibus contractum, pro quo anxia cruciabatur inenarrabili luctu. Uno autem die memorans beati Eugenii, martyris et episcopi, magna merita ac præcipuas virtutes, accipiens puerum debilem detulit ad sancti ædem, projecitque [1] ante altare. Ipsa solo prostrata rogabat attente [2] suo filio subveniri per martyris incliti merita. Diu quoque deprecans, non meruit exaudiri. Sic fecit etiam altera vice, sed minime impetravit. Egit ergo hoc et tertio : sed, domo eo relicto, rediit ad ecclesiam supplicatura Dei martyri pro misero filio. Orata autem suppliciter pro illo, reversa est domum cum mœrore nimio. Verum domunculam ingressa invenit filium quem reliquerat contractum, super suos stantem pedes, sanum ex toto atque sospitem, et omnino [3] exultantem, quem ante paululum debilitas fecerat mœrentem. Videns igitur mater ista Dei militis in filio signa operata, prout novit, gratias summo opifici retulit, qui suo invicto martyri tantam gratiam contulit per cujus immensam virtutem debili filio optatam sanitatem reddidit [4] ac semetipsam [5] hilarem lætamque fecit, quæ multis diebus miserum filium flevit.

Pervicaces in sacerdotes puniti.

20. Quadam [6] tempestate Carolo rege ad Aquasgrani palatium [7] properante, quædam pars sui exercitus per Lomacensem pagum est dispersus et ad Bronium usque extensus. Ubi suo more nequiter agentes, Dei sacerdotes dehonestabant

[1] *cod.* procitque. — [2] *cod.* attentente. — [3] *cod.* omninino. — [4] *cod.* reddit. — [5] *cod.* semetipsa. — [6] *cod.* Quedam. — [7] *cod.* palatii.

ibi manentes. Quo unus agens nequius ceteris, uni sacerdotum, nomine Anselmo, pessime nocuit procacibus verbis. Quam itaque injuriam impatienter ferens senior, quem blandis non potuit corrigere verbis, pedo perculit excommunicationis. Patrata vero ibi sua perversitate, cœperunt simul conglobati viam suam abire, atque Mosam usque properantes volebant transire. Ille autem excommunicatus intrans navim, ab uno equorum cæsus est gravissime; ac reportatus ubi fuerat nexus sacerdotis excommunicatione, ibique suum confitens scelus et pœnitens, absolutus est sacerdotali auctoritate. Inde etiam properans usque villam Pirarium (1), morte præventus, ibi ultimam excepit domum. Vilis quidem [1] est sacerdotalis apud malignos ordo; sed, credat omnis homo, valde necessarius est in hoc mundo. Cum homo nascitur, ad sacerdotem curritur, christianitas per illum datur; cum infirmatur, ipse advocatur; dum moritur, ille cito compellitur, ipsius precibus Deo anima commendatur, et nihil valet christianitas, si defuerit presbyteralis auctoritas. Igitur omnes venerentur sacerdotalem ordinem, quia per ipsius assiduam orationem et hujus vitæ habent prosperitatem ac cœlestem cum sanctis beatitudinem.

Item miles qui percusserat prælatum Broniensem.

21. Quodam tempore transiens nobilissimus comitum Boso per comitatum Lomacensem cum exercitu magno, diffusus [2] est sparsim in eodem pago. Quædam etiam populi ejus pars pervenit usque Bronium. Qua villa hoste repleta, voluerunt aliqui eorum in fratrum ipsius loci manere domibus. Quod contradicere volentes fratres, non potuerunt impetrare. At fratres, ingressi ecclesiam, induerunt sacris vestibus seipsos et, susceptis sacris pignoribus cum cruce, exierunt obviam malignis, orantes obnixe ne intrarent sua domicilia, quod nemo pessimorum fecit unquam. Illi autem, ut barbari, non solum precantes dignati sunt audire, sed etiam exprobraverunt improbe. Insuper et sanctam ferentem crucem Anselmum, Dei antistitem, unus ex ipsis pugno percussit gravis-

[1] *cod.* quidam. — [2] *cod.* diffusa.

(1) Piroy (?), dépendance de Malonne, prov. de Namur.

sime, ac reppulit procul a se cum magno furore. Quod perfecto, supernus judex non dimisit impune, sed ulcisci dignatus est manifeste. Altera namque die litigans cum pare suo, qui injuriam fecit Dei servo perdidit ipsam manum [1] gladio qua ferire ausus fuit illum. Hoc in facto sciamus sancti Eugenii, Christi martyris, operatam esse virtutem, cujus famulus est ultus per ejusdem [2] Domini nostri Jesu Christi pietatem. Manu vero sic perdita, recolens miser se [3] inique egisse in sanctum locum virumque Dei, pœnitentiam humiliter ac veniam petiit commissi facinoris a sacerdotibus illis. Illi enim nolentes malum pro malo reddere, fusa super eum oratione cum benedictione liberum dimiserunt abire, et ne ultra talia præsumeret curarunt monere. Siquidem ultione hac patefacta est sententia prophetæ dicentis : *Mihi vindictam : ego retribuam, dicit Dominus.*

Monente per visum S. Eugenio, fons detegitur :

22. Erat quidam famulus degens in monasterio Broniensi, nomine Rotbertus. Qui quadam vice in stratu proprio quiescens, vidit in visu dormiendo quasi aliquis illi diceret : *Vade in ecclesiam, et fode inter altare ac sepulturam sancti martyris Eugenii, et invenies aquam multis profuturam.* Hoc itaque somnium referens fratribus ipsius loci, noluerunt assentiri ei, putantes illum mentiri. Postea vero jussum ei est iterum per visum fodere. Qui statim in ipso visu fodiens inveniebat aquam exire et una [4] nescio quem piscem. Quem [5] narrans visum fratribus, crediderunt Dei martyris esse voluntatem, et accommodantes [6] somnianti fidem, quærere cœperunt invicem an foderent necne. Diu quoque deliberantes, tandem de martyris fidentes virtute uno die congregati profecti sunt in oratorium ubi somnians dixerat, volentes fodere. Acceptis itaque ligonibus ac palis, fodere viriliter cœperunt, et, annuente illo qui eduxit lympham de petra Oreb, præsentibus ejus dilectis Moyse et Aaron, et sancto martyre Eugenio implorante, repperunt aquam claram satis abundeque. Unde immensas gratiarum actiones referentes cum nimia vociferatione aquarum conditori, lætati sunt exultatione ineffabili. In profundo

[1] *cod.* manu. — [2] *cod.* ejus. — [3] se *bis in cod., hic et post* recolens. — [4] *cod.* uno. — — [5] *sic.* — [6] *cod.* accummendantes, *sed pro* en *corr.* o.

autem fodientes, aquamque magis invenientes, ne foras nimium excurreret, in gyro saxeum fecerunt parietem; et nunc puteus est similis utique illi super quem Jesus fatigatus ex itinere sedebat, loquens mulieri Samaritanæ petensque ab ea bibere, non aquam sed ejus fidem desiderans.

23. Intueamur ergo quantum valemus quid significet inventio aquæ illius. Ab re enim visio ipsa non est ostensa homini idiotæ cui placuit sanctis ipsius ecclesiæ tale mysterium revelare. In mundi siquidem exordio Spiritus sanctus, ut in divina legitur Scriptura, ferebatur super aquas, et arca quæ continebat creatoris ore laudatum virum justum atque perfectum, Noe, cum filiis et uxoribus, natabat super aquas, sicut modo sancta Ecclesia fideles omnes Christi baptismate renatos continet, Spiritu sancto gubernante navigans, ad portum quietis æternæ provehit. Aqua quippe corporum mentiumque [1] maculas mundat. Idcirco possumus recte perpendere justos in ecclesia Broniensi positos velle omnes ibi famulantes absque majori crimine esse ac, quantum possibile est, servari ab iniquitate. Non, inquam, absque omni queunt peccato vivere, quia, ut sanctissimus apostolorum Johannes ait : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est;* et : *Nemo est qui faciat bonum et non peccet.* Ergo pro viribus certandum est unicuique Deo sanctisque illius famulanti omni custodia servare suum cor ab iniqua cogitatione et corpus ab omni contagione atque malo opere, ut dignus existere valeat Omnipotentis sanctorumque illius servitio et fonte lacrimarum lotus in conspectu angelorum esse. Aquæ etiam nomine significatur populus, sicut jam dicto Johanni theologo in Apocalypsi sua dictum est ab angelo : *Aquæ multæ populi sunt.* Et quid, inquis, populi ad aquam pertinent Broniensem? Audi benigno auditu : quia sancti frequentari sua in quibus habitant loca volunt a populo. Non autem ut populi indigeant laude, sed ut populus illorum auxilietur pia miseratione. Populus enim infirmus indiget sanctorum antidoto, quoniam qui sani sunt non indi-

cujus rei mystica significatio.

[1] *cod.* mentumque.

gent medico, sed qui male habent opus est medicamento. Ideo, inquam, non [1] sine causa sanctus agonista Eugenius lympham in suo voluit oratorio habere, quo populus sacro lotus baptismate, saucius delictorum vulnere, ejusdem martyris purgaretur evidenti virtute. Sit ergo sacerdotalis auctoritas velut aqua munda, sit popularis debilitas humilitate plena, et illuc veniens cum reverentia recuperabitur virtute divina. Fons quoque sapientiæ qui extitit in beato martyre, ostensus est in illo fonte : repletus est sanctus omni sapientia, ejusque puteus medicabilem scaturit aquam, quam experti sunt plures in infirmitate sua. Multi namque ea loti consecuti sunt remedium salutis, quemadmodum ostendemus scriptis.

Per invocationem S. Eugenii mulier cæca visum recipit

24. Mulier quædam cæca ad sancti martyris Eugenii venit pietatem, deprecans ut sui misereretur, lumenque oculorum ei reddere quod perdiderat dignaretur. Diu vero ibi multumque rogitans, cum regredi deliberasset, lavit faciem ex ejusdem putei aqua, et illico, cæcitate fugata, luce qua longo tempore caruit reformata, facies tenebris fœdata effecta est pulchra per Christi militis merita præclara. Ecce aqua cunctis medicorum unguentis pretiosior, omnibus odoriferis pigmentis suavior, omni thiriaco [2] salubrior. Quæ quidquid tangit sine dilatione salutem restituit. O gloriosa prorsus aqua, cujus tactu lumina restituuntur oculis, cujus sacra ablutione ac deifica invocatione abluuntur crimina mentis, cujusque tactu cum recta fide cunctis corporis medetur [3] membris.

et a periculo submersionis liberatur sacerdos.

25. Huic denique delectabili et stupenti miraculo aliud mirandum omnique laude extollendum annectere censuimus ratum. Quodam itaque tempore, cum præ nimia algoris asperitate navali evectione amnes nequirent homines transire, et [4] Engeramnus presbyter, qui adhuc in præscripto cœnobio regi æterno ejusque militi, egregio videlicet Eugenio, fideliter obsecundat, Deonant (1) portum necesse haberet adire,

[1] *suppletum ad sensum.* — [2] *cod.* tyriaco. — [3] *bis hæc vox in cod.* — [4] *suppletum ad sensum.*

(1) Dinant, prov. de Namur.

veniens ad amnem Mosam cum suo equo, in alteram ejusdem fluminis ripam, licet pavidus, duritia glaciei sustentatus, duce Christo, pervenit sanus. Expletis itaque convenienter omnibus pro quibus venerat, reversus ad amnem, intravit audacter, sicut prius, in glacie, unde venerat cupiens redire. Contradicentibus denique cunctis qui astabant, erat enim dies ibi nundinum, ne aggredi præsumeret tam periculosum transitum, nequaquam prohibentibus cessit; sed totam spem suam in eo posuit qui principi apostolorum Petro mare meabile præbuit. Ducens sonipedem suum post se, cœpit pergere juxta suum velle. Cumque incederet, de Domini confisus pietate, qui liquidum elementum ita hiemis frigore induraverat ut se suumque caballum ferre posset, subito fregit glacies sub pedibus equi in modum speræ, sicque sub glacie ruens ab oculis ejus elapsus est. Freno tantummodo caput illius sustentans, stabat tremebundus juxta pertussum, de quo aqua terribiliter ebulliebat. Videntes itaque homines, per utrasque amnis ripas causa negotiationis stantes, illum in mortis periculo pro caballi sui ereptione positum, clamabant nimia cum vociferatione, dicentes ut dimitteret equum satisque illi foret si tam metuendum evadere [1] posset periculum. Sed ille hoc minime nolens agere, simulque recolens quia ubi humanum deest auxilium, necesse est quæritare divinum, tota [2] cordis intentione orabat protectorem supernum, quo solamen sibi concederet per merita emeriti sui militis Eugenii, posito in periculo hujuscemodi. Cernentes autem qui ex utraque fluminis parte stabant tantam habere presbyterum [3] fiduciam in Domino, ac de sui patroni confidere meritis almifluis, una cum eo invocabant Dominum sanctumque Eugenium, ut possent adjuvare sacerdotem super glaciem laborantem. Sicque confisi de Domini clementia, quæ suis semper fidelibus adest invocata, currentes audacter super glaciem, pervenerunt illo ubi dolebant sacerdotem stare in discrimine non modico. Summoque conamine illum adjuvantes, abstraxerunt caballum ejus a profunditate nymphæ,

[1] *corr., prius* evaderet. — [2] *cod.* toto. — [3] *cod.* presbitero.

gaudentes et, quod verius est, magis de semetipsis timentes quam de ereptione sonipedis gaudentes. Abstracto denique cornipede a flumine congelato, reddiderunt omnes qui aderant grates immensas Domino, simul cum presbytero, qui suo interveniente antistite, Eugenio scilicet beato, non tantum sacerdotem periclitatum sed et omnes qui ad illum causa adjutorii venerant clementissima miseratione ac solita juvit pietate. Nos ergo qui huic non interfuimus miraculo, incunctanter credamus patratum ab illo qui gubernavit Noe in arca clausum super undas diluvii. Et cetus in mari Jonam ferens pleno ventre jejunus, aperto ore illæsum vomuit in aridam,ejus reddendo obediens præcepto, cujus paruit deglutiendo. Egregium quoque prædicatorem Paulum æquoreis marinis die noctuque circumseptum de profundo pelagi reduxit ad superos illæsum. Hæc et innumerabilia miracula Dominus omnium, quia potens, potuit, ideoque fecit.

Mulier, pueri interfectrix, a templo S. Eugenii divina vi repellitur.

26. Adhuc autem unum referre libet prodigium, quod ad cumulum laudis egregii martyris scimus esse a Domino patratus. Homunciolus quidam nomine [1]... vidit quadam nocte in somnis quasi staret ante valvas ecclesiæ in qua jacet corpus beati Eugenii tumulatum honorifice, baculumque teneret manu de quo putabat se percutere canem rabidum qui, ut illi videbatur, sanctum volebat ingredi templum. Hac visione sibi ostensa, sequenti nocte perrexit matutinorum gratia ad eamdem ecclesiam, ubi vidit cum aliis qui aderant quamdam mulierculam cujus nomen hic annotare noluimus, pudore acti. Quæ veniens ante primum ecclesiæ ostium, cupiebat in ea intrare, licet non recte. Quæ [2], ut credimus, ab ea est repulsa divinitus. Similiter, cum ad alterum perrexisset aditum, et intrare tentasset indigna, reppulit eam vis divina. Sensit quoque contra frontem suam magnum venisse ceu ex igne calorem; et ideo illud relinquens, repedavit ad primum per quod intrare voluit prius. Tandem cum [3] summa vi intrasset in eadem basilica, in ipso introitu elisa est ad terram et jacuit semianimis secus limen ostii interioris, unde

[1] *spatium nomini destinatum vacuum relictum est.* — [2] *cod.* qui. — [3] *cod.* con.

asportata est a circumstantibus feminis. Postea claruit omnibus in eadem villa degentibus cur illi aditus intrandi intra sanctam ecclesiam est prohibitus. Nam, sicut referebant, quidam porcelli juxta naturam sui fodientes subtus limen domus in qua eadem morabatur femina, detegerunt infantis ossella [1] inibi reposita adhuc recentia. Unde æstimatum est illa nocte infantem peperisse illi, quem noluit ab aliquo vicinorum suorum videri et ad ecclesiam deferri, in quam ipsa magni facinoris conscia cupiebat ingredi. Hactenus tamen manet incognitum si in hac luce matris ab utero processit abortivus, an, ne videretur a vicinis, a matre subinde natus sit quolibet modo interemptus. Ille solus scit qui cuncta nasci suo nutu concessit.

Alii aliis modis puniti.

27. Multa equidem sunt miracula quæ ob fastidium lectoris non habentur scripta; sicuti de aliquibus nequam hominibus tacendum putavimus, qui pro nihilo ducebant adventum sanctissimi præsulis in illam qua nunc jacet regione : quos postea vidimus ab illa patria funditus Dei judicio summotos.

Sanatur surdus.

28. Operæ pretium est illud his præfatis prodigiis adjungi, qualiter redditus est auditus cuidam homini. Homo igitur quidam per viginti unum annos surditate diutina damnatus, auditis beati Eugenii, militis Christi, virtutibus magnis, venit cum magna cordis humilitate ad ipsius [2] venerandum oratorium, ac prostratus ante illius sepulcrum obnixe illum cum lacrimis postulavit, quem audierat multis prodesse petentibus ex corde toto ipsius auxilium. Fiducialiter ergo ac cum [3] cordis intimi contritione pervigil persistens in orationibus, minime cessavit a precibus quousque quod petebat obtinere meruit celerius. Nam uno die psallentibus fratribus quæ Dei erant, surditate depulsa auditum pleniter recepit quem perdiderat, operante Deo per sanctissimi martyris Eugenii preces. Auditu itaque desiderato diu recepto, auditis fratrum psalmodiis rediit domum incolumis, laudans voce magna in excelsis suum creatorem [4], mirabilia semper agentem. Omnia

[1] *cod.* oscella ; *intellige* ossicula, ossilla. — [2] *cod.* ipsi. — [3] *cod.* con. — [4] *cod.* creaturem.

enim quæ a sanctis fiunt quocumque per orbis gyrum, Omnipotentis creditur fore donum, qui dixit ad discipulorum felicem cœtum : *Sine me nihil potestis facere.* Caput certe est Christus suorum fidelium, et omnes fideles membra sunt Christi : ideoque, sicut corporis membra nil possunt facere sine capite, ita et electi nil queunt absque Christi ope agere. Idcirco, ut dictum est, quodcumque agunt dilecti, actio probatur esse opificis summi. Potitus enimvero qui advenerat surdus claro auditu, admonetur [1] a loci ipsius sacerdotibus ne existeret ultra verbi divini auditor [sur]dus, sed avide audiret documenta bonorum, et opere satageret implere quæ perciperet bona auditu. Itaque deificis instructus monitis, spondens se postmodum toto nisu obediendum bonorum præceptis, abiit viam suam gaudens et hilaris.

Feminæ brachium sanatur.

29. Aliud rursum præfatis signis addatur miraculum, ad corroborandum eximiæ virtutis fortissimi Christi Machabei Eugenii exemplum. Item quædam mulier pro recuperanda sanitate, nomine Emma, expetiit humiliter sancta limina in Broniensi cœnobio strata. Cujus manus dextra ad brachium erat reflexa; unde nimio cruciatu manebat anxia. Ubi, cum plurimis commorata esset diebus, deprecans incessanter sanctorum ibi quorum venerant patrocinia, ac præcipue beati Eugenii suffragia, repente cœlesti virtute visitata, optata meruit obtinere beneficia cum Dei gratia. Manu ergo, prout volebat, ex integro directa ac restaurata, laudare cœpit juxta proprium intellectum nomen Domini, quod est benedictum, sanctumque ipsius testem Eugenium, cujus illic quæsivit obnixe auxilium. Quid ergo in hoc negotio mysterii valemus perpendere, nisi mulieris vitam esse distortam et a recti itineris tramite deturbatam atque ad lævam pravi operis conversam? Nam recta est via, quamvis angusta, quæ ducit ad cœlestem andronam. Dextra quippe torta sinistra est perversaque vita, iniquitate repleta, mole scelerum nequiter complexa et a via recta penitus aversa. Unde vox prophetica clamat : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri;*

[1] *cod.* amonetur.

et evangelica præcipitur voce : *Si dextera tua scandalizat te, abscide eam et projice abs te.* Si quis vero nequam doctorum cupit nos retrahere a bono opere, ne acquiescamus tali doctrinæ, verum a nobis repellamus et a nostra [1] societate : tali siquidem facto manum abscidimus dextram de brachio.

Visus redditur cæco.

30. Alio præterea ævo venit ab ipsis Alpium montibus quidam peregrinus, lustratis pene totius Galliæ monasteriis, prius a nemine [2] sanctorum quos quæsierat adjutus. Sed fama longe diffusa de sancti athletæ Eugenii virtute præcipua, accedens Lomacensi pago, ac Broniensi cœnobio appropians, intravit supplici mente sanctam ecclesiam, rogaturus miser pro sua cæcitate diuturna, quam sanctorum nemo quorum expetierat solatia dignatus est fugare, nescimus qua de causa. Animadvertere siquidem possumus illam cæcitatem corporalem eidem homini [3] ob hoc evenisse, quia ejus anima non erat illustrata veritatis luce. Vel ideo differebatur illuminari per sanctos quorum circumierat venerabilia templa, quoniam aliqua indigebat pœnitentia. Aut propterea non sanabatur a sanctis aliis, quoniam per virtutem sanandus erat sancti Eugenii martyris. Egregia etenim virtute cuncti pollebant sancti quorum flagitaverat subsidia, sed huic reservabatur cæ[ci] medela, cujus virtus deifica nondum mortalibus ex asse innotuerat quantum apud Deum erat excelsa. Cum fiducia ergo aliquantisper præstolatus sui archiatri visitationem, subito sensit redivivum accedere luminibus lumen, indeque sensum fugata tenebrarum caligine; ac sic martyre beato agente videre omnia meruit clare, qui multis damnatus fuerat annis cæcitate. Recepto tandem oculorum lumine, agens gratias sancto agonistæ, cujus præcipuis meritis meruit illuminari [4] a benigno creatore, abiit iter quod disposuerat [5] cum magna alacritate. Reversus vero iter, suum illuminatorem laudans grandisonis vocibus benedicebat. Cæcitas autem ista, prout possumus æstimare [6], non propter illius peccatum illi accidit, neque pro suorum parentum cul-

[1] *cod.* annr. — [2] *cod.* prius animæ. — [3] *cod.* homine. — [4] *cod.* illuminare. — [5] *corr.; prius* dispuerat. — [6] *cod.* æstimari.

pis, verum servi Dei omnipotentis ut manifestaretur excelsa virtus [1], quæ latebat apud plurimos. Nec huic dictum est ut iret lavare in Siloa, quæ interpretatur missus; sed per martyris sancti virtutem curavit propalare Christus quæ significavit Siloa fluvius, qui a Patre in mundum est missus, ut illuminaret sua salubri doctrina humanum genus, quod per protoplastum effectum extiterat [2] cæcum. Ab ipso etiam Christo missus est iste cæcus, nomine Hildricus, quia inspirante eo ad sanctum Eugenium martyrem est profectus, qui non meruit illuminari ab aliis sanctis orbis istius. Virtus Christi enim illum adduxit, et ideo lumen recipere meruit. Recepit namque lucem non tantum corporis quam et mentis, quoniam, nisi esset illustratus in abdito cordis, nullatenus rediret gratias referre ad sancti basilicam martyris. Corde quoque ac corpore est lumine perfusus. Idcirco Dei martyrisque virtutem annuntiat passim omnibus.

et cæcæ.

31. De hoc quidem cæco sufficiat dictum. Sed jam stilus vertatur ad aliud prodigium huic præfato simile per totum. Sub eodem fere tempore alia mulier præter illam quam supra retulimus, oculorum lumine privata, sancti martyris Eugenii expetiit ecclesiam, cupiens per beati merita vultus sui recipere lumina perdita. Excubans vero ibi haud paucis diebus, annuit divina pietas illius feminæ precibus, decorans faciem ejus frustratis luminibus pro sui athletæ meritis ingentibus. Reformatis ergo cupitis oculorum pupillis atque ex asse pituita detersa, cernere meruit longe lateque perspicue cuncta, sicque sospes et hilaris repedavit ad propria, collaudans eundo sui medici antidota valde pretiosa, Ecce in Bronio melior sanctiorque aqua præfatæ Siloæ [3] lympha, ad quam mittitur ille evangelicus palpo lavandus, quia istic solo Dei martyrisque nutu redditur absque ullius liquoris ablutione oculis visus. Fides enim non ficta multum valet per superni archiatri gratiam. Munera quippe quæ excæcant oculos sapientium, sanctus Eugenius sophista vilipendit plurimum. Idcirco autem quod nocere solet etiam sapientibus, per omnia

[1] *cod.* virtute. — [2] *cod.* existerat. — [3] *cod.* Soloæ.

odivit : propterea cæcitatem a multis expulit atque lumen quærentibus ex fide restituit.

Sanatur contractus.

32. Quodam iterum tempore homo pauperculus [1] almi antistitis Eugenii expetivit auxilium, qui a clunibus erat debilis et contractus talotenus, ac trahebatur pandis fustibus, quos rustice crocias [2] vocamus. Pluribus sane annis in hac vivens ægritudine pleraque sanctorum templa circumiens pro sanitate recuperanda, nulla prorsus meruit adipisci remedia, nec per medicorum diversa medicamenta. At ubi, Deo miserante, accessit ad sæpefati sancti oratorium, ibique diu multumque ejus flagitasset auxilium, contigit uno die illum intrasse ubi sanctum est ejus corpus sepultum [3]. Et dum fratres suo more psallerent matutinales psalmos, ille contractus intus jacens, sentit se visitari [4] a martyre sancto. Distentis autem nervis coxarum ac tibiarum, et plena sanitate recepta, relictis ibi pandis quibus sustentabatur fustibus, clam recessit, nescientibus fratribus et omnibus insciis circummanentibus. Fustes tantum præbebant mirantibus de eo testimonium quod esset sanitatem assecutus; sed stupebant opipare de sua recessione subitanea, qui nec suo [5] liberatori reddidisset gratias. Inventus postea jam dicto Hildrico, quem fuisse cæcum diximus, isti narravit quod ideo clam recesserit, quia timebat ut fratres Bronienses illum in servitium vellent retinere. Quod minime cogitaverant fratres. Donum ergo Dei non debuerat silendo miser abscondere, sed alacriter propalare, atque cum eo cuncti fratres supernam virtutem laudando benedicere.

Epilogus.

33. His igitur de sanctissimi martyris prælibatis virtutibus, paucis valet quisque fidelium agnoscere [6] quam sit venerabilis in cœlestibus regnis qui apud mortua ossa tanta operatur in terris. Gloriosus namque est iste agonista Eugenius in regis æterni palatio, cujus exanimes artus talia atque tam mirifica agere queunt in sepulchro reposti modo. Tripudiat plane hic sanctus præsul multipliciter in choro angelorum,

[1] *cod.* pauperculis. — [2] *cod.* crotias. — [3] *cod.* sepultus. — [4] *cod.* visitare. — [5] *cod.* sua. — [6] *cod.* agnosceret.

cernens indesinenter regem ipsorum, cujus nimio succensus amore cunctas respuit sinceriter pompas instantium seculorum. Vilipendit sane omnia seculi hujus commoda, ut perfrui valeret superna qua nunc gaudet ineffabili lætitia. Nos itaque quotidie istius magni martyris prospicientes deifica signa, cunctis viribus animi corporisque veneremur illius pretiosissima pignora, quo mereamur interius et exterius per ipsius merita tueri ab omni adversitate et eripi de antiqui hostis subtili dolositate, qui protoplastum paradisi nudavit [1] felicitate. Multa siquidem fiunt prodigia apud beati sæpefati sæpiusque dicendi martyris Eugenii memoriam, quæ nec stilo queunt comprehendi omnia, nec reminisci præ multitudine maxima. Beata nimium Broniensis extat congregatio, quæ tanti athletæ frequenti fruitur miraculo ac gratulatur angelico mirabilique facto, quod lætificat homines, expulso procul omni incommodo; atque per ipsos benedicitur æternus rex in cœlo, cujus iste sanctus martyr nunc gaudet bravio, exultans in angelorum splendidissimo collegio et benedicens illorum suoque Domino, qui vivit et regnat [in] secula. Amen.

Annectitur miraculum quo monachus a præcipitio servatur.

34. Unum adhuc valde stupendum atque laudabile miraculum huic opusculo annectere ratum duximus, quod Dominus ad laudem et gloriam militis [2] sui Eugenii in vico operari dignatus est Namuco. Eademque tempestate qua timor Hungrorum (1) omnes invasit qui morabantur in regno Lotheriense, devectus est isdem emeritus Christi miles Eugenius ad memoratum portum, ibique susceptus est officiosissime a Berengario (2), illustri comite, et intra ecclesiam sancti Hilarii collocatus. Accidit interea ut quidam clericus Leodicensis illo adveniret, nomine Wulgerus. Qui quadam die in domo memorati comitis vino nimium est madefactus. Cumque jam hora advenisset vespertina, et ipse cum aliis multis ad hospitium suum regredi conaretur, relicto aditu portæ per quem

[1] *cod.* nudaum. — [2] *cod.* militi.

(1) De Hungaris cfr. *Act. SS.*, tom. XIII Oct., in Commentario de S. Foillano, num. 26, pag. 434. — (2) De Berengario cfr. *Act. SS.*, tom. II Oct., pp. 226, 227, numm. 25-29.

ceteri egressi sunt, iter devium nimisque arduum arripuit, prohibentibus cunctis cum quibus gradiebatur, ne tam periculosum atque inmeabile aggredi tentaret iter. At memoratus clericus verba illorum flocci pendens, dixit se orationis gratia ire [1] ad sanctum Eugenium, qui, ut supradiximus, in ecclesia sancti Hilarii erat positus. Retinere autem illum cum vellent qui cum eo erant, timentes ne in frusta membra ejus colliderentur, si de rupe miræ altitudinis in qua stabat descenderet, repente antequam illum tangerent ex cacumine falisiæ sese præcipitem dedit. Qui, mirum dictu, ita incolumis ad terram pervenit ut non solum corporis sed neque vestimenti aliquam læsionem pertulit. Nulli ergo dubium fuit quod illum sanctissimi meritum Eugenii in tanto exitiabili discrimine salvavit. Mane autem facto, cum [2] didicissent homines vici illius quod factum erat, glorificantes Deum, venerunt ad ecclesiam in qua beatus jam dictus Eugenius, et obtulerunt luminaria et alia oblationum xenia.

Novus quasi prologus.

35 **. Cunctarum igitur opifex rerum pervigili sibi ancillantium affectatione, carnis ergastulo adhuc detentus, ad efferas tumidorum derogationes edomandas atque adhærentum [3] sibi humilium devotionem sublimandam, insertibilibus [4] ob copiam numerositate illos mirifice glorificat ostentationibus, inmarcessibilibusque extimo in die decorat coronis [5]. Mansuram [6] quoque gloriam divæ beatitudinis artibus cedit largus in ætheriis. Summa denique ipsius unicæ deitatis gerarchia rudibus sese animis propriæ creaturæ mirabilem incessanter propalat præsagus. E quibus ergo fragilitatis in quanto quit rimando haurire capacitas [7] humanæ, nefas fore cernitur si silentio occultetur. Quod nempe quisquis, quod absit, egerit, torpenti æquiperabitur servo, qui, sibi creditum occulans talentum, nequior ceteris a Domino dijudicatur famulis. Metu namque hujus permotus sententiæ, ad laudem sanctis-

[1] *additum ex conj.* — [2] *cod.* con. — [3] *cod.* Adarintham. — [4] *sic.* — [5] *cod.* condus *et supra lin.* cellerarius. — [6] *cod.* mansura. — [7] *cod.* capicita.

** Hactenus sat facili negotio textum emendare licuit. Sed hic in fine codicis incipit scatere mendis. Sufficiat monuisse omnia accurate fuisse a nobis excusa.

simi ipsius nominis, quæ per [1] pretiosissimum pontificem gloriosissimumque martyrem, videlicet Eugenium, dignatus est patrare, tenuo aggrediar stilo patule legentibus texendo aperire.

Puella contracta

36. Erat enim quidam, nomine Rikardus, in villa cui vocabulum est Metting (1), habens prolem nuncupatam [2] Ermesendis, cujus extrema corporis membra a primordio nativitatis ita [3] marcida ac contracta extiterant ut officium incedendi fundatenus [4] caruisset. Quadam ergo die suæ conjugi Waletrudi intimat ire se velle ad cœnobium quod constructum est in veneratione principis apostolorum Petri, causa orandi, secumque propriam deferre filiam : ut si forte ob merita [5] præcelsi antistitis magnificique martyris Eugenii, cujus venerandi artus illo honorifice venerabant collocati, divina ei medelam optabilemque sospitatem dignaret reddere clementia. Extemplo quidem illius conjunx quod depromerat ore, actu ei magno cum conamine hortatur [6] explere : *Dignum*, inquiens, *est quod ad piissima tanti viri subfragia, ob recuperandam nostræ sospitatem filiæ, una cum luminaribus devotissime oraturus citato properes incessu. Me quidem nimia corporis molestia detentam ire haud valentem, tecto relinque, tuque agilis eo haud moram facias tendere.* Hæc vicissim verbula dantes, sui genitoris bajulatur [7] puella in ulnis, ad misericordiam Christi martyris. In cujus namque comitatu collega efficitur quædam femina, quæ Sesona fuerat jure vocabulo nuncupata. Optatum ergo pervenientes ad locum, luminaria quæ secum tulerat principalem coram altare fecit noctem per omnem ardere. Ipse vero solotenus prostratus [8] expresse orbis modificatorem suæ implorabat proli dare adminiculum. Intentis denique totam peragens noctem [9] cum oraminibus : quæ illa tum vice, moderante censoris interni provisione, habere nullam meruere effectum.

[1] per *suppletum ; deest in cod.* — [2] *cod.* nomcupatam. — [3] *add. ex conj.* — [4] *sic.* — [5] *cod.* ob meritis. — [6] *cod.* ortatus. — [7] *cod.* bajulatus. — [8] *cod.* prostratum. — [9] *ccd.* nocte.

(1) Mettet, canton de Fosses.

sanatur.

37. Mane denique facto, cordis gravia producens suspiria ex intimo, suæ onustatus artubus natæ, propriam una cum sui itineris socia repedabat ad ædem. Interea villam quæ fertur Buxerias (1) pervenientes, fessi cominus latæ cujusdam residunt fossæ. Tu, zabulo persuadente, factore [1] universorum consentiente, hæc nefanda adeo stolidus protulit verba : *O sacer athleta* [2] *Eugeni, efficax te cernua mente rogitantibus adjutor, quarenum mea haud perpendisti oramina ? Cunctis autem magnificam tuæ pietatis sanctitatem* [3] *venerantibus protector, etsi non concitus, quandoque tamen extas validus. Eheu, me miserum, tuum quærentem subsidium, dimittis absque obtatum oppido meæ invalitudinis remedium. Agnoscas nempe nunquam me tua adire liminaria necessitatemque* [4] *ob nullam tibi fundere vota. Quemnum haud exaudisti habentem fiduciam in sanctitate tua ? Mea siquidem luminaria coram tuam sacratissimam lucis spiculam non emittunt aram.* Femina vero jam prætexta, quæ illius socia itineris erat, mole horum nefandorum verborum admodum perterrita, immensoque [5] cordis dolore pertacta, eum nimie objurgans infit talia : *O infelix nimium, compar pecori bruto, quid fecisti ? Quare ore temerario tam impie haud dicenda in egregium patronum adorsus es verba blasphemando ? Ergo, miser, tuum omni malitie pectus refertum pugnis fortiter cede, ne tanto pro scelere subprema tibi ultio adgrediat. Nunc et si ergo non estis misertus citatim, nonne quando superna placuerit clementia, tuæ ilico pristinam impende sospitatem filiæ ?* Dum vero vicissim hæc promerent, extendens manus puella taliter clamat : *Erige me, genitor care; erige me, genitor care.* Atque in hoc clamore, vinculis nervorum subito extensis, a patre ele... *(Reliqua desunt, nam hic desinit codex.)*

[1] *cod.* factori. — [2] *cod.* alleta. — [3] *cod.* sanctitate. — [4] *cod.* necessitateque. — [5] *cod.* immensaque.

(1) Bossière, dépendance de Saint-Gérard, prov. de Namur.

[MIRACULA S. EUGENII DIOGILI FACTA] (1).

Procemium.

1. Temporibus gloriosissimi primi Pippini regis, dum adhuc beati martyris et pontificis Christi nomen occultum haberetur ac lucerna Domini non supra montem, sed sub modio esset posita, nolens redemptor quod multis futurum erat ad utilitatem, amplius manere non divulgatum, mirabile dedit indicium quod multis profuit, tam magnis quam parvis, ad utilitatis incitamentum.

Miles Pippini regis sanatur ad sepulcrum S. Eugenii.

2. Erat quidam miles præfati principis, nomine Hetilo, princeps cubiculariorum, ipsi duci affinitatis consanguinitate conjunctus ac nimia dilectione adscitus, quem immensus capitis dolor ita acerbe invaserat ut simul cum auditu perderet et visum, frustrato omnium qui aderant medicorum solatio. Quod cernens dominus ejus, despiciens medecinam carnalem, ubi ipse miles in modum mulieris a Domino curatæ multa dederat et semper deterius habebat, convertit se ad spiritalem, et servorum ac ancillarum Dei longe lateque circumpositorum supplex sedulas postulat orationes, nec non sanctissimis locis memoria celebri sanctorum consecratis multorum munerum dirigit largitiones. Aguntur hæc in palatio quod dicitur Vermeria (2). Interea lustrantur civitates ac diversa monasteria, tandemque pervenitur ad locum qui memoria præcellentissimorum Christi martyrum, Dionysii, Rustici et Eleutherii, habebatur insignis. Tribuuntur sanctis diversi generis et ponderis ipsiusque loci fratribus munera ac suppliciter beatorum martyrum et fratrum pro eo postulantur beneficia. Sequenti igitur nocte adstitit ipsi ægroto in prædicto palatio jacenti, pene contiguo morti, senex canis decoratus candidissimis, voceque illum affabili ac dulci eloquio hortatur, dicens: *Surge, frater, et posse tuo*

(1) Ex eodem codice, scilicet Lectiones VII, VIII et IX Officii S. Egenii. Lectiones reliquæ, I-VI, conveniunt cum textu jam edito ex cod. Namurc. 15 *(Anal. Boll.*, t. II, p. 131). — *Diogilum*, nunc *Deuil* (arrondt Pontoise, Seine-et-Oise). — (2) Verberie (arrondt Senlis, Oise).

iter accelera, fratrisque et condiscipuli nostri Eugenii visitare non differas limina, quoniam ejus qui in villa nomine Diogilo cubans prope ab æde nostra duo distat milliaria intercessione, tam capitis quam omnium membrorum tuorum consequeris sanitatis commercia. Qui expergefactus valde diluculo, navim accelerare jubet, cupiens implere quod sibi fuerat imperatum. Ipsamque conscendens, quantum facultas fuit, iter arripuit navigio; postea equorum ad jam dictum locum vectus est auxilio. Quo perveniens, quibus suspiriis, gemitibus fletibusque ibi se devoverit, non reor adscribendum. Qui dum ibi jaceret, subito somno parumper arripitur, exsurgensque sanum voce clara se confitetur. Fit magnum gaudium tam duci quam propriis satellitibus, quia videbant sanum quem letali morte detulerant infirmum. Tunc ipse miles, precibus almi Eugenii Deo annuente reddita sibi sanitate, veloci cursu petiit pretiosissimorum Christi martyrum, Dionysii, Rustici et Eleutherii, monasterium, atque ipsum locum multis honoribus et variis muneribus ditans, sanctorum prædictorum martyrum discipulique eorum Eugenii precibus se obnixe commendavit, ac cum omni apparatu gaudens ad dominum suum repedavit.

Sanantur eodem tempore mulieris oculi.

3. Sub eodem ferme anno mulier quædam, nomine Rictrudis, ex pago Rotamagense [1], prope ipsius civitatis villam, oculorum ita debilitata erat luminibus, ut aliquam scintillam solis intueri minime valeret, quamvis sana et incolumis visu esse videretur. Parentes vero ejus, qui erant nobiles, dolore infirmitatis ejus perculsi, cœperunt illam ducere ubicumque sanctorum nomen celebre repperire potuissent. Quod facientes venerunt juxta prædium quod Diogilum dudum prænominavimus. Et audita fama tanti martyris, de miraculo quod factum fuerat, ad ecclesiam illius eam duxerunt. Quam ingressa, interjecto quasi duarum horarum spatio, mox tela ab oculis illius dirupta [3] luminis illius clarum et incolumem manifestavit visum, quasi hactenus cæcata nequaquam fuisset. Postmodum circa sanctum martyrem ita fervens esse

[1] *sic.* — [2] *cod.* cuiius. — [3] *prius* disrupta, *sed punctum delens sub* s.

cœpit ut semel aut bis ipsum locum visitare non desisteret. Asserebatur autem a pluribus quod consanguinea fuerit Hetilonis, cujus superius memoriam fecimus, et ipsa quæ supra nuper et modo facta diximus ab ipsa sub vera et firma fide didicimus.

Eodem tempore sanatur contractus.

4. Interea dum beati martyris Eugenii fama orbem circumvolat ob diversarum sanitatum operationem, puerulus quidam ex pago Meldico, ex loco qui dicitur Villa Nova (1), calcaneis adhæsis post tergum natibus ad venerabilem locum deducitur, ibique a parentibus ipsi martyri in posterum serviturus traditur. Sicque nervorum et compagum illius duritia mollificata ac nutu Dei prædictique martyris oratione laxata sunt, quas[i] nunquam hujus pœnæ aliquod dispendium pertulisset. Actum hoc temporibus præcellentissimi Pippini primi regis, ac custode ejusdem ecclesiæ nomine Ypporii.

Miles Caroli Magni ibidem sanatur a dolore lateris.

5. Igitur beatæ memoriæ rege Pippino in ecclesia pretiosissimorum Christi martyrum, Dionysii, Rustici et Eleutherii, ipso rogante pronum humato, diversis interpositis rebus et altercationibus inter Karolum et Karlomannum, quod non est hujus temporis disserendi negotium, principatus totius regni Karoli, Christo largiente, devenit sub regimine. Cujus tempore extitit quidam Milo, nobilis genere, ex Burgundia, domino suo valde carus. Qui dum, ut mos militum est, pergeret ad dominum suum, in ipso itinere gravi lateris dolore arripitur ac tandem vix multis secum militantium ad ecclesiam Christi martyris Eugenii manibus devehitur. Ubi tunc temporis custos Adhelardus præesse videbatur. Qui infirmum devote suscipiens et oleo saluti infirmorum præparato perungens, Dominum trinum et unum invocans auctoremque unctionis beatissimum Jacobum et Christi sæpefatum martyrem deprecans, ante altare stravit diuque jacere fecit. Qui surgens ita se sanum esse dixit ac si nunquam ipsius infirmitatis impedimentum in aliquo perpessus fuisset.

Puella cæca sanata,

6. Alio vero anno, ecclesiæ hostibus procul deturbatis ac

(1) Villeneuve ? (Seine-et-Marne, arr. de Meaux, canton de Dammartin.)

punita tamen ob votum neglectum.

pace fidelibus undique largita, advenit puella quædam ab Ebroicas civitate, oculorum lumine vacuata, ad prædictum sanctum pontificem et martyrem Eugenium. Ibique se devovit omnibus affuturam vitæ suæ annis et capaticum suum daturam. Quo facto ita sana effecta est ut nec signum cæcitatis in ea aliquod repperiretur. Sanitate vero percepta, ad propria reversa est. Interpositis vero multis diebus, oblita est pactionis suæ. Qua neglecta, cæcitas permaxima eam iterum invasit, ita ut vix manu duceretur. De sanitate autem desperans et quasi ruborem de pacta ratione habens, licet invita, ducitur tamen iterum ad prædictum martyrem, omniumque annorum retro oblitorum deferens quod spoponderat, subito reddita est pristinæ sanitati, admonita in somnis ne amplius quod voverat oblivioni tradere deberet.

Dæmoniaca liberata.

7. Sub eodem ferme tempore quo hæc facta sunt quæ diximus, matrona quædam nobilis, ex pago Lugdunensi, filiam suam lunaticam, ut putabatur, fere annorum decem, venerabili martyri detulit, ac custodi ejusdem loci, nomine Isymbardo, tradidit, seque ac filiam suam precibus ipsius martyris ac orationibus presbyteri commendavit. Quæ paucis diebus ibidem commorans, ita filiam suam sanam recepit, ut nullatenus immundus spiritus ad vexandum eam amplius accedere ausus fuisset. Fatebatur autem, omnibus qui aderant audientibus, ipse dæmon, cum per diversa loca sanctorum prædicta puella duceretur, quod non antea exiret ab ea donec Eugenio præsentaretur. Ubi cum ducta fuisset, cœpit clamare, dicens: *O Eugeni, a patria quam possederam me expulisti; modo autem a parvo vasculo expellens, in tormenta me ire præcipis.* Hæc loquens voce terribili, reliquit vas quod possederat, et mater cum filia læta unde venerat repedavit. Tanta vero lætitia et timor matrem ac parentes puellæ invasit, ut gaudentes valde dicerent: *Benedictus Deus, qui precibus martyris sui Eugenii filiam quam habebamus dæmoniacam, ab omni infirmitate nobis reddidit liberam.*

Sanantur puer contractus

8. Mulier quædam, Remorum civitate progenita, immo ipsius civitatis inhabitatrix, habens filium cæcum et filiam

cum sorore sua cæca.

nervorum contractione damnatam, præfato martyri cum non parvo apparatu dirigit. Quos custos loci suscipiens, sese cum illis in orationem dedit. Oratione vero cum triduano jejunio ibidem peracto, cum missa caneretur cæcitas omnino ita reliquit puerum et contractio puellam, ut in eis nullum signum præteritæ infirmitatis repperire aliquis posset. Gratias vero non nullas agentes Deo et martyri, cum gaudio magno ad propria sunt reversi.

Sub Ludovico Pio, miles equo lapsus et casu attritus sanatur.

9. Karolo vero, cujus superius mentionem fecimus, mortuo atque Aquisgrani palatio humato, Hludowicus, filius ejus, in imperiali potestate successit, vir totius prudentiæ, tam secularis quam spiritalis. Qui qualiter conversatus fuerit in regni negotiis ac totius imperii rebus, præscribere non satagimus, arbitrantes omnibus notum esse. Sed sub cujus tempore prædictus martyr quid miraculorum gesserit, e pluribus pauca perscribere curavimus. Turonensium quidam, miles Fredegisi, beati Martini [1] monasterii abbatis (1), dum iter per pagum Parisiacum ageret ac prope locum qui Spinogilus (2) dicitur devenisset, subito casu equi cui insidebat ad terram labitur, omnibusque pene membris ita debilis redditur ut nullus vitæ ejus fiduciam haberet. Novientis (3) enim, non modicæ partis villæ quæ prædicto abbati suberat, cominus [2] esse videbatur. Servorum itaque ac consodalium manibus ad ecclesiam Christi martyris ducitur, et tam ab ipso custode quam ab omnibus oratio sedula exhibetur. Diu vero orantibus, ita incolumis redditus est ut subito diceret sese salvatum. Quod miraculum celebre factum est, et multis longe propeque positis manifestatum est. Unde Deo et martyri gratias retulerunt, qui quotidie glorificatur in sanctis suis et glorificat sanctos suos, largiens signa et mirabilia per eorum intercessionem fieri.

[1] *cod.* Martyrii. — [2] *cod.* cum nos.

(1) Fridegisus vita functus fertur anno 834 *(Gallia christ.*, tom. XIV, p. 164). — (2) Spinogilus villa in ripis Sequanæ, haud procul Parisiis, *Epinay* (Recueil des historiens de France, tom. III, p. 731). — (3) Nogent? (Seine-et-Oise, canton l'Isle Adam).

10. Interea non multis evolutis diebus, dum piæ memoriæ domnus Hloduwicus imperium Deo jubente regeret Romanorum, Hilduinus abba efficitur monasterii Christi martyrum, Dionysii, Rustici et Eleutherii (1). Cujus jussu Rainoardus vir magni ingenii ac totius prudentiæ, ita fato abbati carus erat ut multa ejus consilio faceret et libenter eum audiret. Quorum tempore extitit quidam ipsius abbati miles et propinquus, qui veniens in villam Diogilum invenit quemdam hominem quem supra diximus a beato Eugenio curatum. Cumque juberet minaciter ut custodem [1] perquireret ac hospitium præpararet, ille dixit se potius serviturum Deo et Eugenio, cujus precibus fuerat sanatus. Tunc ille dixit: *Modo videbimus si Eugenius tuus liberabit te.* Et elevato pugno cervici illius ictum pro posse inflixit. Qui elisus ad terram, dixit: *Deus beati martyris Eugenii, ulciscere de adversario tuo, qui nomen tuum blasphemare non desinit.* Ad cujus orationis vocem arripitur miles a diabolo, spumisque amplissimis et terribilibus acclamationibus in terram labitur. Videres non hominem, sed dæmonem loquentem: *Usque modo inimicus mihi factus Eugenius vascula mea et patrias tulit. Modo jam factus amicus quod non habebam porrigit. Ecce sors mea tradita mihi in perpetuum.* Qui morsibus ferocissimis homines ad se accedere volentes discindebat [2], ut pene aliquis vel propinquorum ad eum non accedere præsumeret. Cumque jam continguus morti adesset, jam quasi exanimem rapuerunt et ad ecclesiam memorati [3] martyris perduxerunt. Antequam vero ecclesiam ingrederetur, cœpit dæmon clamare et dicere per os illius qui ferebatur: *Ducite vel in infernum, priusquam ad eum me deducatis; quia, si me templum ibi dicatum ingredi viderit, non solum interiori verum inferiori excludendus sum exilio.* Hæc vero loquens, custos jam dictus advenit, reliquias martyris ferens, et ita dæmonem [4] exclusit ut homo vitæ, dæmon inferno deputaretur, ad laudem et gloriam ipsius qui

Miles in S. Eugenium protervus fit energumenus, at dein sanatur.

[1] *cod.* custode. — [2] *cod.* discendebat. — [3] *cod.* memoriti. — [4] *cod.* dæmon.

(1) Factus est abbas anno 815 *(Gallia christ.*, tom. VII, p. 352).

dæmones morte crucis in se ipso triumphans, homines ab eorum dominio eripuit et paradiso, unde eorum fraude ceciderant, restituit, præstante Dominò nostro Jesu Christo, cui est gloria, honor, laus, imperium una cum æterno Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

ACTA GRÆCA

S. EUSTATHII

MARTYRIS

ET SOCIORUM EJUS

NUNC PRIMUM EDITA

EX CODICE LEIDENSI.

Leo Allatius in doctissima sua *de Simeonum scriptis diatriba* post duas tabellas Vitarum quæ Metaphrasten auctorem non habent, tertiam adjecit " in qua, inquit, ordine suo digerentur nonnullæ Vitæ ab ipso Metaphraste conscriptæ, de quibus sane nemo dubitaverit. „ In fine vero : " Habeto nunc, ait, tibi et paucas hasce a me tanquam Metaphrastæ proprias stylo signatas. „ Tabella hæc tertia (1), Vitam et martyrium S. Eustathii et sociorum recenset, quæ ita incipit : Τραϊανοῦ τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα διέποντος, Trajano Romanorum sceptra tenente. Quam lucubrationem doctissimi logothetæ quum in Patrologia Græca inter Metaphrastea opera Migne non ediderit, nos eam in Leidensi codice (2) repertam *Analectis* nostris duximus inserendam. Quam utinam omnibus partibus integram codex servasset! Sed negligentia librarii non uno in loco mutilavit. Quod eo magis dolendum est quum ii loci mutilati jaceant qui præcipui quidam esse videntur; recognitionem dico tum fratrum inter se, Agapii et Theopisti, Eustathii liberorum, tum dein ipsius Eustathii et uxoris Theopistæ. Quæ autem hic desunt, ex Surio et Lipomano, qui hanc Vitam latine ediderunt, suis locis addemus.

Acta S. Eustathii ad diem 20 Septembris Joannes Cleus, prædecessor noster, tractavit, judicio usus satis sobrio. Acta quidem vocat fabulosa, eo sensu ut " procul dubio multis ornamentis ab inventione vestita atque adeo hoc sensu inter fabulosa computanda „ sint (3). Quam vero longe absit ut totam Eustathii historiam inter fabulas rejiciat, sequentia ejus dicta probabunt. " Profecto in animum inducere non possum, imo nec suspicari, totum historiæ illius corpus falsum esse et a scriptoris inventione petitum, ne Eustathium ipsum ejusque uxorem et liberos mortalium albo eradamus credamusque fabulosos camporum Elysiorum heroes „ (4). Verissimum enim est quod ante scripserat (5), habere " id Acta

(1) Editio Paris., p. 129. — (2) De quo cfr. *Analect. Boll.*, t. I et II passim. — (3) *Act. SS.*, t. VI Sept., Comment. præv., num. 75. — (4) Ibid., num. 39. — (5) Num. 31.

Eustathiana peculiare inter ea forte omnia quæ in falsi suspicionem venerunt, quod sine ingentibus congestisque prodigiis ita cohæreant ut, sola Dei jugi providentia regente, intra solitum naturæ ordinem fieri potuisse videantur fere omnia quæ narrantur. Etenim si apparitiones aliquot duoque vel tria non admodum insolentia miracula dempseris, pleraque non sunt a communi rerum ordine exorbitantia, atque ita cohærent ut scrupulosissime scrutanti non solum impossibile nihil in eis occurrerit, sed vixdum aliquid unde natam ex mirabili casuum variorum connexione suspicionem commenti confirmes; ita ut fabulatorem anonymum hunc nostrum oporteat valde prudentem fuisse, qui loca varia designarit, sparsim tempora expresserit, itinera atque his similia, quæ scopuli sunt ad quos fere fabulatores allidunt, ita descripserit ut vix uspiam sui oblitus appareat; imo nihil adstruxerit quod aliorum scriptorum qui res illius temporis tradiderunt, contrarium assertis videatur, ut infra liquebit, ubi Actorum Eustathiorum chronotaxin aliquam adornabo. „ Hæc ille. Cui judicio libenter subscribimus.

Judicio autem Leonis Allatii, hanc quam edimus lucubrationem Simeoni Metaphrastæ adscribentis tanta certitudine ut nemo possit dubitare, subscribere omnino non audemus. Quamquam enim Allatio comparare me non ausim in judicandis Græcorum scriptis et quid quemque auctorem sapiat discernendo, amor veritatis nihilominus cogit me confiteri Simeonis stylum ejusque in dicendo lumina in hoc opere desiderari. Fecit quidem auctor quod Metaphrastæ proprium est ac solemne, si quid absurdi occurreret, abjiciendo aut corrigendo. Ita v. gr. apud ipsum non loquitur cervus, uti apud auctorem jam editum, sed vox auditur exinde veniens; nec Eustathius amissis liberis in desperationem agitur, ut fluvii aquis suffocare se velit. Hæc, inquam, et alia facta sunt Simeonis more modoque. At logothetæ styli nitorem frustra, opinione mea, hic quæsieris.

Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Εὐσταθίου καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ.

1. Τραϊανοῦ τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα διέποντος καὶ τῆς εἰδωλικῆς λύσσης τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἐπιδραμούσης, Εὐστάθιος ὁ μέγας, ἄρχων τῶν στρατιωτικῶν ἐγνωρίζετο καταλόγων· Πλακίδας τὸ τηνικαῦτα

MARTYRIUM SANCTI EUSTATHII MAGNI MARTYRIS ET SOCIORUM EJUS.

1. Trajano Romanorum sceptrum gerente et pagano furore universum mundum pervadente, magnus Eustathius princeps militarium inclytus erat alborum, Placidas tunc temporis vocatus. Hunc autem

καλούμενος. Ταύτην δὲ τὴν ἀρχὴν, οὐ χρυσὸς παρέσχεν αὐτῷ ὤνιον, οὐδὲ ἄλογοι χάριτες τῶν δοῦναι ταύτας [1] δυναμένων· ἀλλ' οἱ κατ' ἐχθρῶν ἀγῶνες καὶ τὰ πολλὰ νικητήρια μισθὸν αὐτῷ ταύτην καὶ ἆθλον δέδωκαν· στρατηλάτην τοῦτον ἡ Ῥωμαίων οἶδε γλῶσσα καλεῖν. Οὗτος γένει μὲν λαμπρότατος, πλούτῳ δὲ δαψιλέστατος, ἀρετῇ δὲ καὶ σεμνοῖς τρόποις ἐπισημότατος. Οὐ γὰρ ἀνδρία μόνον αὐτῷ τὸ ἐξαίρετον ἦν, ἀλλὰ καὶ πολλῷ μᾶλλον αἱ κατὰ τῶν παθῶν ἀριστεῖαι· ἐπεὶ μηδὲ ὑπέμενε, τοὺς θύραθεν πολέμους νικῶν, ἥττων αὐτὸς τῶν οἰκείων παθῶν γενέσθαι. Διὰ τοῦτο καὶ σώφρονος ἐπεμελεῖτο βίου, καὶ δικαιοσύνης ἀκριβοῦς ἐφρόντιζε. Καὶ χεὶρ αὐτῷ ἦν πρὸς τοὺς δεομένους πολυαρκής· οὐ δόρυ δεξιῶς στρέφειν μαθοῦσα μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλῷ μᾶλλον πένητας τρέφειν προδιδαχθεῖσα· καὶ τὸ λαθόντα ὀφθαλμοὺς εὖ ποιῆσαι, τοῦτο ἐκείνῳ πλέον ἢ λαθόντα ἐχθροὺς τροπώσασθαι.

2. Εἰ γὰρ καὶ ἔτι τῷ σκότῳ τῆς πλάνης καὶ τῇ περὶ τὰ εἴδωλα μανίᾳ κάτοχος ἦν, ἀλλ' ἔργοις ἀγαθοῖς ἐκόμα, καὶ ἐλαία μὲν κατάκαρπος, ὡς ὁ θεῖος ἔφη Δαβὶδ, ἐγνωρίζετο· τὸ δὲ καὶ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἵστασθαι, τοῦτο μόνον ἀπὸ τῆς πίστεως ἐκωλύετο· νέος τις Κορνήλιος κατ' ἐκεῖνο καιροῦ φαινόμενος. Ἦν δὲ αὐτῷ καὶ κοινωνὸς βίου, σπεύδουσα κοινωνὸς ὁμοίως

principatum neque auri procuraverat ipsi pretium, neque absurda gratia illorum qui dare illum poterant, verum adversus hostes certamina et multa trophæa mercedem ipsi hanc et laborum præmium dederant. Exercitus ducem hunc Romanorum novit lingua vocare. Hic genere quidem illustrissimus, divitiis vero abundantissimus, virtute autem et honestis moribus insignissimus. Non enim fortitudo solummodo ipsi eximia erat, sed etiam multo magis adversus animi motus fortia facta; quandoquidem haud passus est ea quæ foris sunt bella vincentem, inferiorem se internis motibus fieri. Propterea et castæ curam agebat vitæ, et justitiæ exactæ sollicitus erat. Et manus illi erat erga indigentes auxilii plurimi ferax: quæ non lanceam dextre torquere didicerat solummodo, verum etiam multo magis erat pauperes nutrire edocta; et clam oculis benefecisse hoc ipsi majus erat quam ex insidiis hostes in fugam vertisse.

2. Etsi enim adhuc caligine erroris et idolorum furore captus tenebatur, at operibus bonis frondescebat, et oliva quidem fructifera, ut divus ait David, palam apparebat; sed etiam in domo Dei constitui,

[1] *cod.* ταῦτας. — *Quod attinet ad anomala orthographiæ hujus codicis Leidensis, videsis specimina quæ dedimus in tomo I* Analect.

καὶ τῆς ἀρετῆς γίνεσθαι. Καὶ παῖδες δὲ ἄρενες δύο πρὸ μικροῦ τεχθέντες αὐτῷ· οὓς ἀνέτρεφεν οὕτως ὡς δῆλον εἶναι τὸ δένδρον ἐκ τοῦ καρποῦ, καὶ μὴ μᾶλλον ἀπὸ τῶν σωματικῶν χαρακτήρων ὅσον ἀπὸ τῆς ψυχικῆς εὐγενείας φαρενοῦσθαι τὴν ὁμοιότητα. Τοσοῦτον δὲ τὸ περιὸν Εὐσταθίῳ τῆς κατὰ τῶν πολέμων γενναιότητος ὡς καὶ ὀνόματι μόνῳ τοῖς ἐχθροῖς φοβερὸν γενέσθαι· καὶ ὅτι παρῆν ἀκουσθεὶς, ἱκανόν αὐτοὺς καὶ μόνον εἰς φυγὴν τρέψασθαι. Ἡνίκα[1] μέντοι αὐτῷ κατ' ἐχθρῶν ἠρέμει τὸ δόρυ, μελέτη πολέμου τὰ κυνηγέσια.

3. Καὶ δή ποτε πρὸς θήραν ἐξελθόντι ἐπεὶ ὁ σκοπεὺς ἀπήγγειλεν ἀγέλην ἐλάφων οὐ πόρρω που νέμεσθαι, ὁ μὲν στρατηγὸς, ὡς ἔθος διέταττε τοὺς θηρευτὰς καὶ διεκόσμει τὸ κυνηγέσιον. Ἐν ᾧ δὲ οὕτω τοὺς συνόντας ἀσχολεῖσθαι συνέβαινεν, ἔλαφός τις κατὰ δρυμοὺς προφανεῖσα, μεγέθει τε μεγίστη καὶ δρόμῳ τὰς ἄλλας ἀτεχνῶς παραθέουσα, τὰς ἐκείνου πρὸς ἑαυτὴν ἐπεστρέφεν ὄψεις, καὶ οἷά τις τῶν ἐπιφανῶν πολεμίων πρὸς τὴν αὐτῆς ἠρέθιζε[2] τὸν στρατηγὸν συμπλοκήν. Τῶν μὲν οὖν νῦν θηρευτῶν τοὺς ἄλλους ὥσπερ διέταξεν οὕτω δὴ καὶ πράττειν περὶ τὴν τῶν ἐλάφων ἀγέλην ἀφῆκεν· αὐτὸς δὲ κατ' ἐκείνης μετ' ὀλίγων τινῶν χαλινὰ πάντα χαλάσας ἀκρατῶς ἤλαυνεν. Εἶτα τῶν ἄλλων ἤδη πεπο-

hoc solum a fide impediebatur. Junior aliquis Cornelius per illud tempus videbatur. Erat autem ei consors vitæ, studens consors similiter et virtutis fieri. Et filii quoque duo paulo ante geniti ipsi, quos enutriebat ita ut manifesta esset arbor ex fructu, et haud magis ex corporalibus signis quantum ex animi nobilitate appareret similitudo. Tanta autem erat excellentia Eustathio circa res bellicas virtutis, ut vel nomine solo hostibus terribilis evasisset ; et quod aderat auditus satis erat ipsis hoc solum in fugam vertendis. Quando autem ab hostibus quiescebat lancea, meditatio belli venatio.

3. Atque aliquando ad venationem egresso postquam speculator annuntiasset gregem cervorum haud procul alicubi pascere, dux quidem, uti mos est, disponebat venatores et ordinabat venationem. Quum vero sic eos qui cum eo erant, labori vacare contingeret, cervus quidam per querceta apparens, proceritate maxima et cursu ceteris nullo negotio præcurrens, ipsius ad se vertit oculos, et qualis quis insignium hostium ad suum irritabat ducem congressum. Itaque, modo venatorum reliquos uti disposuerat circa cervorum gregem ut facerent dimisit ; ipse autem adversus illum cum paucis

[1] *cod.* ἡνίκα. — [2] *cod.* ἠρέθιζε.

νηκότων, μόνος αὐτὸς εἴχετο τῆς διώξεως, οὔτε τοῦ ἵππου [1] αὐτῷ καμόντος, οὔτε μὴν ἐκείνου τῆς ὁρμῆς [2] λήξαντος, ἕως ἡ ἔλαφος μονοθέντα τῶν ἄλλων ἰδοῦσα, ἐπ' ἀκρώρειάν τινα καὶ ἀπορρῶγα πέτραν κρεῖττον ἢ κατ' ἐλάφου φύσιν ἀναπηδήσασα, ἔστησέ τε τοῦ δρόμου τοὺς πόδας καὶ τὸν θηρευτὴν τῆς διώξεως. Τόδε [3] ἦν ἄρα οὐ θήρας ἐγγὺς γενέσθαι τὸν θηρατήν, ἀλλ' αὐτὸν ὀφθῆναι τῷ διωκομένῳ θήραμα. Περισκοπῶν γὰρ ὁ στρατηλάτης ὅθεν ἂν αὐτῷ περιγένοιτο ἐπαναβῆναί τε τῇ πέτρᾳ καὶ μὴ τηλικούτου θηράματος ἀστοχῆσαι, ἀντιθηρεύεται θείᾳ μᾶλλον αὐτὸς καὶ μεγάλῃ σοφίᾳ. Ὕπερθε γὰρ τῆς κεφαλῆς τοῦ ὀφθέντος ἐλάφου καὶ παρ' ἑκάτερον αὐτοῦ κέρας ὁ τοῦ σωτηρίου σταυροῦ τύπος ἐνεσημαίνετο, λαμπροτάτῳ λίαν καὶ φωτοειδεῖ χρώματι· μεταξὺ δὲ τῶν εἰκονισμάτων τοῦ πάθους αὐτὸς ὁ σαρκὶ παθὼν [4] δι' ἡμᾶς ὥσπερ ἐν πίνακι τῷ ἀέρι διεμορφοῦτο. Καὶ φωνή τις ἐκεῖθεν συνεξηκούετο τοῖς θεάμασι·

4. Πλακίδα, λέγουσα, τί με διώκεις; Ἔτι γὰρ οὕτω καλούμενος ἦν ὁ Εὐστάθιος. Ἐγὼ δέ εἰμι Χριστὸς Ἰησοῦς, ὁ ταῖς σαῖς ἡσθεὶς [5] ἀρεταῖς, καὶ μὴ καλὸν εἶναι κρίνας τοσοῦτον ἀρετῶν πλοῦτον ὑπὸ βαθεῖ σκότῳ τῆς εἰδωλολατρίας καλύπτεσθαί τε καὶ εἰς μάτην αὐτὰς ἀπόλλυσθαι. Οὐδὲν γὰρ ἄλλο με καὶ εἰς γῆν ἐλθεῖν παρεσκεύασεν ἐν εἴδει τούτῳ ᾧ με ὁρᾷς.

quibusdam, frenis omnibus laxatis vehementer cucurrit. Deinde, ceteris jam fatigatis, solus ipse institit persequendo, neque equo ejus fatigato, neque ipse impetum remittens, donec cervus solitarium ab aliis videns in eminentem quamdam ac præruptam rupem, majori quam cervi natura fert saltu insiliit, cohibuitque a cursu pedes venatoremque a persecutione. Hoc autem erat non prope feram fieri venatorem, sed ipsum cerni illi quem persecutus fuerat venatum. Circumspiciens enim dux unde sibi contingeret ascendere petram et non a tanto venatu aberrare, contra venatur divina magis ipsum ac magna sapientia. Supra enim caput conspecti cervi et inter utrumque ejus cornu salutaris crucis imago expressa erat, fulgido valde ac lucido colore. Medius vero inter figuras passionis ipse qui in carne passus est propter nos, ut in tabula aeria forma apparuit. Et vox quædam exinde simul audiebatur cum spectaculo :

4. *Placida*, inquiens, *quid me persequeris?* — adhuc enim ita vocabatur Eustathius — ***Ego sum Christus Jesus, tuis gaudens virtutibus, nec æquum esse judicans tantarum virtutum opes sub profundis tenebris idololatriæ abscondi et in vanum eas deperdi. Nihil enim aliud me in***

[1] *cod.* ἴππου *et sic deinceps passim.* — [2] *cod.* ὀρμῆς. — [3] *cod.* τὸ δὲ. — [4] *cod.* παθῶν. — [5] *cod.* ἡσθής.

Θεὸν ὄντα καὶ οὐρανοὺς οἰκοῦντα καὶ ὑπὸ νοερῶν δυνάμεων προσκυνούμενον, ἢ φίλτρον τὸ πρὸς ἀνθρώπους καὶ τὸ σῶσαι πάντας αὐτοὺς βούλεσθαι. Ὁ Πλακίδας οὖν πρὸς τὴν οὕτω ξένην μορφήν τε καὶ φωνὴν ἐκπλαγείς, τοῦ ἵππου εὐθὺς καταπίπτει· τοῦτο μὲν οὐ φέρων τοιούτοις προσβάλλειν θεάμασι καὶ ἀκούσμασι, τοῦτο δὲ καὶ τιμῶν ἐκ τῶν παρόντων τὸν χρηματίζοντα. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἀνήνεγκε τῆς πολλῆς καταπλήξεως καὶ ἐν ἑαυτοῦ ἤδη κατέστη· Τίς εἶ, Κύριε; σὺν μεγάλῳ ἤρετο φόβῳ ψυχῆς. Καὶ πάλιν ἀκούει φωνῆς ὁμοίας τοῦ ἱεροῦ ὁμοιώματος ἐκείνου ἀπηχουμένης· Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς ὁ Χριστός, ὁ τὸ πᾶν ἐκ μὴ ὄντων ὑποστησάμενος, χερσί τε οἰκείαις τὸν ἄνθρωπον διαπλάσας, καὶ μὴ μέχρι τούτου τὴν φιλανθρωπίαν ἐπιδειξάμενος, ἀλλὰ καὶ συντριβέντα πάλιν ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας ἀνορθωσάμενος. Καὶ ἑξῆς [1] καταλέγει πάντα· τὴν τῆς σαρκὸς πρόσληψιν, τὸν σταυρὸν, τὸν θάνατον, τὴν ταφὴν, ἐξ ὧν ἡ ἐλευθερία τῷ ἡμετέρῳ γένει, δουλωθέντι, τῷ ὄντι κειμένῳ, περιεγένετο, ἡ πρὸς οὐρανόν τε ἄνοδος καὶ ἡ τῶν ἀφάτων κοινωνία. Ὧν ἀκούσας Εὐστάθιος καὶ κατὰ Παῦλον τὰ θεῖα καὶ αὐτὸς μυσταγωγηθείς, πιστεύει τε οἷς ἤκουσε καὶ οἷς εἶδε, καὶ δείκνυσιν ἐκ τῶν ἔργων τὸν οὐράνιον γεωργὸν ἐκεῖνον οὐκ εἰς πέτρας τινὰς, οὐδ' εἰς ἀκάνθας, ἀλλ' εἰς τὴν ἀγαθὴν γῆν καταβεβληκότα

terram ire coegit in specie hac qua me vides, Deum ac cœlos inhabitantem atque ab intellectualibus virtutibus adoratum, quam ardentissimus erga homines amor et servandi omnes ipsos voluntas. Placidas igitur ad tam miram formam ac vocem obstupefactus, ex equo statim dilabitur, partim quidem haud ferens tantis impingere visionibus et oraculis, partim vero etiam honorans ex iis quæ aderant eum qui loquebatur. Postquam vero recreatus est ex magno stupore et sui jam compos factus: *Quis es, Domine?* cum magno interrogabat timore animæ. Ac rursus audit vocem similem ex sacro simulacro illo sonantem: *Ego sum Jesus Christus, qui universi ex nihilo substantiam feci, manibusque propriis hominem formavi; neque eatenus tantum erga homines amorem monstravi, sed et contritum rursus a peccato erexi.* Ac deinceps enumerat cuncta, carnis assumptionem, crucem, mortem, sepulcrum, ex quibus libertas nostro generi, in servitutem redacto, revera prostrato contigit, et in cœlum ascensus et mysteriorum communio. Quibus auditis Eustathius, et divina sicuti Paulus ipse quoque arcana edoctus, credit quoque iis quæ audiverat ac viderat, et demonstrat ex operibus cœlestem agricolam illum, non in saxa quædam

[1] *cod.* ἐξῆς *et sic mox iterum.*

τὰ σπέρματα. Ταύτῃ τοι καὶ εἰς τὸν ἑξῆς χρόνον τοὺς καρποὺς ἀξίους τῆς πίστεως δίδωσι· καὶ τῆς θαυμαστῆς ἀκούει φωνῆς, ἀφικέσθαι μὲν εἰς τὴν πόλιν αὐτῷ κελευούσης, προσελθεῖν δὲ τῷ τῶν χριστιανῶν ἱερεῖ καὶ παρ' αὐτοῦ θᾶττον [1] τῷ ζωοποιῷ βαπτίσματι καθαρθῆναι σὺν ἅμα [2] γυναικὶ καὶ τοῖς τέκνοις, εἶθ' οὕτως ἐνταυθοῖ πάλιν ἐπανελθεῖν.

5. Ὀφθήσομαι γάρ σοι καὶ αὖθις, ἔφη, καὶ ὑποδείξω τὰ μέλλοντα καὶ φανερὰ ποιήσω τὰ τῆς σωτηρίας μυστήρια. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ χρηματίζων Θεός. Ὁ δὲ στρατηλάτης οἴκαδε ἀφικόμενος, κατὰ μέρος ἕκαστα [3] τῇ γυναικὶ διεξῄει ὅσα τε ἴδοι καὶ ὅσα τῇ ἀκοῇ δέξαιτο. Οὔπω τέλος εἶχον αὐτῷ οἱ λόγοι, καὶ ἡ γυνὴ εὐθὺς, ἐπεὶ μηδὲ αὐτὴ ἀφείθη τῶν ἀπορρήτων τούτων ἀγαθῶν ἄγευστος· Ὦ κύριέ μου, τὸν ἐσταυρωμένον, ἔφη, ἑώρακας, ὃν τὸ χριστιανὸν γένος εὖ ποιοῦντες τιμῶσιν. Εἶτα προσετίθει καὶ τὰ παρ' ἑαυτῆς. Ὄνειροι γὰρ ἐπιστάντες αὐτῇ θεῖοι τὰ μεγάλα εὐηγγελίσαντο· ὅτι Σύ τε καὶ ὁ ἀνὴρ ὁ σὸς καὶ τὰ τέκνα αὔριον ἐλεύσεσθε πρός με, καὶ ἀκριβῶς εἴσεσθε [4] Ἰησοῦν ἐμὲ τὸν Χριστὸν εἶναι, τοὺς ἐμὲ φιλοῦντας δυνατὸν ὑπάρχοντα σώζειν. Εἴπερ οὖν ἄριστόν σοι δοκεῖ, ἄνερ, μὴ ἀναβολαῖς καὶ χρόνῳ τὴν κτῆσιν τοῦ ἀγαθοῦ παραπέμψωμεν· μηδὲ νωθεῖς ὀφθῶμεν, κέρδους ἡμῖν τοιούτου δηλαδὴ προκειμένου· ἀλλὰ τῇ

neque in spinas sed in bonam terram jacientem semina. Illa igitur hora et in sequens tempus fructus fide dignos dat; et mirabilem audit vocem, abire in urbem ipsum jubentem accedereque ad christianorum sacerdotem et ab ipso celerius vivifico baptismate mundari una cum uxore ac liberis, deinde sic eodem iterum reverti.

5. *Apparebo enim tibi iterum*, inquit, *et monstrabo futura et manifesta faciam salutis mysteria.* Et hæc quidem locutus Deus. Dux vero domum reversus per partes singula uxori exposuit, quæque visu, quæque auditu acceperat. Necdum finem habebant ipsius sermones, quum mulier, quandoquidem nec ipsa relicta fuerat ineffabilium istorum bonorum ignara: *O domine mi, Crucifixum,* inquit, *vidisti, quem christianorum genus bene faciens honorat.* Deinde adjunxit ea quæ ipsi acciderant. Somnia enim incidentia ipsi divina magnarum rerum bonum nuntium attulerant, quod *Tu et vir tuus et liberi cras venietis ad me, et accurate scietis Jesum me Christum esse, me diligentes potentem salvandi.— Si igitur optimum tibi videtur, mi vir, ne dilationibus et tempori possessionem boni permittamus, neve cæci videamur, lucro nobis tanto jam proposito, sed nocte hac gratiam lucremur, et ad christiano-*

[1] *cod.* θάττον. — [2] *cod.* ἅμα. — [3] *cod.* ἕκαστα. — [4] *cod.* εἴσεσθαι.

νυκτὶ ταύτῃ τὴν χάριν ἐμπορευσώμεθα, καὶ τῷ τῶν χριστιανῶν ἱερεῖ προσελθόντες τύχωμεν οὗ μέγα τυχεῖν, τοῦ ἱεροῦ φημι καὶ θείου βαπτίσματος. Τοιαῦτα ἡ βοηθὸς τῷ ὄντι καὶ σύμβουλος ἀγαθὴ, καὶ ἀπεναντίας ἔχειν τῇ προμήτορι φαινομένη. Νυκτὸς οὖν ἤδη μεσούσης, τὰ δύο τέκνα λαβόντες καὶ τοὺς πιστοτάτους τῶν οἰκετῶν, τὴν ἐκκλησίαν καταλαμβάνουσιν.

6. Εἶτα καταμόνας τῷ ἱερεῖ συγγενόμενοι, λέγουσί τε ὅσα διὰ τῆς μεθ' ἡμέραν ὀπτασίας καὶ τῶν τῆς νυκτὸς ὀνείρων μεμυσταγώγηνται. Ἐφ' οἷς ὁ ἱερεύς· οὐδὲ γὰρ ἀμαθὴς ἦν ὥστε [1] μὴ συνιέναι τὰ εἰρημένα, ἀλλὰ καὶ θείας χάριτος ὁ Ἰωάννης ἠξιωμένος, τοῦτο γὰρ αὐτῷ ὄνομα, ἥσθη τε λίαν καὶ παραχρῆμα ὥσπερ ἔθος κατηχήσας [2] αὐτοὺς, εἰς ὄνομα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος τῷ βαπτίσματι τελειοῖ· καὶ Πλακίδαν μὲν τὸν στρατηλάτην μετονομάζει Εὐστάθιον, τὴν δὲ γυναῖκα Τατιανὴν, Θεοπίστην· οὐκ ἀνασχόμενος μὴ τῇ μεταβολῇ τοῦ βίου μεταβολὴν δοῦναι καὶ τοῖς ὀνόμασιν· ὡς δὲ καὶ τοὺς παῖδας, τὸν μὲν πρωτότοκον Ἀγάπιον, Θεόπιστον δὲ τὸν μετ' ἐκεῖνον κατονομάζει. Πρὸς τούτοις μεταδίδωσι τῶν ἁγιασμάτων, τοῦ δεσποτικοῦ φημι σώματός τε καὶ αἵματος. Ἔπειτα καὶ τὰ ἀγαθὰ αὐτοῖς ἐπευξάμενος, χαίρων χαίροντας ἀποστέλλει· Ἄπιτε, λέγων, Χριστοῦ τῆς ἀληθοῦς εἰρήνης ὑμῶν προπο-

rum sacerdotem accedentes, fruamur quo magnum est frui, sancto, inquam, ac divino baptismate. Talia auxiliatrix revera ac consiliaria bona, ac oppositam partem tenere progenitrici (Evæ) visa. Nocte igitur jam media, duobus liberis assumptis ac fidissimis servorum, ecclesiam capessunt.

6. Deinde secreto sacerdoti congressi, edicunt quanta diurna visione ac nocturnis somniis edocti fuerant. De quibus sacerdos, non enim imperitus erat ut non intelligeret quæ dicebantur, sed etiam divina caritate Joannes digne munitus, hoc enim ei nomen, et gaudebat valde, et illico, uti mos, catechizatos illos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptismate perficit, et Placidam ducem mutato nomine nominat Eustathium, mulierem Tatianam Theopisten, haud ferens non in mutatione vitæ mutationem dare et nominibus; sicuti et pueros, primogenitum quidem Agapium, Theopistum vero illum qui post hunc erat, denominavit. Insuper illis communicavit sacra, Dominicum, inquam, corpus et sanguinem. Postremo bona illis apprecatus, gaudens gaudentes dimittit : *Abite,* inquiens, *Christo, vera*

[1] *cod.* ὥστε. — [2] *ita cod., forsan pro* κατηχίσας.

ρευομένου. Πλὴν ἀλλ' ὅταν ἐν παραδείσῳ εἴητε αὐλιζόμενοι, μὴ ἐν λήθῃ τὰ γενόμενα ταῦτα, ἀλλὰ κἀμοῦ μνήμη τις παρ' ὑμῖν γενέσθω. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ, προαισθόμενος ὥσπερ οἵῳ τέλει τὸν βίον αὐτοὶ κατακλείσουσι, καὶ ζητῶν παρὰ τῶν μειζόνων αὐτοῦ τὰ μείζονα. Ἤδη δὲ ληγούσης νυκτὸς, λαβὼν ὁ Εὐστάθιος τοὺς εἰωθότας αὐτῷ συνθηρεύειν, ἐκείνους μὲν ἐπ' ἄγοραν ἐκπέμπει, τὴν ἐρημίαν ἑαυτῷ προοικονομῶν καὶ τὸ ἄνετον. Εἶτα μόνος ἐν τῷ ὄρει γενόμενος, καὶ τῷ προτέρῳ παραβαλὼν τόπῳ ἐν ᾧ καὶ θείας ὄψεως καὶ τῶν ἱερῶν ἔτυχεν ἀκουσμάτων, τὴν κεφαλήν τε τῇ γῇ προσερείσας, ᾔτει [1] τὸ πάλιν ἐκείνων τυχεῖν, θερμοτέρᾳ χρώμενος τῇ δεήσει· ἐπεὶ καὶ μετὰ τὴν γεῦσιν ὀξυτέρῳ βέλει τῆς ἡδονῆς αὐτῶν τέτρωτο.

7. Δεῖξόν μοι, λέγων, σεαυτὸν, Κύριε, καὶ γνώρισον ἃ γνωρίσειν αὐτὸς ἐπηγγείλω. Εὐθὺς οὖν ὁ σοφὸς θηρατὴς καὶ ἀνθρώπων ἁλιεὺς Κύριος, προσελθὼν ἤδη προσερχομένῳ· Μακάριος εἶ, πρὸς αὐτὸν εἶπεν, Εὐστάθιε, τοῦ λουτροῦ τοῦδε καὶ τῆς θειοτέρας ἀναγεννήσεως· εἴληφας γὰρ δι' αὐτοῦ τὸν ἀρραβῶνα τῆς ἀφθαρσίας, καὶ πρόβατον εἶναι τῆς ἐμῆς ποίμνης ἐνεσημάνθης. Νῦν οὖν πρόκειταί σοι καὶ δοκίμιον τῆς πίστεως ὑποστῆναι· καὶ γὰρ ὅσον οὔπω καὶ ὁ πειραστὴς δαίμων φθονῶν σοι τῆς δωρεᾶς περιελεύσεταί σε, πάντα λίθον κινῶν καὶ συλῆσαι ταύτην ἀποπει-

pace vestra, præeunte. Verum etiam quando in paradisi eritis aula degentes, ne obliviscamini qaæ facta sunt, sed et mei memoria aliqua a vobis fiat. Et hæc quidem sanctus ille vir, quasi præsentiens quali fine vitam ipsi clausuri essent, et quærens a majoribus se majora. Jam vero desinente nocte, sumens Eustathius suetos secum venari, illos quidem in forum emittit, solitudinem sibi procurans et quietem. Deinde solus in monte factus, et priore occupato loco in quo divina visione et sacro fruitus fuerat auditu, capite humi alliso, petit ut denuo illis fruatur, ardentiore usus oratione, quia post gustationem acriori telo voluptatis eorum vulneratus fuerat.

7. *Monstra mihi,* dicens, *teipsum, Domine, et manifesta quæ manifestaturum te ipse annuntiasti.* Statim ergo sapiens venator et hominum piscator Dominus processit ad eum qui jam accedebat: *Beatus es,* ad eum dixit, *Eustathi, lavacro hoc et diviniore regeneratione: recepisti enim per illud pignus immortalitatis, et ovem esse, mei ovilis signum habes. Nunc ergo manet te etiam explorationem fidei sustinere. Etenim quantum nunquam ante etiam tentator dæmon, invidens*

[1] *cod.* ᾔτεῖ. *Forsan pro* αἰτεῖ.

ρώμενος. Σὺ δὲ ἀλλὰ λαμπρὸν κατ' αὐτοῦ τὸ τρόπαιον ἧπερ [1] Ἰὼβ πρότερον ἀναστήσεις. Ὑψώθης μὲν γὰρ ἄχρι καὶ νῦν πλούτῳ καὶ δόξῃ καὶ εὐθηνίᾳ βίου, καὶ τέκνων ὥρᾳ καὶ πολέμων ἀνδραγαθίαις, καὶ ἄλλοις πᾶσιν ἃ τὸ εὔδαιμον ἀνθρώπῳ χαρακτηρίζει· οὔπω δὲ δῆλον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς πολλοῖς γέγονεν εἰ μὴ καθάπερ μισθὸν τῆς εὐδαιμονίας ἐμοὶ τῷ δόντι προσήνεγκας τὴν ἐπίγνωσιν. Ἐὰν οὖν καὶ μετὰ τὴν τοῦ εὐπραγεῖν στέρησιν ἀμετάβλητόν σοι τὸ εὐσεβὲς φυλαχθῇ, ἀκριβῆ παρέσχες τῆς ἀρετῆς βάσανον· καὶ θήσω σε πᾶσιν εἰς θαῦμα, καὶ ἀρχέτυπον ὑπομονῆς ἔσῃ τοῖς φιλαρέτοις· ἅτε μὴ τῷ Ἰὼβ μόνῳ ταύτην ἔχειν παραχωρήσας. Γελάσεις δὲ καὶ τοῦ ἐχθροῦ τὴν ὀφρῦν μετὰ τὴν πάλην ἡδέως, νικητὴς ταύτης ἀναφανείς. Ἔστω γάρ σοι καὶ τοῦτο τῶν λυπηρῶν παραμύθιον, ὅτι μετὰ τὸ ταπεινωθῆναί σε καὶ τὸ πικρὸν ἐκεῖνο προσέσθαι τῶν συμφορῶν ποτήριον, ἀναλήψεταί σε πάλιν ἡ χείρ μου, καὶ ὀφθήσομαί σοι ὁ ποθῶν τῷ ποθήσαντι καὶ τοῦ προτέρου ἐπιλήψῃ βίου καὶ τῆς εὐημερίας· ἐν τῷ τέλει δὲ καὶ τῷ τῆς ἐμῆς μαρτυρίας στεφάνῳ κοσμηθήσῃ [2] τὴν κεφαλήν.

8. Τοιαῦτα εἰπὼν ὁ χρηματίζων μὲν εἰς οὐρανοὺς ἀνελήλυθεν· αὐτὸς δὲ ὁ θεῖος Εὐστάθιος τὰ εἰκότα εὐχαριστήσας κατῄει τοῦ ὄρους, ἅμα

tibi donum, circumibit te, omnem lapidem movens et rapere illud tentans. Tu vero splendidum de ipso trophæum, qua via Job quondam, statues. Exaltatus quidem hucusque fuisti, divitiis et gloria et felicitate vitæ, ac liberorum flore et bellicis virtutibus, et aliis omnibus quæ res secundas homini designant: nondum autem manifestum diabolo et multitudini factum est utrum non veluti mercedem felicitatis mihi datori obtuleris agnitionem. Quando igitur vel post prosperitatis privationem haud immutata tibi pietas custodita fuerit, strictam exhibuisti virtutis probationem, et ponam te cunctis in miraculum, et exemplum patientiæ eris virtutis amatoribus, ita ut non Job soli illam habere concesseris. Videbis vero inimici supercilium post luctam suaviter, victor illius palam ostensus. Esto enim tibi et hoc dolorum solatium, quod post humiliationes tuas et acerbum illum acceptatum rerum adversarum calicem, assumet te iterum manus mea, et videbor a te, amans ab amante, et priorem accipies vitam et tranquillitatem. In fine autem etiam mei martyrii corona ornabitur caput tuum.

8. His dictis, qui loquebatur quidem in cœlos reversus est; ipse vero divinus Eustathius post æquam gratiarum actionem descendit de mon-

[1] *cod.* ἥπερ. — [2] *cod.* κοσμιθήσει. *An pro* κοσμηθήσει ?

μὲν χαίρων ἀπὸ τοῦ τέλους, ἅμα δὲ καὶ πρὸς τοὺς πειρασμοὺς ὥσπερ ἀποδυόμενος τῇ διανοίᾳ, καὶ ἤδη πάλης ἁπτόμενος. Ἐπεὶ δὲ καὶ οἴκαδε ἐπανέλθοι, ᾔδει μὲν ὁ σοφὸς ὅτι γυναικὶ κοινωνεῖν ἀπορρήτων οὐκ ἀσφαλές· ἀλλὰ ταῖς ἄλλαις πάντως. Ἐκείνην δὲ μαθὼν ἀπὸ τῶν φθασάντων οἷα σύμβουλος ἦν ἀγαθή, πάντα πιστεύει τὰ λαληθέντα· καὶ κλίναντες ἄμφω καὶ γόνατα καὶ καρδίας, δεδρακυμένοι, ἐπεὶ καὶ μεστὰ ἦν ἀγώνων τὰ διηγήματα, τῆς μεγάλης καὶ φιλανθρώπου ἐδέοντο δεξιᾶς ἐπικουρῆσαι τούτους ὥσπερ ἐν εὐκαιρίαις οὕτω δὴ κἀν ταῖς θλίψεσι. Ἡμέραι παρῆλθον οὐχὶ συχναί, καὶ λοιμὸς ἀθρόως ἐνσκήπτει βαρὺς τῇ οἰκίᾳ τοῦ στρατηλάτου· ὅς γε δὴ καταρχὰς παῖδας καὶ παιδίσκας ἐπινεμόμενος δείκνυσιν μὲν τὸν οἶκον ὅλον ἀνδραπόδων κενόν. Ἐκεῖθεν δὲ διέρπων, ἐπῄει κατὰ πάσης τῆς ἵππου καὶ τῶν ἡμιόνων καὶ τῶν βοῶν, καὶ τούτων ἀγέλας ὅλας κατενεμήσατο· ὡς ἐν βραχεῖ πᾶσαν αὐτοῦ τῶν ἀλόγων ζώων τὴν κτῆσιν οἴχεσθαι πανολεθρίαν[1]. Ἡ δὲ καλὴ αὕτη τῶν ἀγωνιστῶν ξυνωρὶς συνίει μὲν ἀρχὴν εἶναι ταῦτα τῶν πειρασμῶν καὶ προοίμιον· ἔφερε δὲ γενναίως, τῷ σοφῷ Ἰακώβῳ[2] πειθομένη, ὃς ἐπιστέλλων· πᾶσαν ἡμᾶς ἡγεῖσθαι διδάσκει χαράν, ὁπόταν δὴ ποικίλοις πειρασμοῖς περιπέσωμεν· ἡ δὲ αἰτία· ὅτι τὸ δοκίμιον, φησί, τῆς πίστεως

te, simul quidem gaudens ob finem, simul vero adversus tentationes veluti vestibus se exuens mente et jam luctam aggressus. Postquam autem domum reversus esset, sciebat quidem sapiens quod mulieri communicare arcana haud tutum : sed reliquis omnino. Illam vero cum didicisset ex iis quæ præcesserant, ut consiliaria esset bona, omnia illi credit dicta; et flexis ambo genibus et cordibus, lacrimati, quum plena essent certaminibus narrata, magnam et clementem exorabant dexteram auxilio sibi ut veniret, uti in prosperis sic quoque in afflictionibus. Dies præterierant non multi, quum pestilens morbus confestim insedit gravis domui ducis, qui ab initio pueros ac puellas depascens exhibet quidem domum universam servitiis vacuam. Inde vero serpens aggreditur omnem equam et mulos et boves; et horum greges universos devoravit, ut brevi omnis ejus brutorum animalium possessio iret in perniciem. Egregium autem luctatorum consortium intellexit quidem initia hæc esse tentationum ac procemium; tulit vero generose, sapienti Jacobo obsecutum, qui in epistola omne nos existimare docet gaudium, quando varias in tentationes inciderimus : quia probatio, inquit, fidei operari novit patientiam. Tulerunt ergo

[1] *cod.* πανωλεθρίαν. — [2] *cod.* Ἰακόβω.

ἐργάζεσθαι οἶδεν ὑπομονήν. Ἔφερον οὖν γενναίως τὰ ἐπαγόμενα· τοῦτο δὲ μόνον ᾐτοῦντο, τὸ μὴ ἀπολιπεῖν αὐτοὺς τὴν τῆς ὑπομονῆς χάριν, εὐμενὲς βλέπουσαν. Οὕτω δὲ ἀθρόως ἔρημοι καταστάντες ὧν πάντων κύριοι ἦσαν, ἀνθρώπων δηλαδὴ καὶ κτηνῶν, χαλεπόν τε ναυάγιον ἐν μέσῃ τῇ πατρίδι διενεγκόντες καὶ ὥσπερ ὄναρ τὰ συμπίπτοντα βλέποντες· ἢ μηδὲ πιστεύειν ἔχοντες ἑαυτοῖς ἐκεῖνοι εἶναι, οἱ πρὸ μικροῦ λαμπροὶ καὶ ὑπὸ πάντων ἀποβλεπόμενοι, τοὺς τῶν φίλων αἰσχυνόμενοι ὀφθαλμούς, καὶ μὴ φέροντες ἐλεεινὸν θέαμα καὶ δακρύων ἀφορμὴ κεῖσθαι γείτοσι, γνωρίμοις, πάσῃ τῇ πόλει, φεύγειν ἔκριναν καὶ πρὸς τὴν ἀλλοτρίαν ἀποδημεῖν· ὑπερορίαν ἑκούσιον ἀντὶ τῆς φιλτάτης ἑλόμενοι [1] πατρίδος, μᾶλλον ἢ τοσούτους ἔχειν τῆς συμφορᾶς μάρτυρας, καὶ μισθῷ δουλεύειν ἀγαπήσαντες καὶ οὕτως ἐπὶ ξένης ἀθλίως ζῆν ἢ ἐν εἰδόσιν οἰκεῖν μέσοις τήν τε προτέραν αὐτῶν εὐδαιμονίαν καὶ τὴν νῦν ἔκπτωσιν· οὕτως ἀνθρώποις εὖ γεγονόσι [2] ταλαιπορίας πάσης καὶ συμφορᾶς, πόνων τε καὶ κόπων καὶ παντὸς ἄλλου τῶν λυπηρῶν αἰσχύνη πολλῷ βαρύτερον. Τοῦτο γοῦν κρίναντες καὶ οὕτω πείσαντες τὰς ψυχάς, ὀλίγα τῶν ἐπίπλων ἑλόμενοι καὶ ὅσα φέρειν οἷοί [3] τε ἦσαν, μετὰ τοῦ φόρτου τῶν παίδων, ὑπὸ νύκτα καὶ σκότος ὁδοῦ τῆς πρὸς Αἴγυπτον φερούσης εἴχοντο. Εἶτα τῶν

generose quæ supervenerant; hoc autem solum rogabant ne destitueret eos patientiæ gratia, benigne aspiciens. Sic ergo repente destituti omnibus quorum domini erant, hominum scilicet ac jumentorum, molestumque naufragium in media patria passi, et veluti somnium quæ accidebant aspicientes, neque fidem habentes sibi ipsis illos esse eosdem qui paulo ante splendidi et ab omnibus suspecti fuerant, amicorum reveriti oculos et haud ferentes miserabilem aspectum esse ac lacrimarum causam vicinis, notis et universæ urbi, fugere statuerunt atque in alienam terram emigrare, voluntarium exilium præ carissima eligentes patria, potius quam tot habere infortunii testes, ac mercede servire desiderantes et sic in exteris terris calamitose vivere, quam inter scientes habitare medios priorem ipsorum felicitatem ac præsentem ruinam. Ita hominibus bene natis miseria omnigena et infortunio, laboribus atque ærumnis et omni alio dolore pudor multo gravior. Hoc ergo judicantes et sic persuasi animis, paucis instrumentis et quibus ferendis pares erant, cum sarcina parvulorum sub noctem et tenebras viam versus Ægyptum ducentem capessiverunt. Deinde ex vicinis prope eos habitantibus quidam, quibus studium

[1] *cod.* ἐλόμενοι, *et mox iterum.* — [2] *cod.* εὐγεγονόσι. — [3] *cod.* οἶοι.

ἐκ γειτόνων αὐτοῖς οἰκούντων τινές, οἷς μελέτη τὸ κακουργεῖν, κενὴν δεσποτῶν τὴν οἰκίαν αἰσθόμενοι καὶ ἄφνω ταύτης καταδραμόντες, πάντα ὅσαπερ ἦν χρυσός τε καὶ ἄργυρος καὶ τὰ τῶν ἱματίων φιλότιμα, μηδενὸς ὄντος τοῦ τὴν κακουργίαν κωλύσοντος, ἀμφοτέραις ἤντλουν· οὐδὲν ἡμερώτερον τοῦ τὸν πειρασμὸν ἐπενεγκόντος αὐτοῖς δαίμονος ὀφθέντες.

9. Κατ' ἐκεῖνο δὲ καιροῦ πανήγυρις ἦν τῇ πόλει δημοτελής· καὶ ἡ πανήγυρις τῆς κατὰ Περσῶν νίκης οἱ θρίαμβοι. Ἔδει δὲ καὶ τὸν στρατηλάτην παρεῖναι, μέγα μέρος τῆς ἑορτῆς ἐσόμενον. Ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν σχῆμα τῆς πόλεως κομιδῇ φαιδρὸν καὶ ὅλον τὸ θέατρον μετέωρον ἡδονῇ, παρῆν δὲ ὁ στρατηγὸς καὶ τῆς πανηγύρεως ταύτης ἀφηγούμενος οὐδαμοῦ, ἔκπληξις εἶχε πάντας τῇ λύπῃ σύμμικτος, μηδὲ αὐτὸν ἄγευστον [1] ἀφιεῖσα τὸν βασιλέα. Ὡς δὲ πρὸς γνῶσιν ἦλθεν αὐτοῖς ὅσα τε πάθοι Εὐστάθιος καὶ οἵαις ὁ ἐκείνου οἶκος βληθείη ταῖς συμφοραῖς, καὶ ὡς ἡττηθεὶς τοῦ πάθους καὶ τὴν αἰσχύνην οὐκ ἐνεγκὼν ἀπόδημος κατασταίη, πόρρω τῶν γνωρίμων ὀφθαλμῶν ἑαυτὸν θέμενος, ἡ λύπη τὸ ὅλον εἶχε καὶ εἰς σαφῆ κατήφειαν τὸ φαιδρὸν μετεβάλλετο, καὶ οἱ ἐν τέλει πάντες καὶ βασιλεὺς ἐσκυθρώπαζον, ἀνδρὸς τοιούτου [2] ζημίαν ὁμαλῶς φέρειν οὐχ ὑπομείναντες· ἐλανθάνε μέντοι σχεδὸν πάντας τῆς μεταβολῆς ὁ τρόπος καὶ ἡ

male agere, vacuam dominis domum sentientes et statim in illam incursantes, omnia quantacumque erant aurum et argentum et vestes pretiosas, nemine malitiam prohibente, ambabus manibus exhauriebant, ita ut nihilo clementiores tentationem ipsis inferente dæmone palam apparerent.

9. Per illud vero tempus celebritas erat urbi publicis expensis facta, et celebritas erat de Persica victoria pompa triumphalis. Oportebat ergo ut etiam dux esset præsens, pars magna festi futurus. Postquam igitur habitus urbis valde splendidus esset et universum theatrum elatum voluptate, adesset vero exercitus dux et celebritatis hujus præses nullibi, stupor habet omnes dolore mixtus, neque ipsum intactum relinquens imperatorem. Ut autem ad notitiam venit omnium quanta passus esset Eustathius qualibusque illius domus perculsa esset malis, et quomodo superatus dolore et pudorem haud ferens extorris factus esset, procul a notorum oculis seipsum constituens, dolor omnes habebat et in continuam tristitiam splendor convertebatur, et magistratus omnes, etiam imperator mœrebant, viri tanti cladem æquo animo ferre non sustinentes. Latebat utique ferme

[1] *in margine.* — [2] *cod.* τοιοῦτου.

τῆς θρησκείας μετάθεσις. Εὐστάθιος δ' οὖν ὁ κλεινὸς [1] ἅμα γυναικὶ καί τέκνοις τὴν ἐπ' Αἴγυπτον, ὥσπερ ἔφημεν, διανύων, αἰγιαλῷ τινι καὶ λιμένι προσίσχει· ἔνθα σκάφος ἀποπλέον εὑρόντες, τούτῳ ἑαυτοὺς ἐγχειρίζουσι. Καὶ τὰ μὲν τῆς θαλάσσης αὐτοῖς γαλήνην εἶχε, καὶ τὸ πνεῦμα εὐφόρως ἦγε [2] τὴν ναῦν· ἡ θάλασσα δὲ αὐτοῖς πάλιν τῶν συμφορῶν ἠγρίαινεν. Ὁ γὰρ τῆς νηὸς κύριος τὸ μὲν γένος βάρβαρος ὤν, τὸν δὲ τρόπον ἀκόλαστος, καὶ θαλάσσῃ μὲν μάχεσθαι καὶ πρὸς πνευμάτων ἀντέχειν βίας οὐκ οἶδα εἰ καλῶς ἐπιστάμενος· πρὸς μέντοι παθῶν ἀντιπνοίας καὶ σαρκὸς ἀτάκτους ὁρμὰς [3] καὶ λίαν ἐνδόσιμός τε καὶ φιλοκίνδυνος. Ἐπιβαλὼν οὖν οὗτος τὰς ὄψεις τῇ Θεοπίστῃ καὶ ἰδὼν ὅτι καλὴ, καί λίχνοις ὀφθαλμοῖς ἔμμονος, ἀσχολίᾳ. ἑάλω τε τῷ κάλλει τῆς γυναικὸς καὶ τῇ ἐκείνης ὄψει πεπηγότας εἶχε τοὺς ὀφθαλμούς. Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ πλοῦς ἔληγεν ἤδη, τότε δὴ καὶ χεῖρα ὁ βάρβαρος τῇ γυναικὶ ἐμβαλὼν, οὐ μεθήσειν ἔφασκεν, ἀλλ' εἰς μισθὸν τοῦ πλοῦ λαβεῖν αὐτὴν διετείνετο. Ὡς δὲ πάντα αὐτοὶ καταθήσειν διωμολόγουν ἐξ ὧν ὁ μισθὸς πολυπλασίως αὐτῷ ἐπιμετρηθήσεται, ἐκεῖνος οὐδὲ τὴν ἀκοὴν ὅλως ὑπεῖχεν, ἀλλὰ δεινὸν αὐτοῖς ἐμβλέψας καὶ φονικὸν, τὴν μὲν εἷλκε [4] καὶ αὖθις ἐρρωμενέστερον, ὑφ' ἧς ἀθλίως μᾶλλον αὐτὸς ἀνθείλκετο· τῷ δὲ εἰ

omnes mutationis modus et cultus mutatio. Eustathius ergo celeber ille cum uxore et liberis in Ægyptum, ut diximus, tendens, ad littus quoddam et portum advenit, ubi scapham vela facturam invenientes, ei seipsos committunt. Et mare quidem ipsis tranquillitatem exhibebat, et ventus prospere agebat navim. Pelagus vero ipsis iterum malorum efferabatur. Navis enim dominus, genere quidem barbarus, moribus vero lascivus, et cum pelago pugnare et ventorum obversari violentiæ nescio an bene doctus: certe contra motuum adversos flatus et carnis incompositos impetus et valde indulgens et periculorum amans erat. Injectis ergo hic oculis Theopistæ vidensque quod pulchra esset, luxuriosisque oculis inhærens, sine mora captus erat pulchritudine mulieris et illius vultu fixos habebat oculos. Postquam vero navigatio finem jam haberet, tunc quoque manum barbarus mulieri injecit, nec dimissurum dicebat, sed in mercedem navigationis sumere illam contendebat. Ut autem omnia ipsi se deposituros dicebant unde ipsi merces multiplex admensuraretur, ille nec audire omnino sustinuit, sed torvis illos oculis aspiciens ac cædem spirantibus, ipsam quidem denuo validius attraxit a qua misere magis ipse attrahebatur; illi

[1] *cod.* κληνός. — [2] *cod.* ἦγε. — [3] *cod.* ὁρμᾶς. — [4] *cod.* εἶλκε.

μὴ σιγῴη καὶ ἀγαπᾷ σὺν μόνοις τοῖς τέκνοις σωζόμενος· Ἀλλὰ τοῦτό σοι, ἔφη, ἐπισείσας τὸ ξίφος, τὴν σιγὴν καὶ ἄκοντι ἐπιθήσει.

10. Ἐπεπήγει μὲν οὖν εὐθὺς τῷ δέει ὁ μέγας Εὐστάθιος· καὶ χεῖρας ἅμα [1] πεπέδητο καὶ τὴν γλῶτταν· τοῦτο μὲν τῇ ἀπειλῇ τοῦ βαρβάρου πρόχειρον ἐχούσῃ καὶ ὡς οὐδὲν ἄλλο τὸν φόνον ῥᾴδιον· τοῦτο δὲ καὶ μᾶλλον τῷ ἀδοκήτῳ τῆς συμφορᾶς. Ἄκων δ' οὖν ὅμως [2] ὁ θεῖος ἀνὴρ τὰ τέκνα λαβὼν, ὁδοῦ εἴχετο ταύτης δὴ τῆς πρὸς Αἴγυπτον, πολλὰ πρὸς τοὐπίσω [3] στρέφων τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὴν γυναῖκα ὡς ἐγχωροῦν ἦν, ὁρᾶν [4] αὐτοὺς ἀποβιαζόμενος. Οὐκ ἔχων δὲ οὐδὲν ὃ δράσει, μὴ ὄντος τοῦ βοηθήσοντος, ἀπορίᾳ συνείχετο καὶ ὀδύναις ἐκόπτετο· δακρύειν γὰρ οὐχ ὑπῆν· τῆς ἀμετρίας τοῦ πάθους ὥσπερ φλογὸς τὴν φυσικὴν ὑγρότητα διανεμηθείσης, καὶ μηδὲ δάκρυον διὰ τῶν ὀφθαλμῶν στάζειν ἀπολιπούσης. Πλὴν ἀλλὰ ταύτην, ὡς πάντες ἴστε, τὴν συμφορὰν βαρυτάτην οὖσαν ἀνδρὶ γυναικὶ συνημμένῳ καὶ οὐδὲν εἰς πάθος ἔχουσαν παραπλήσιον, τὸ μέλλον ἤδη ῥηθήσεσθαι κρύπτει. Ὥσπερ γὰρ ὁ Θεὸς ἅτε δὴ ἀγαθὸς εὐεργετῶν οὐδέποτε λήγει, οὕτω δὴ καὶ τῷ πονηρῷ τοῦ κακοποιεῖν οὐδέποτε κόρος. Ὁ γὰρ γενναῖος οὗτος ἀνὴρ ὥσπερ ἡμίτομος γεγονὼς καὶ οὐδὲν ἔχων ἐπὶ τῇ συμφορᾷ τῆς γυναικὸς εἰς παράκλησιν, ὅτι μὴ τοὺς

vero nisi taceret et contentus esset cum solis liberis salvari: *At hoc tibi,* inquit, vibrans adversus eum gladium, *silentium vel invito imponet.*

10. Obstupuit ergo statim timore magnus Eustathius, et manus simul ligatus et linguam: illud quidem ob minas barbari promptam licentiam habentes et ut nihil aliud cædem facilem, hoc vero etiam magis inopinata calamitate. Invitus igitur divinus vir, liberis sumptis, viam ingrediebatur illam quæ ducebat in Ægyptum, sæpius retro vertens oculos, et uxorem, quantum locus sinebat, videre ipsos cogens. Non habens autem quidquam quod faceret, quum non esset qui adjuvaret, angustiis premebatur, doloribus affligebatur: lacrimari enim non poterat, immenso dolore quasi flamma naturalem humorem consumente neque lacrimam ex oculis stillare sinente. Verumtamen hanc, uti omnes scitis, calamitatem gravissimam viro uxori conjuncto et nihil in dolore habentem simile quod jam dicendum est abscondit. Quemadmodum enim Deus utpote bonus benefacere nunquam cessat, sic quoque maligno lædendi nunquam satietas. Nam generosus hic vir, quasi divisus medius, et nihil habens in calamitate uxoris in solatium, nisi de ipsa lamentationes, abiit liberos solos

[1] *cod.* ἄμα. — [2] *cod.* ὅμως. — [3] *cod.* τοῦπίσω. — [4] *cod.* ὁρὰν.

ὑπὲρ αὐτῆς θρήνους, ἀπῄει τὰ τέκνα μόνα ἐπιφερόμενος, ὑπόμνημα καὶ αὐτὰ τῆς τεκούσης, καὶ ὀδύναις μὲν δριμείαις βαλλόμενος τὴν ψυχὴν, φέρων δ' οὖν ὅμως καὶ τῷ Θεῷ χάριν ὁμολογῶν τῶν σοφῶν κριμάτων καὶ τῆς οἰκονομίας. Καταλαμβάνει γοῦν τινα ποταμὸν, ὃς διά τε τὴν ὀξείαν [1] φορὰν καὶ τὸ πολὺ τοῦ ὕδατος οὐ ῥᾷον διαβατὸς ἦν. Μὴ δυνάμενος τοίνυν ὁ Εὐστάθιος ἅμα [2] τέκνοις περαιωθῆναι, τὸν ἕνα πρῶτον ἐπωμισάμενος διεβίβαζεν. Ὡς δὲ τῇ γῇ καταθεὶς, τὸν ἕτερον ἐπανῄει ληψόμενος, ὁρᾷ τὸν παῖδαν [3] τοῦτον πρὸς ὃν ἠπείγετο, δεινοῦ λέοντος ὀδοῦσι διηρπαγμένον. Μέσης ἥψατό μου τῆς καρδίας τὸ πάθος [4]· οἶμαι δὲ καὶ ὑμῶν, ὅσοις ἐπὶ νοῦν τὸ πραχθὲν γίγνεται. Εἰ δὲ τῶν ἀκουόντων οὕτως, τί τὸν πατέρα παθεῖν οἴεσθε; Ἀλλὰ καὶ ταύτῃ κρείττων [5] ἐκεῖνος ἐφάνη τῶν συμφορῶν· εἰ γὰρ καὶ πατὴρ ἦν, ἀλλὰ καὶ υἱὸς ἔσπευδεν εἶναι, Πατρὶ πειθόμενος οὐρανίῳ. Πλὴν προσεκτέον καὶ ἔτι· ἔχει γὰρ καὶ ἄλλην ἐπιθήκην ἡ συμφορά. Ὡς γὰρ ὑπέμεινεν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν τὸ χαλεπὸν τουτὶ θέαμα, δεινῶς τὴν καρδίαν πληγεὶς καὶ ἀπορῶν ὅτι καὶ δράσειεν, ὡς ἀπέγνω τοῦτον, ἐπὶ τὸν ἄλλον ἐτράπετο· καὶ πρὸς ὃν ἀφῆκε λοιπὸν ἐπανῄει, τὴν μόνην ἐλπίδα, τὴν μόνην τοῦ γένους διαδοχήν· ἀλλὰ τί γίνεται; δεσμεῖταί μοι καὶ πρὸς

ducens, monumentum et ipsos genitricis, ac doloribus acerbis jactatus animo, ferens tamen vel sic et etiam Deo gratias agens sapientium judiciorum ac dispositionis. Accessit igitur ad fluvium quemdam qui propter rapidum cursum, et multam aquam haud facile transeundus erat. Non valens ergo Eustathius una cum liberis trajicere, unum primum humeris sublatum transportabat. Ut autem in terra deposuit, alterumque adit accepturus, videt puerum hunc ad quem vadebat, terribilis leonis dentibus raptum. Medullæ tanguntur mihi cordis dolore, opinor autem et vobis, quotquot in mentem factum venit. Si vero audientes ita afficiuntur, quid patrem passum esse putatis? Verum etiam hic superior ille visus est calamitatibus: etiamsi enim et pater erat, verumtamen etiam filius studebat esse, Patri obediens cœlesti. At attendendum adhuc: habet enim et aliud augmentum calamitas. Ut enim substitit oculis videre molestum hoc spectaculum, vehementer corde percussus et ignorans quid faceret, ut desperavit hunc, ad alterum conversus est, et ad illum quem dimiserat reliquum adit, solam spem, solam generis successionem. Sed quid accidit? Ligatur mihi vel ad solum nuntium lingua, et non habeo quomodo eloquar dolo-

[1] *cod.* ὀξίαν. — [2] *cod.* ἄμα. — [3] *sic.* — [4] *cod.* πᾶθος. — [5] *cod.* κρεῖττων.

μόνην τὴν ἀγγελίαν ἡ γλῶττα καὶ οὐκ ἔχω πῶς ἐξείπω τὸ πάθος. Οὔπω τῇ ὄχθῃ προσεγγίσας τοῦ ποταμοῦ, οὔπω τοῦ προτέρου παιδὸς ἀνακλαύσας τὴν συμφορὰν, ἔτι τὸ πῦρ ἐκεῖνο πνέων, ἔτι τὰ σπλάγχνα διαπιμπράμενος, θατέρῳ τε ἀτενίζων τοὺς ὀφθαλμοὺς, ὁρᾷ κἀκεῖνον· ὦ πικρᾶς θέας, ὢ κενῶν [1] ὀφθαλμῶν· λύκου στόματι διαβασταζόμενον καὶ εἰς βορὰν θηρὸς τὸν φίλτατον ἀπαγόμενον. Πῶς εἶδε; πῶς ἤνεγκε; πῶς ὑπέστη τὴν θέαν; πῶς οὐχὶ καὶ αὐτὴν ἀπέβαλε τὴν ψυχήν; Ἢ [2] πρόδηλον ὅτι θείας αὐτὸν χειρὸς ἀνεχούσης τοῦ παρακαλεῖν εἰδότος ὀδυνωμένους, καὶ ποιοῦντος ἧ [3] Παῦλός φησι σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν τοῦ δύνασθαι φέρειν. Εἰς ἑαυτὸν οὖν ἐλθὼν καὶ μόνης τῆς θείας ἐλπίδος ἐπειλημμένος [4], πάλιν ἥπτετο [5] τῆς ὁδοῦ· ξένος πλούτου, ξένος πατρίδος, ξένος γυναικὸς, παίδων· θάλασσα τῷ ὄντι κακῶν καὶ συμφορῶν ἄνθρωπος. Πλὴν ἀλλ' ὅρα πάλιν καὶ τῆς ἀφράστου προνοίας τὸ πρὸς αὐτον εὐμενές· καὶ ὅπως εἴωθε τὸ πικραῖνον αὐτῆς ἐν ἀρχῇ καὶ περίλυπον μεστὸν χαρίτων ἐν τέλει ταῖς καλαῖς ὄντως καὶ φιλοθέοις ψυχαῖς ἀπαντᾶν. Τὰ θηρία γὰρ ἃ τοὺς παῖδας [6] διεμερίσαντο, τούτων ὁ μὲν λέων ἅμα [7] καὶ τὴν ἁρπαγὴν [8] ἐποιήσατο, τὸν ποταμὸν ἀνώτερος διαβὰς, τὴν ἐπ' ἔρημον ᾔει [9]. Ἀλλ' ὁ τὴν τοῦ κήτους [10] γαστέρα πεδήσας μηδεμίαν

rem : nondum ripæ appropinquaverat fluvii, nondum prioris filii defleverat infortunium, adhuc ignem illum spirans, adhuc visceribus perustus, in alterum figens oculos, videt etiam illum, o acerbum aspectum, o inusitatum visum oculorum, lupi ore transportatum, et in cibum feræ carissimum abductum. Quomodo aspexit? quomodo tulit? quomodo sustinuit aspectum? quomodo non vel ipsam abjecit animam? Profecto clarum quod divina manus eum tenebat illius qui consolari novit afflictos et facientis, ut Paulus dicit, cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Ad seipsum ergo ingressus, et sola divina spe innixus, iterum carpit iter, viduus divitiis, viduus patria, viduus uxore, liberis. Pelagus revera malorum ac calamitatum hic homo. Verumtamen vide rursus etiam ineffabilis providentiæ erga ipsum benevolentiam, et quomodo soleat quod est acerbum ejus in initio et lugubre, plenum gratiarum in fine egregiis revera ac Deum amantibus animis occurrere. Ferarum enim quæ pueros hinc inde rapuerant, harum quidem leo statim ac rapinam fecerat, fluvio superius trajecto viam eremi ingrediebatur. Verum ille qui ceti ventrem

[1] *cod.* καινῶν. — [2] *cod.* ἧ. — [3] *cod.* ἧ. — [4] *cod.* ἐπειλημένος. — [5] *cod.* ἥπτετο. — [6] *cod.* παίδας. — [7] *cod.* ἅμα. — [8] *cod.* ἁρπαγήν. — [9] *cod.* ἥιει. — [10] *cod.* κήτους.

λύμην τῷ εἴσω ταύτης ἐπιθεῖναι προφήτῃ, οὗτος οὐδὲ νῦν πάντως ἠμέλει· καὶ γὰρ ποιμένας ἐπιδραμεῖν τῷ λέοντι παρεσκεύασε καὶ οὕτως ἀβλαβῆ [1] τὸν παῖδα καὶ ἀπαθῆ [2] κακῶν τὸ ἐκείνου στόμα πέπεικεν ἀποθέσθαι. Ὁ λύκος δὲ καὶ αὐτὸς ἀροτῆρσι περιτυχὼν [3], ὥσπερ ἐκ θαλάμου τοῦ στόματος, ἄθικτόν τε καὶ ἄδηκτον ὅλως [4] τὸ βρέφος αὐτοῖς ἀποδίδωσιν.

11. Ἐκ γειτόνων δὲ οὗτοι τὰς οἰκήσεις ἀλλήλοις ἔχοντες, οἵ τε ποιμένες, φημί, καὶ οἱ τῇ γῇ προσπονούμενοι, τὰ βρέφη ἀνελόμενοι φιλανθρώπως παρ' ἑαυτοῖς ἔτρεφον· αἰδεσθέντες εἰ μή τι ἄλλο θηρῶν φιλανθρωπίαν· ἵνα μὴ φανῶσιν ἀνθρώπων θῆρες ἐπὶ ἀνθρώπους χρηστότεροι· ἠγνώουν δὲ πάντως αὐτοί τε καί τὰ βρέφη τὴν ἀλλήλων συγγένειαν. Εἶτα μετὰ τὰς πολλὰς ταύτας πληγάς τε καὶ νίκας ὁ καρτερικὸς καὶ μέγας τὴν ψυχὴν Εὐστάθιος ἔτι καὶ τροφῆς ἀπορῶν καὶ πρὸς τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας ὁρῶν, καὶ αὐτὰς μόνας ἀφορμὴν τοῦ βίου ποιούμενος, μισθαρνῶν ἦν καὶ πόνῳ τὰ πρὸς τροφὴν κτώμενος· μᾶλλον δὲ πρὸς τὴν ἄνω χεῖρα τὴν πολυαρκῆ βλέπων, ἥπερ ἀνοιγομένη πᾶν ζῶον οἶδε πληροῦν εὐδοκίας, καὶ παρ' αὐτῆς αἰτῶν τῆς ζωῆς πρόνοιαν. Οὕτω τοιγαροῦν ποιῶν, ἀδιαλείπτως ἦν προσευχόμενος ἐν συντετριμμένῃ καρδίᾳ καὶ πνεύματι ταπεινώσεως· Μὴ ἐγκαταλίπῃς με, λέγων, ἕως τέλους,

coercuit, ut vel nulla noxa ei qui intra erat fieret prophetæ, hic neque nunc omnino curam abjecit. Etenim ut pastores incurrerent in leonem effecit, et sic illæsum puerum et intactum malis ejus os coegit deponere.

11. Lupus vero et ipse in aratores incidens quasi ex lecto oris integrum et non morsum omnino infantem illis tradit. E vicinia autem hi habitationes sibi invicem habentes, pastores inquam et qui agrum colebant, infantes adepti humane apud se enutriebant, reveriti, si nihil aliud, ferarum humanitatem, ne viderentur hominibus feræ erga homines benigniores. Ignorabant autem plane ipsi atque infantes mutuam cognationem. Deinde post multas has plagas et victorias fortis et magnus animo Eustathius adhuc victus inopia laborans, et ad suas manus respiciens et eas solas sustentaculum vitæ faciens mercede serviebat servitium et labore victum quærebat. Magis autem ad supernam manum locupletem aspiciebat, quæ aperta omne animal novit implere benevolentiæ suæ donis, et ab ipsa petebat vitæ suæ providentiam. Sic itaque faciens, indesinenter erat orans in contrito corde et spiritu humilitatis : *Ne derelinquas me,* dicens, *in finem, o amator*

[1] *cod.* ἀδλαβῆ. — [2] *cod.* ἀπαθῆ. — [3] *cod.* περιτυχῶν. — [4] *cod.* ὅλως.

φιλάνθρωπε· ἀλλὰ τῷ στόματί μου καὶ τῇ καρδίᾳ τὴν σὴν ἐπισκοπὴν θέμενος φυλακὴν, δι' ὑπομονῆς παράσχου μοι καὶ εὐχαριστίας [1] τὸ λοιπὸν τῆς ζωῆς διελθεῖν καὶ οὕτω κατάπαυσιν ἐφευρεῖν τῶν πολλῶν θλίψεων, ὅτι εὐλογητὸς εἶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἔπειτα πάλιν τῶν λυπηρῶν ἁπτόμενος καὶ ὥσπερ θρήνων ἀφορμὰς ἑαυτῷ συνάγων, καὶ σάρκα μὲν πιέζειν, πνεῦμα δὲ μέτριον ἑαυτῷ περιποιεῖν βουλόμενος, ἅμα [2] μὲν ηὐχαρίστει Θεῷ, ἅμα δὲ καὶ κατῇδεν ἑαυτοῦ τοιαῦτα· Οἴμοι, λέγων, τῷ ποτε κατὰ κόσμον ἴσα καὶ δένδρῳ θάλλοντι, νυνὶ δὲ ὡς τερέβινθος ἀποβεβληκυῖα τὰ φύλλα διακειμένῳ, καὶ ὡς παράδεισος ὕδωρ μὴ ἔχων. Ἃ τοῖς Ἰουδαίοις ποτὲ χώραν ἀπειλῆς εἶχε ταῦτά τε ἔλεγε, καὶ τὰ τοῦ συνάθλου πάλιν Ἰώβ· Τίς ἄν μοι θείη μῆνα κατὰ μῆνα ἡμερῶν τῶν ἔμπροσθεν ἡμερῶν ὧν ὁ Θεὸς ἐφύλαττέ με, ὅτε ηὔγει ὁ λύχνος αὐτοῦ ὑπὲρ κεφαλῆς μου, ὅτε Κύριος ἐπισκοπὴν ἐποιεῖτο τοῦ οἴκου μου, ὅτε ἐχέοντό μοι αἱ ὁδοὶ βουτύρῳ, τὰ δὲ ὄρη μου ἐχέοντο γάλακτι· νῦν δὲ μονώτατος καταλέλειμμαι [3], ἔρημος πλούτου, ἔρημος οἰκετῶν, αὐτῆς τῆς τοῦ βίου μου κοινωνούσης ἔρημος· οὐδὲ τὰ φίλτατα ἔχειν οἴ μοι συγχωρηθεὶς οὐδέ τινα ἄλλον τὸν παρακαλοῦντα καὶ ἀνακτώμενον. Εἶτα καὶ αὖθις εἰς οὐρανοὺς ἀφορῶν· Μέμνημαί σου, ἔλεγεν, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, εἰρηκότος δεῖν ἐμὲ

hominum, sed ori meo et cordi meo tuam inspectionem ponens custodiam, per patientiam da mihi et gratiarum actionem quod reliquum est vitæ percurrere, et sic requiem invenire multarum afflictionum, quia benedictus es in secula. Postea iterum luctus amplectens et lamentorum causas sibi cogens et carnem quidem premere, spiritum vero modestum sibi efficere volens, simul quidem gratias agebat Deo, simul occinebat sibi talia : *Eheu me,* dicens, *qui olim secundum mundum ad instar arboris florebam, nunc vero ut terebinthus amissis foliis affectus sum et paradisus aquam non habens.* Quæ Judæis aliquando locum minarum habebant, hæc dicebat, ac verba eadem certamina passi Job : *Quis ponat mihi mensem per mensem dies dierum priorum quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, quando Dominus inspectionem faciebat domus meæ, quando fluebant mihi viæ butyro, montes mei fluebant lacte? Nunc vero omnino solus relictus sum, destitutus divitiis, destitutus servis, ipsius vitæ meæ consorte destitutus ; neque carissima mihi habere, heu me, licet, neque alium quempiam consolantem et recreantem.* Deinde rursus in cœlos aspiciens : *Recordatus sum tui,* inquit, *Domine Jesu, dicentis oportere*

[1] *cod.* εὐχαριστείας. — [2] *cod.* ἅμα *et mox iterum.* — [3] *cod.* καταλέλειμαι.

τῷ Ἰὼβ ἴσους ὑποστῆναι τοὺς πειρασμούς· νυνὶ δὲ πλείω τὰ ἐμὰ ὄντα ἢ τὰ ἐκείνου βλέπω· ἐκείνῳ [1] μὲν γὰρ καὶ γυνὴ παρῆν καὶ φίλων ὄψις, καὶ πατρίδος ἔδαφος, ἡδὺ θέαμα· ἐγὼ δὲ τούτων ἐστέρημαι πάντων, πένης, ἄπαις, ἄπολις, ἄοικος, ἄφιλος, αὐτὴν τὴν κοινωνὸν τοῦ βίου πρὸς βίαν ἀφῃρημένος· ἐν μὲν τοῖς ἀλγεινοῖς ἴσος ἐκείνῳ, ἐν δὲ τοῖς παρακαλεῖν δυναμένοις οὐδὲν αὐτῷ παραπλήσιος. Ταῦτα ἔλεγε καὶ ὅσα τούτοις εἶχεν ὁμοίως [2], στεναγμοῖς καὶ δάκρυσι μόνοις τὸ πολὺ ἄχθος τῆς καρδίας ἀνέχων· ὡς ἐπ' αὐτῷ πληρωθῆναι, τὸ [3] γεγενῆσθαι αὐτῷ ἄρτον τὰ δάκρυα νύκτα καὶ μεθ' ἡμέραν. Κώμην δέ τινα, Βαδισὸς αὐτῇ ὄνομα, τῶν πολλῶν ἐκεῖνος τῆς ὁδοῦ καμάτων ὅρον ἑαυτῷ θέμενος, ἐν αὐτῇ ὁ στρατηγός, φεῦ γῆς ἀλλοτρίας αὐτουργὸς ὤν, τὴν πενιχρὰν ἐσχεδίαζε τῇ γαστρὶ τράπεζαν. Καί που τῆς κώμης πλησίον, ὢ τῆς θαυμαστῆς σου, Σῶτερ, οἰκονομίας, καὶ οἱ τούτου παῖδες διάγοντες ἦσαν· οὐδὲν μέντοι περὶ τῆς ἀλλήλων συγγενείας οὐδὲ βραχὺ ἐπιστάμενοι, οὔτ' ἐκεῖνοι, οὔτ' αὐτοὶ πάλιν τοὺς παῖδας ἀναθρεψάμενοι. Διῆγεν οὖν ἐπ' αὐτῆς πέντε πρὸς τοῖς δέκα χρόνοις ὁ στρατηγός· ὅτε μὲν τὴν γῆν αὐτὸς ἐργαζόμενος, ὅτε δὲ καὶ φύλαξ τῶν τῆς κώμης καρπῶν γινόμενος [4], καὶ ὑπὲρ τῆς φυλακῆς ταύτης μισθοφορῶν.

me Job similes perferre tentationes. Nunc vero majora mea quam illius video : ipsi enim et uxor aderat, et amicorum conspectus et patriæ solum, dulce spectaculum. Ego autem his destitutus sum omnino, pauper, absque liberis, urbe extorris, sine domo, sine amicis ; ipsam vitæ consortem per vim abstulerunt : in iis quæ dolorem afferunt, similis illi, in iis vero quæ consolari possunt nulla in re ipsi similis. Hæc dicebat et quæcumque his habebat similia : gemitibus et lacrimis solis magnum pondus cordis perferens : ita ut in ipso impleretur factum esse ei panem lacrimas nocte ac die. Vicum vero quemdam, Badisus ei nomen, multorum ille viæ laborum terminum constituens, in ipso exercitus dux, qui fugam in exteras terras sibi imposuerat, pauperculam parabat stomacho mensam. Et alicubi prope vicum, o admirabilem tuam, Salvator, dispositionem, etiam ipsius filii degentes erant, nihil tamen de mutua cognatione ne parum quidem scientes, neque illi, neque hi rursus qui pueros enutrierant. Degit ergo in illo quinque super decem tempora exercitus dux, modo quidem terram ipse operans, modo autem etiam custos vici fructuum factus et pro custodia hac mercedem accipiens.

[1] *cod.* ἐκεῖνω. — [2] *cod.* ὁμοίως. — [3] *cod.* τῶ. — [4] *cod.* γινώμενος.

12. Ὁ μέντοι βάρβαρος ἐκεῖνος ὁ κατὰ πολλὴν ὄντως ἀκολασίαν τὴν Εὐσταθίου γυναῖκα λαβὼν, φθάνει γὰρ κἀνταῦθα. τὸ χαριέστατον τῆς οἰκονομίας, ἐγαυρία μὲν καὶ ἔχαιρε ταύτην ἐν χερσὶν ἔχων· διετέλεσεν μέντοι οὐδὲν αὐτῆς ἀπονάμενος ἢ τὸ μόνον ὀφθῆναι κακός. Ἤγετο γὰρ ὑπὸ τῆς ἄνω χειρὸς, ὅπως ἄρα τῇ γυναικὶ φίλον· καὶ ὃν τρόπον τὸν Φαραὼ ἐτασμοῖς πρώην μεγάλοις καταβαλὼν ὁ Θεὸς, ἀνύβριστον τῷ ἀνδρὶ τὴν Σάρραν θεοπρεπῶς διετήρησεν, οὕτω δὴ καὶ τὴν Θεοπίστην, θανάτῳ τὸν βάρβαρον ζημιώσας ἄψαυστον [1] ἀθεμίτου μίξεως τῷ ἑαυτῆς ἀνδρὶ διεσώσατο. Τοῦ μικροῦ τοίνυν ἐκείνου [2] ἐξ ἀνθρώπων ὥσπερ ἐχρῆν οἰχομένου, ἐπὶ χώρας μένειν τῇ Θεοπίστῃ πολλή τις ἄδεια ἦν. Οὔπω δὲ δῆλον οὐδὲ τοῦτο γέγονεν Εὐσταθίῳ, ἵνα μικρᾶς γοῦν τινος ἀπέλαβε τῆς παραψυχῆς· ἀλλ' ὅρα τί τὰ ἐντεῦθεν. Ἐν ὅσῳ γὰρ ἐπράττετο ταῦτα, τὸ βάρβαρον ἔθνος ἐκεῖνο ἐφ' οἷς ἄρα ἡ Θεοπίστη διάγουσα ἦν, τὰς πρὸς τοὺς Ῥωμαίους σπονδὰς διαλύσαντες, συχνὴν τὴν ὑπὸ Ῥωμαίοις κατέδραμον γῆν, λείαν τε ὅσην περιβαλόμενοι, κακῶν ἀπαθεῖς εἰς ἤθη τὰ ἑαυτῶν ἐπανῆλθον. Τοῦτο γενόμενον πολλὴν ἀγωνίαν ἐμβάλλει τῷ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς τότε τὰ σκῆπτρα πεπιστευμένῳ. Ὅθεν εἰς νοῦν βαλόμενος ἀμῦναι Ῥωμαίοις, ἀκολούθως καὶ εἰς μνήμην ἤγετο [3] τοῦ καὶ

12. Jam vero barbarus iste qui per magnam revera lasciviam Eustathii uxorem ceperat, præoccupavit enim et hic suavissima Dei dispositio, gaudebat et lætabatur ipsam in manibus habens; permanebat tamen nihil ex ea lucratus nisi solummodo se apparere malum. Ducebatur enim a superna manu, ut sane mulieri placebat; et quemadmodum Pharaone tormentis olim magnis prostrato, Deus illæsam viro Saram divine custodivit, sic quoque Theopisten morte barbaro multato, intactam illicita mixtione suo ipsius viro conservavit. Pestilente itaque illo ex hominibus, ut par erat, sublato, in regione manendi Theopistæ multa securitas erat. Nondum vero manifestum hoc fuit Eustathio, ut parvam aliquam sumeret consolationem. Sed vide quid ibi gereretur. Quum enim fierent illa, barbarus populus iste apud quem Theopiste degens erat, fœdere cum Romanis rupto, conterminam (?) Romanis subjectam incursabant terram, prædamque quam maximam adeptus, nihil mali expertus ad consuetas suas sedes revertebantur. Quod factum multam curam injecit illi cui Romanorum imperii tunc sceptra concredita erant. Unde in animum inducens tutari Romanos, consequenter etiam in mentem veniebat illius qui

[1] *cod.* ἄψαυστον. — [2] *cod.* ἐκεῖνου *et paulo post iterum.* — [3] *cod.* ἥγετο.

τοῦτον δὴ τὸν πόλεμον ὑπελθεῖν καλῶς δυναμένου· Εὐστάθιος οὗτος ἦν. Καὶ παραχρῆμα μελλήσας οὐδὲν, πέμπει κατὰ ζήτησιν ἐκείνου Τραϊανός· οὗτος γὰρ ἦν ὁ τὴν Ῥωμαίων τότε διέπων ἀρχήν. Ἀνηρευνᾶτο τοίνυν πᾶσά τε χώρα καὶ πόλις· καὶ μισθοὶ τοῖς εὑρήσουσι προσετίθοντο, οὔτι μικροί. Πολλῶν δὲ ἄλλων εἰς πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης ἐπὶ τούτῳ[1] διασπαρέντων, ἄνδρες δύο[2] τινὲς, Ἀκάκιος οὗτοι καὶ Ἀντίοχος ἐκαλοῦντο, οἳ καὶ στρατηγοῦντι τῷ Εὐσταθίῳ διακονούμενοί τε ἦσαν καὶ στρατιωτικὴν ἐκπληροῦντες ὑπηρεσίαν, καί τι καὶ τῶν ἄλλως εἰς γνῶσιν τῷ ἀνδρὶ πλέον ἔχοντες. Οὗτοι δὴ μετὰ μακρὰν ὁδὸν καὶ τὴν κώμην ταύτην οὐκ ἀθεεὶ πάντως καταλαμβάνουσιν, ἐν ᾗ τὰ γεωργῶν μετιὼν ὁ Εὐστάθιος ἐκ τῶν χειρῶν διετρέφετο. Ἐπεὶ δὲ καὶ τῷ ἀνδρὶ πλησιάσαιεν, οὐδὲν ἐκ τῆς ἰδέας εἶχον ἐπίδηλον ἀναγνῶναι· ἠλλοίωτο γὰρ τὴν ὄψιν τῷ πλήθει τῶν λυπηρῶν, καὶ ὑπὸ τῆς πολλῆς ἐκείνης κακοπαθείας ἀσαφῆ τὰ ἴχνη καὶ ἀμαυρὰ τῆς μορφῆς ἔσωζεν. Ἄλλως τε δὲ καὶ τὸ τοῦ σχήματος δεινῶς ἰδιωτικὸν ὂν[3] καὶ παντάπασιν ἐξουδενωμένον, πόρρω τούτους ἀπῆγεν[4] τῶν γνωρισμάτων ἀνδρὸς ἐκ πολλῶν ἐπισήμου καὶ ὀλίγους αὐτῷ τοὺς ὁμοίους ἔχοντος.

13. Ὁ δὲ, ἀλλ' ἀγνωηθεὶς, ἐπέγνω· καὶ σφόδρα τοῦτο διέσειεν αὐτοῦ

hoc quoque bellum subire optime valeret. Eustathius hic erat. Ac statim moratus nihil, mittit ad quærendum illum Trajanus. Hic enim erat Romanorum tunc regens imperium. Lustrabatur igitur omnis regio et urbs, et præmia inventuris constituebantur non modica. Multis autem aliis in multas partes orbis terrarum propterea dispersis, viri duo quidam, Acacius hi et Antiochus vocabantur, qui et exercitum ducenti Eustathio servierant ac militare expleverant servitium, et aliquid etiam aliunde ad cognoscendum virum majus habentes, post longam viam etiam vicum illum non sine numine omnino ingrediuntur, in quo quæ agricolarum sunt exercens Eustathius manibus suis victum operabatur. Postquam autem viro appropinquassent, nihil ex specie habebant manifestum quo eum agnoscerent. Mutatus enim erat vultu multitudine dolorum, et ex multa illa malorum tolerantia instabilem gressum et pallorem vultus retinebat. Alioquin et habitus qui maxime plebeius erat et omnibus modis contemptibilis, longe illos abduxit ab indiciis viri inter multos insignis et paucos sibi similes habentis.

13. Ipse vero quamquam haud agnitus, cognovit; et vehementer

[1] *cod.* τοῦτω. — [2] *cod.* δῦο. — [3] *cod.* ὧν. — [4] *cod.* ἀπήγεν.

τὴν καρδίαν τοὺς γνωρίμους θεασαμένου· καὶ εἰς τὴν τῶν προτέρων πάλιν αὐτὸν ἐνέβαλλε μνήμην, πεπαυθέν τε ἤδη τὸ πάθος ἀνενεοῦτο. Πλὴν ἀλλ' ἀναλαμβάνων ἑαυτὸν ὁ γενναῖος, ἔφερε στερρῶς καὶ ἐσίγα, ἵνα μὴ πολεμίων μόνον ἀλλὰ καὶ ἑαυτοῦ κρατῶν φαίνοιτο. Οὔπω γὰρ ἦσαν οὐδὲ φωνῆς αὐτοῦ διακούσαντες, ἀλλὰ μόνον οἷς περιέτυχον ἐπυνθάνοντο· εἴποτέ τις αὐτῶν θεάσαιτο τὸν τοιόνδε, τὴν πολλὴν περὶ Εὐσταθίου δεικνύντες ζήτησιν. Ἐκεῖνος δὲ καὶ οὕτω περιπαθῶς ἔχων, οὐδὲν ἄλλο ποιῶν ἦν ἢ τοῦ Θεοῦ δεόμενος τῆς μόνης καὶ ἀψευδοῦς παρακλήσεως· Στῆσον, φιλάνθρωπε, λέγων, στῆσον τὰς καθ' ἡμῶν τοῦ μισοῦντος ἀπλήστους ἐπιβουλάς, ὁ μόνος εἰδὼς τῆς φύσεως τὴν ἀσθένειαν. Ὑπομονὴν παρέσχες, πρόσθες φιλαγάθως καὶ τὴν παραψυχήν· καὶ εἰ μὴ παροργίζω δεόμενος, εἰ μὴ λυπῶ τὰ σπλάγχνα τοῦ ἀγαθοῦ τῷ φαίνεσθαι πλέον ἐμαυτοῦ κηδόμενος ἢ σύ, βασιλεῦ, ὥσπερ ἔδειξάς μοι γνώριμον ὄψιν τῶν ποτε τῷ δούλῳ τῷ σῷ συνήθως ὑπηρετούντων, οὕτως εὐδόκησον ὀφθῆναί μοι καὶ ἣν ἔδωκας βοηθόν, ἣ [1] καὶ κατὰ πρόνοιαν πάντως τὴν σὴν ἐξ ἀρχῆς συνηρμόσθη μοι· εἴπερ δὴ καὶ μὴ ἔφθασεν αὐτὴν ἀνελεῖν ἡ βάρβαρος ἐκείνη ψυχή, καὶ θυμοῦ κατίσον ἡττωμένη καὶ ἡδονῆς. Τὰ γὰρ ἄθλιά μου νήπια εἰδὼς ὅπως ἅρπαγμα [2] καὶ βρῶσις τῶν θηρῶν γέγονεν,

hoc concussit cor ejus notos aspicientis, et in priorum iterum eum misit memoriam; sedatumque jam malum innovabatur. Verumtamen resumens seipsum generosus homo, ferebat fortiter et tacebat, ut non hostium solummodo, verum etiam sui ipsius victor appareret. Nondum enim nec vocem ejus audierant; sed tantum quibus obvii fiebant interrogabant, num aliquando quis eorum vidisset talem quemdam, multam de Eustathio monstrantes inquisitionem. Ille vero et sic vehementi dolore affectus, nihil aliud faciebat, nisi Dei implorabat solam ac sinceram consolationem: *Contine, o hominum amator,* inquit, *contine contra nos osoris inexplebiles invidias, o tu qui solus novisti naturæ infirmitatem. Patientiam præstitisti, adde amanter etiam consolationem. Et, si non irrito orans, si non contristor viscera bonitatis, quando videor majorem mei curam habere quam tu, o Rex : ut monstrasti mihi clarum conspectum eorum qui quondam servo tuo familiariter serviebant, sic placeat tibi aspici a me etiam illam quam dedisti adjutricem, quæ etiam secundum providentiam plane tuam ab initio conjuncta mihi fuit, si non pridem illam de medio tulit barbarus ille animus ira æque victus ac voluptate. Miseros enim meos infan-*

[1] *cod.* ἡ — [2] *cod.* ἄρπαγμα.

οὐκ ἔχω πῶς, δέσποτα, κατειρωνεύσομαι τῆς αἰτήσεως· ἀλλὰ τοῦτο μόνον ἐπ' αὐτοῖς δέομαι, τὸ κατὰ τὴν κοινὴν πᾶσαν τοῦ γένους ἡμῶν ἐξανάστασιν θεατὴς κἀκείνων [1] ὀφθῆναι [2], καὶ δι' αἰῶνος αὐτοῖς συναγάλλεσθαι. Οὔπω τὴν εὐχὴν ἔτυχε συμπληρώσας, καὶ φωνῆς ἤκουεν οὐρανόθεν· Θάρσει, λεγούσης· ὅ τε γὰρ βίος σοι τῆς προτέρας πάλιν ἐπαναλήψεται δόξης, καὶ σὺ δὲ καὶ γυναῖκα καὶ ταὐτὰ καλῶς ἀπολήψῃ τὰ φίλτατα. Ταῦτα ἐπεὶ Εὐστάθιος ἤκουσε, χαρᾷ καὶ φόβῳ συμμιγὴς ἦν· τὸ μὲν τῇ ἐπαγγελίᾳ τῶν ἀγαθῶν· τὸ δὲ τῶν πειρασμῶν ἔχων τὴν προσδοκίαν [3]· ἔτι γὰρ αὐτοὺς ἐδεδίει, καὶ τοῦ πονηροῦ ὑπώπτευεν [4] τὰς ἐπιβουλάς. Οἱ μέντοι κατὰ ζήτησιν αὐτοῦ φοιτήσαντες στρατιῶται, κόνιν ἀποθέμενοι τὴν ἐκ τῆς ὁδοῦ καὶ ἄλλως πρὸς τὸ εὐσταλέστερον κοσμηθέντες προσίασιν Εὐσταθίῳ, μηδὲν μηδέπω περὶ αὐτοῦ γνῶναι δυνάμενοι. Τοῦτο δὲ μόνον· Χαίροις, ὦ ἑταῖρε, τὸ κοινὸν καὶ σύνηθες προσειπόντες, καὶ τὴν ὁμοίαν πρόσρησιν ἀπ' ἐκείνου δεξάμενοι, ἠρώτων αὐτὸν ἐκεῖνον ὃ καὶ κατὰ πᾶσαν ὁδὸν ἐποίουν πρὸς οὓς ἐντύχοιεν, καὶ ἀκριβῶς ἐπυνθάνοντο εἴ τινά ποτε ἴδοι Πλακίδαν ἀλίτην [5] γυναικὶ καὶ παισὶ συνόντα· οὕτω γὰρ αὐτοῖς ἐνομίζετο καὶ εἰς ἔτι ἔχειν Εὐστάθιος. Ὁ δὲ τῇ μνήμῃ

tulos sciens ut præda ac cibus ferarum facti sint, non habeo qui, Domine, dissimulem in oratione, sed hoc solum in illis rogo, ut in communi universali generis nostri resurrectione spectator etiam eorum conspiciar et per æternitatem ipsis congaudeam. Nondum orationem compleverat et jam vocem audiebat de cœlo : *Macte,* dicentem, *quandoquidem vita tua priorem rursus recuperabit gloriam, ac tu et uxorem et istos splendide recipies carissimos.* Hæc quum Eustathius audisset, gaudio et timore permixtus erat, illud quidem nuntio bonorum, hoc vero tentationum habens exspectationem : adhuc enim illas timebat et maligni suspicabatur insidias. Illi igitur qui ad quærendum eum iter fecerant milites, pulvere excusso itineris et alias expeditius compositi, accedunt ad Eustathium, nihil adhuc de illo scire valentes. Hoc autem solum, *Salve, sodalis,* commune ac consuetum alloquentes, et similem allocutionem ab illo adepti, rogabant ipsum illum quod et per universam viam faciebant in quos incidissent, et accurate interrogabant utrum aliquando quemdam vidisset Placidam erronem, uxore ac liberis comitantibus : sic enim ipsi arbitrabantur adhuc habere Eustathium. Hic vero memoria illius et carissimorum corde

[1] *cod.* κἀκεῖνων. — [2] *cod.* ὀφθεῖναι. — [3] *cod.* τῆι προσδοκία. — [4] *cod.* ὑπόπτευεν. — [5] *cod.* ἀλίτιν.

ταύτης καὶ τῶν φιλτάτων τὴν καρδίαν διακαυθεὶς καὶ οἱονεὶ [1] κέντρῳ τῷ λόγῳ πληγεὶς, ἐπαθαίνετο μὲν καὶ ἤδη πρὸς δάκρυα φανερὰ καὶ θρήνους κατήγετο· ἐκράτει δὲ ὅμως [2] τοῦ πάθους, ὥσπερ τινὰ χαλινὸν αὐτῷ τὸν λογισμὸν ἐμβάλλων καὶ τὸ εὐσταθὲς τοῦ φρονήματος· ἐπυνθάνετό τε ὅτου χάριν ἡ πολλὴ ἐκείνου τοῦ ἀνδρὸς ζήτησις, καὶ πῶς οὕτω μέλον αὐτοῖς. Οἱ δὲ τῶν ἄγαν αὐτὸν ἔφησαν εἶναι συνήθων ἡμῖν. Πολλοῦ δὲ τὸ μεταξὺ χρόνου διαδραμόντος ἀφ' οὗπερ αὐτὸν μὴ θεάσαιντο, ἐκπεφλέχθαι νῦν τὴν καρδίαν τῇ δεινῇ τούτου ἐπιθυμίᾳ. Καὶ ὃς ἐσίγα μὲν τὸ παρὸν, καὶ ἑαυτὸν ἄδηλον ἐκείνοις ἐποίει· ἐπὶ ξενίαν δὲ παρεκάλει καὶ δεῖπνον, ἅτε κόπῳ βαρυνθέντας διαναπαῦσαι βουλόμενος.

14. Ἀπαγαγὼν οὖν εἰς τὴν οἰκίαν καθ' ἣν δήπου καὶ αὐτὸς ἐξενίζετο, τῷ κυρίῳ ταύτης· Γνώριμοι, ἔλεγεν, οἱ ἄνδρες ἐμοὶ, καὶ κατὰ πάροδον ἡμῖν ἐντυχόντες· χρὴ οὖν τὰ πρὸς δεξίωσιν ἀρκοῦντος αὐτοῖς παρασχεῖν· καὶ δουλεία ἡ[μετέρα] [3] ἔφη, καὶ χεῖρες αὗται τὸν μισθὸν ἀποπλήσουσιν. Ἐκείνους μὲν οὖν οὕτω θεραπεύων ἦν καὶ ὑπηρετούμενος· αὐτῷ δὲ δεινῶς ἔνδον ἐσπαράττετο ἡ ψυχὴ, καὶ τὰ σπλάγχνα πικρῶς συνεστρέφετο, καὶ δακρύειν ἠνάγκαστο. Καὶ τί γὰρ, εἰ μὴ δρῦς [4] ἦν, εἰ μὴ λίθος, τοιαῦτα παθὼν ἄνθρωπος καὶ εἰς μνήμην ἥκων τῆς προτέρας εὐδαιμο-

perustus et quasi stimulo verbo percussus, vehementer afficiebatur et jam ad lacrimas apertas ac lamenta adducebatur; vincebat nihilominus dolorem, ut frenum quoddam ei rationabilem cogitationem injiciens et firmitatem judicii. Interrogabatque quam ob causam multa illius viri quæsitio, et quomodo ita cordi esset ipsis. Illi vero: *Valde hic,* inquiebant, *est familiaris nobis:* multo vero interea tempore dilapso ex quo ipsum non vidissent, ardere nunc cor vehementi illius desiderio. Et ipse tacebat quidem nunc, et seipsum ignotum eis faciebat. Ad hospitium vero invitabat et cœnam, utpote labore gravatos recreare volens.

14. Ducens ergo in domum ubi dudum et ipse hospitio utebatur, domino illius: *Noti,* inquit, *viri mihi, et in transitu in nos inciderunt; oportet itaque quæ ad receptionem liberalem sufficiant ipsis procurare. Et servitus mea,* inquit, *et manus ipsæ mercedem implebunt.* Illis itaque deserviebat et ministrabat. Ipsi vero acriter intus lacerabatur anima, et viscera acerbe constringebantur et lacrimari coactus erat. Quid enim, nisi quercus esset, nisi lapis, tanta patiens homo et in memoriam veniens prioris felicitatis? Unde et latere studens, quando videret

[1] *cod.* οἰονεὶ. — [2] *cod.* ὄμως. — [3] *cod.* ἥ. — [4] *cod.* δρὺς.

νίας; Ὅθεν καὶ λανθάνειν ἐπιτηδεύων, ὁπότε ἴδοι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἡττηθέντας [1] καὶ τῶν παρειῶν ἐκείνου καταφερόμενα δάκρυα, εὐθὺς ἐξιὼν ὥς τινος αὐτὸν χρείας καλούσης, εὐφυῶς ἀπεσμᾶτο τὰς ὄψεις· εἶτα πάλιν εἰσιὼν, ἐκοινώνει τοῖς ἀνδράσι τῆς εὐφροσύνης. Καὶ τοῦτο πολλάκις δρῶν τε καὶ πασχων, ὑπὸ πολλῆς ἄγαν τῆς μεγαλοφροσύνης ἐλάνθανεν. Ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνοι ἀτενέστερόν τε εἶδον, καὶ περιεργοτέρας αὐτῷ τὰς ὄψεις ἐπέβαλλον, πρόσωπον ὁρῶντες πολλῆς γέμον [2] ἐπιεικίας καὶ ἄγγελον ἀψευδῆ τοῦ εἴσω κόσμου καὶ τῶν τῆς ψυχῆς ἀρετῶν, ἤρξαντό τε αὐτὸν οὕτως ἠρέμα [3] ἅτε θηρατικοὶ κύνες ῥινηλατεῖν· καί τινες ἤδη λόγοι καθ' ἑαυτοὺς ὑπεψιθυρίζοντο, ὡς εἴη μάλα τῷ ζητουμένῳ παρόμοιος. Ἅτερος [4] δὲ αὐτῶν· Ἡ μὲν ὁμοιότης, ἔφη, εὐάγγελος· καὶ οὐδὲν ἂν ἡμῶν καταψεύσαιτο τῆς ἐπιθυμίας· πλὴν ἀλλ' ἐμοὶ ἔγνωσταί τι σύμβολον ἀκριβὲς, ὅπερ ἀναμφίλογον ἡμῖν τὸ ζητούμενον γενέσθαι παρασκευάσει. Οἶδα γὰρ ἐγώ ποτε πληγὴν ἐγκοπεῖσαν αὐτοῦ τῷ τραχήλῳ χειρὶ πολεμίᾳ, οὐκ ἐξ ἐπιπολῆς ὅσον ἀμύξαι, ἀλλ' εἰς βάθος ἐγκοιλανθεῖσαν. Ταύτης εἰ τὴν οὐλὴν ἡμεῖς ἴδοιμεν, ἐντος ἀρκύων τὸ θήραμα. Καὶ τὸ ἀπὸ τοῦδε, ταῖς χερσὶ μελέτω, ὡς, εἴ τι ἂν καὶ ποιοίη, μηδαμῶς ἡμᾶς ἐκφυγεῖν. Οὕτω τε εἶπον, καὶ ἐγγύτεροι προσελθόντες καὶ ἐν χρῷ τραχήλου τὸν ὀφθαλμὸν προσερεί-

oculos victos et per genas suas decurrentes lacrimas, statim exiens, quasi quadam ipsum necessitate vocante, solerter abstergebat vultus; dein iterum intrans communicabat viris hilaritatem. Et hoc sæpius faciens et patiens, præ multa nimis magnanimitate latebat. Posteaquam autem illi acutius vidissent et studiosiores ipsi oculos injecissent, faciem videntes multa plenam modestia ac nuntium haud fallacem interioris ornatus et animæ virtutum, cœperunt et ipsum ita leniter ut venatici canes odorari; et quædam jam verba ad se invicem susurrabant, quod esset valde quæsito similis. Alter vero eorum: *Similitudo quidem,* inquit, *bonus nuntius, et nihil nos fraudabit desiderio; verumtamen mihi notum est signum accuratum, quod haud ambiguum id quod quærimus ut sit efficiet. Scio enim ego olim vulnus inflictum ipsius collo manu hostili, non in superficie quantum vellicatione, sed in profundum excavatum. Hujus si cicatricem nos videremus, intra retia venatio. Et quod ab eo fieri potest, manus curabunt, ut quidquid faciat, neutiquam nos effugiat.* Ita dicebant, et propius accedentes et in cutem colli oculum figentes manifestum illico cicatricis aspexerunt, clarius lingua virum propalans. Jam ergo haud compotes se conti-

[1] *cod.* ἡττηθέντας. — [2] *cod.* γέμον. — [3] *cod.* ἡρέμα. — [4] *cod.* ἄτερος.

σαντες, τὸ παράσημον εὐθὺς τῆς οὐλῆς εἶδον, τρανότερον ἢ καὶ γλῶσσαν τὸν ἄνδρα διακηρύττον. Μηκέτι γοῦν οἷοί τε ὄντες ἑαυτοὺς κατέχειν τῷ περιόντι τῆς ἡδονῆς, ἀνέθορόν τε τῆς τραπέζης καὶ οἷον ἐκστάσει τινὶ καὶ βακχείᾳ κινούμενοι, οὐκ εἶχον ὅ, τι καὶ γένοιντο· τοῦτο μὲν σκιρτῶντες, τοῦτο δὲ δακρύοντες, τοῦτο δὲ καὶ φιλήμασι θερμοτέροις τὸ περιχαρὲς αὐτῶν τῆς ψυχῆς μηνύοντες· τί μὲν οὐ λέγοντες; τί δὲ οὐ ποιοῦντες; ποδῶν ἁπτόμενοι, χειρῶν ἐχόμενοι, τῷ τραχήλῳ περιφυόμενοι, ὥσπερ δεδιότες μὴ καὶ ὄναρ ᾖ τὰ δρώμενα· ὁ ἀριστεύς· ὁ εὐεργέτης· ὁ δεσπότης, λέγοντες, ὁ ἡμέτερος· τί γένοιτο· τί πάθοι· τίς ἡ τῶν φαινομένων αὕτη μεταβολή. Εἶτα ἡ γυνὴ δὲ ποῦ; τὰ δὲ τέκνα; Εἰ εἴσω φρενῶν ἐσμεν, εἰ μὴ ἠπατήμεθα [1], καὶ τὸν ποθούμενον εὕρομεν οὔπω σε; Ὁ δὲ γενναῖος ὄντως ἐκεῖνος ἀνὴρ καὶ ἄλλως μὲν ὠδίνοντας εἶχεν καὶ μεστοὺς δακρύων τοὺς ὀφθαλμούς· ἀκούσας δὲ περὶ τῶν τέκνων διαπυνθανομένους αὐτοῦ καὶ τῆς γυναικός, ἀνέκλαυσέ τε πικρὸν καὶ μέγα ἀνῴμωξε, καὶ συνεχὲς τὸ δάκρυον ὑετίζων τὸ πρόσωπον διάβροχον ἐποίει καὶ τὸν χιτῶνα. Ὀψὲ δὲ καὶ μόλις τῶν θρήνων ἀνενεγκών, ἔτι τῷ σάλῳ τῆς καρδίας ἐπικοπτομένης αὐτῷ τῆς φωνῆς· Τὰ μὲν τέκνα, ὦ φίλοι, εἶπε, καὶ ἡ γυνὴ τεθνήκασιν ἤδη· καὶ αὐτὴν γὰρ ἤδη τὴν σύνοικον τῶν ἀπολωλότων ἐδίδου τῇ

nendi abundantia gaudii, exsiliebant a mensa et quasi exstasi quadam et furore moti nesciebant quid fierent, modo tripudiantes, modo lacrimantes, modo autem osculis ardentissimis maximam lætitiam suæ animæ significantes. Quid non dicebant? quid non faciebant? Pedes amplexi, manus tenentes, collo circumfusi, ac si timerent ne somnium esset quod videbant. *Princeps, benefactor, domine,* dicentes, *noster;* quid factum esset, quid passus fuisset, quæ eorum quæ visa fuerant mutatio. Dein, uxor autem ubi, et liberi? *Sumusne præsenti animo an illudimur, an concupitum nondum invenimus te?* Hic vero generosus ut qui maxime vir et alias quidem dolentes habebat ac plenos lacrimarum oculos; auditis vero circa liberos interrogantibus suos et uxorem, luxitque acerbe et alte ingemiscebat, et continuas lacrimas fundens faciem humidam faciebat ac vestem. Tarde autem et ægre a lamentatione abstinens, adhuc motu cordis intercepta ipsi voce: *Liberi, o amici,* ait, *et uxor mortui sunt* (et ipsam jam consortem defunctorum tradiderat regioni); *me autem, uti videtis, habentem lamentorum causas, in misera hac vita reliquerunt.* Hoc ipso dicente communis excitabatur planctus, confluebantque magna multitudine omnes

[1] *cod.* ἡπατήμεθα.

χωρᾳ· ἐμὲ δὲ, ὡς ὁρᾶτε, ἔχοντα θρήνων ὑπόθεσιν τῷ ἀθλίῳ τῷδε βίῳ κατέλιπον. Ταῦτα λέγοντος κοινὸν ἐκινεῖτο πένθος· συνέρρεόν[1] τε παμπληθεὶ πάντες οἱ τῆς κώμης τὴν καινὴν θεάσασθαι τραγῳδίαν. Ὡς δὲ μόλις οἱ δορυφόροι αὐτοί τε τῶν θρήνων ἐπαύσαντο καὶ τοῦ συνελθόντος πλήθους τὸν πολὺν ἐκοίμισαν θόρυβον, εὐθέως τὸ λαμπρὸν ἀξίωμα τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὰς ἀριστείας, εὐγένειάν τε καὶ τὴν ἄλλην αὐτοῦ περιφάνειαν δήλην ἐποιοῦντο πρὸς τοὺς παρόντας, εἰς θαῦμά τε μέγα καὶ ἔκπληξιν αὐτοὺς συνεκίνουν. Καινὸν γὰρ ἀληθῶς εἰ ὁ στρατηγὸς ἐμισθάρνει καὶ ὁ πολλῶν πρότερον δεσπότης ἰδιώτην ἄνδρα καὶ αὐτουργὸν δεσπότην ἐκάλει, καὶ ὁ μυρίοις τέως παρέχων τροφὰς, εἰς ἀλλοτρίας ἔβλεπε χεῖρας καὶ μισθοῦ τροφὴν ἐπορίζετο. Τούτων ἀκούοντες, ἠποροῦντο· ᾐδοῦντο· τὴν ἄγνοιαν ᾐτιῶντο· τὴν καρτερίαν ἐθαύμαζον· Φεῦ, πῶς διέλαθε, λέγοντες, πῶς ἐκρύπτετο; Τίς εἰδὼς οὐκ ἠλέησε; τίς ἂν οὐ συνήλγησεν αὐτῷ τῶν συμβεβηκότων;

15. Ταῦτα τῶν τῆς κώμης λεγόντων καὶ καθ' ἑαυτοὺς εἰς μνήμην τὰ φθάσαντα προφερόντων, οἱ στρατιῶται τὸν Εὐστάθιον ἀπολαβόντες ἰδίᾳ, τὴν τοῦ βασιλέως ἐγνώριζον αὐτῷ γνώμην, καὶ ὅτου χάριν ὡς αὐτὸν ἐληλύθασι, καὶ ὅτι δεῖται τῆς αὐτοῦ παρουσίας, αὐτός τε καὶ οἱ ἐν τέλει πάντες καὶ πόλις ἅπασα, καὶ ὡς οὐκ ἂν ἄλλως γένοιτο ἢ αὐτὸν λαβόντας

vici incolæ, novam visuri tragœdiam. Ut autem ægre lancearii ipsi a planctu temperarunt et congressæ multitudinis magnum sedaverunt tumultum, statim splendidam dignitatem viri et egregia facta, natalium splendorem et reliquam ejus excellentiam notam faciebant præsentibus adque admirationem magnam et stuporem eos movebant. Insolitum revera quod exercitus dux mercede operabatur, et multorum quondam dominus simplicem hominem et operam dominum vocabat, et millenis olim præbens cibos, ad alienas respiciebat manus et mercedis victum sibi parabat. Quibus auditis, quid facerent ignorabant; erubescebant, ignorantiam incusabant, fortitudinem admirabantur : *Heu, quomodo latuit,* dicentes, *quomodo occultabatur? Quis audiat hæc et non misereatur? quis non condoleat ipsi quæ acciderunt?*

15. Ista vici incolis dicentibus et inter se in memoriam quæ prius facta fuerant, proferentibus, milites Eustathium ducentes deorsum, imperatoris intimabant ipsi mentem, et quam ob causam ad ipsum venissent, et quod efflagitant ejus præsentiam, et ipse et magistratus

[1] *cod.* συνέρεόν.

ἐπανελθεῖν. Ταῦτα σὺν σπουδῇ [1] ἔλεγον, καὶ τὰ ῥάκη ἃ περιεβέβλητο, εὐθὺς ἀποδύσαντες, ἀμφιεννύουσιν αἷς ἐκόμιζον ἐκ βασιλέως στολαῖς. Ἐκ μακροῦ γὰρ ἐδεξιοῦτο τὸν ἄνδρα, δήλην ποιούμενος ἣν εἶχε πρὸς ἐκεῖνον ῥοπήν. Εἶτα καὶ λαβόντες αὐτὸν ἐπανῄεσαν. Ἔκρινε γὰρ ὡς οὐκ ἄνευ θειοτέρας γνώμης ταῦτα συνέπεσον ἄν, καὶ ὡς ἔναγχος ἀκούσῃ [2] παρὰ Θεοῦ τῆς προτέρας πάλιν ἐπιλήψεσθαι δόξης καὶ τἄλλα [3] δὴ τὰ τῆς φίλης ὄντως καὶ χαριεστάτης ἐπαγγελίας. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν ὁδὸν ἤνυον, ἕκαστα ἦν αὐτοῖς διηγούμενος, ὅπως τε τὸν Κύριον ἴδοι, καὶ ὡς βαπτισθείη καὶ ὡς μετονομασθείη Εὐστάθιος· καὶ ἁπλῶς σχεδὸν ἅπαντα ὅσα τε κατ' οἶκον καὶ ὅσα καθ' ὁδὸν αὐτῷ συμβέβηκε διηγεῖτο. Ἡμέραις μὲν οὖν πεντεκαίδεκα ὁδοιπορία τούτοις ἠνύετο· ἔπειτα φθάσαντες τὰ βασίλεια καὶ τῷ βασιλεῖ προσαγγείλαντες περὶ τούτου, χαρᾶς, οὐχ ὅσην ἂν γλῶσσα φράσειεν, αὐτόν τε καὶ πολίτας καὶ τὸ στρατιωτικὸν ἅπαν ἐπλήρουν. Δεῖγμα τῆς ἡδονῆς, οὐκ ἤνεγκε τοῦτο καθάπερ ἔν τινι τῶν συνήθων ὁ βασιλεύς· ἀλλ' ἐκ τῆς πολλῆς ὥσπερ περιχαρείας [4] οὐδὲ καθεκτὸς αὐτὸς ἑαυτῷ γέγονεν· οὐδὲ εἰς τὸ σχῆμα καὶ τὸν βασίλειον ἀπέβλεψεν ὄγκον· ἀλλὰ τῶν ἐν χερσὶν ἀμελήσας πάντων, καὶ γὰρ ἔτυχε τότε κοινῶν φροντίδων ἐπειλημμένος, ἐξανέστη τε τοῦ θρόνου καὶ ὑπαντήσας εἰσιόντι

omnis et urbs universa, et quod aliter fieri non posset, quam ut ipso assumpto reverterentur. Hæc cum velocitate dicebant, et lacinias quibus circumdabatur statim exuentes, induebant iis quas ferebant ab imperatore vestibus. Ex longo enim tempore carissimum habebat virum, manifestam faciens quam habebat in illum propensionem. Dein etiam assumpto illo redierunt. Judicabat enim non sine diviniore mente hæc accidisse, et uti nuper audivisset a Deo fore ut priorem iterum recuperaret gloriam et reliqua cari revera ac jucundissimi nuntii. Ubi vero viam capessiverant, singula ipsis enarrabat, quique Dominum vidisset, quique baptizatus esset, et quomodo mutato nomine esset Eustathius; et simpliciter ferme universa quæ domi, quæ in itinere ipsi accidissent enarrabat. Diebus ergo quindecim iter ab ipsis factum fuerat; postmodum præcedentes ad aulam, et imperatori annuntiantes de illo, lætitia, quantam nec lingua eloquatur, ipsumque et cives et castra universa impleverunt. Quod demonstrat lætitiam, non tulit hoc ut in aliqua re consueta imperator, sed ex multo veluti excessu gaudii nec compos ipse sui erat; neque ad habitum et imperatoriam respexit gravitatem, sed quæ præ manibus erant negligens

[1] *cod.* σπουδή. — [2] *cod.* ἀκούσοι. — [3] *cod.* τᾶλλα. — [4] *cod.* περιχαράς.

πρὸς τὰ βασίλεια, δεξιοῦται πῶς ἂν εἴποις γνησίως, περιβάλλων θερμῶς, προσαγορεύων εὐμενῶς· δάκρυσι καὶ φιλήμασι τὸ λίαν περιχαρὲς καὶ τὸ ἔνδον σκίρτημα [1] τῆς ψυχῆς φανερῶν. Εἶτα καὶ περὶ τῶν συμβεβηκότων ἕκαστα διηρώτα· καὶ αὐτὸς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους ἅπαντα [2] διεξήει· τὴν ἐπίσκηψιν τοῦ λοιμοῦ, τὴν τῶν ἀνδραπόδων ἀπώλειαν, τὴν τῶν βοῶν, τὴν τῶν ἡμιόνων, τῶν ἵππων [3] τε καὶ τῶν ἄλλων θρεμμάτων· ἔπειτα τῆς κατ' οἶκον περιουσίας καὶ τοῦ πλούτου παντὸς τὴν διαρπαγήν· καὶ ὡς πολλὴ ἀνάγκη αὐτῷ γένοιτο, τὴν ἐκ τῶν γνωρίμων αἰσχύνην οὐχ ὑπομένοντι, ἑαυτὸν ἀφανίσαι καὶ μακράν που γενόμενον ἀγνῶσιν ἀνθρώποις συμβιοτεύειν· ἐπὶ τούτοις ὡς ἴδοι τὴν γυναῖκα τὴν ἑαυτοῦ βαρβάροις χερσὶν οἷα καὶ αἰχμάλωτον ἑλκομένην [4], ὑπὸ τοῦ λίαν ἀκολάστου τὴν κομιδῇ σώφρονα· καὶ ὅπως [5] αὐτῷ τὰ τέκνα θηρῶν ὀδόντες διεμερίσαντο· καὶ τοῦτο ἰδεῖν ὑπέστησαν πατρὸς ὀφθαλμοί· καὶ ὡς ἐξ ἐκείνου μισθαρνῶν ἐπὶ ξένης ὁ στρατηγὸς ταῖς ἑαυτοῦ χερσὶν τρέφοιτο. Τούτοις μὲν οὖν τοῖς σκυθρωποῖς διηγήμασιν πάντες ὅσοι [6] παρῆσαν ἐξηγουμένοις, συμπαθὲς αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἀπέσταζε δάκρυον· πλὴν ἀλλ' ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀνεύρεσις τὴν λύπην πάλιν τῆς ψυχῆς παρεκάλει. Μετὰ ταῦτα ὁ βασιλεὺς τὰ κατὰ τὸν πόλεμον αὐτῷ κοινοῦται, αὖθίς τε τὴν στρατηγικὴν ζώνην

omnia, etenim forte tum publicis curis erat occupatus, surrexit e throno, et obviam progressus intranti in aulam, dexteram porrexit quomodo dixeris? ex animo, amplectens ardenter, alloquens benigne, lacrimis et osculis magnum gaudium et interiorem exultationem animæ manifestans. Deinde etiam de iis quæ acciderant singula interrogabat; et ipse ab initio ad finem cuncta percurrit, invasionem pestilentiæ, servorum interitum, boum, mulorum, equorumque et reliquorum altilium; postea domus opum et divitiarum omnium rapinam, et quomodo multa necessitas ipsi fuisset, a facie amicorum confusionem haud ferenti, seipsum oculis eripiendi, et longe alicubi facto ignaris hominibus convivendi; præterea quomodo vidisset uxorem suam barbaris manibus ut captivam tractam, ab admodum impudico maxime pudicam, et qua ratione sibi liberos ferarum dentes dilacerassent, et hoc videre sustinuissent patris oculi, et ut ex illo tempore mercede operatus in aliena terra exercitus dux suis ipsius manibus victum quæreret. His itaque lugubribus narrationibus omnibus quotquot aderant narratis, condolens eis ab oculis stillabat lacrima:

[1] *cod.* σκήρτημα. — [2] *cod.* ἄπαντα. — [3] *cod.* ἴππων. — [4] *cod.* ἑλκομένην. — [5] *cod.* ὄπως. — [6] *cod.* ὄσοι.

καὶ τὸ ἀξίωμα ἐγχειρίζει. Ὁ δὲ τοὺς στρατιωτικοὺς ἐπισκεψάμενος καταλόγους, ἐνδέοντάς τε πρὸς τὸν προκείμενον ἀγῶνα καταμαθὼν, περὶ νεολέκτου στρατιᾶς διεσκοπεῖτο. Εὐθὺς οὖν κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ κώμην τὴν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς σκήπτροις ὑποκειμένην, ὅσοι ῥώμῃ καὶ ἡλικίᾳ [1] διαφέροντες ἦσαν τοῖς τῆς στρατείας ταύτης ἐνεγράφοντο καταλόγοις. Ἀλλὰ τί πάλιν; Ὁ σοφῶς τὰ πάντα τρέφων καὶ διεξάγων Θεὸς, ὁ τὰ μὴ ὄντα εἰς τὸ εἶναι καλῶν καὶ συνάγων τὰ διεσκορπισμένα, περὶ τὴν τοῦ Εὐσταθίου φημὶ τῶν παίδων ἀνεύρεσιν, παραδόξως οἰκονομεῖ. Καὶ ταύτην γὰρ τότε τὴν κώμην ἐν ᾗπερ οὗτοι διάγοντες ἦσαν, δύο συνέβη στρατιώτας νεολέκτους εἰσενεγκεῖν, ῥώμῃ σώματος καὶ χειρῶν ἔργοις πολλῷ τῷ μέσῳ τοὺς καθ' ἑαυτοὺς ὑπερέχοντας. Εἶτα τοῦ νέου τούτου στρατοῦ εἰς φάλαγγάς τε καὶ λόχους τῷ στρατηγῷ διακριθέντος, εἰς ὑπασπιστὰς ἐκεῖνοι ἀνελαμβάνοντο. Ὧν τὸ εὐγενὲς καὶ ἀνδρεῖον ἀπὸ πολλῶν τοῦ σώματος χαρακτήρων καταμαθὼν ὁ Εὐστάθιος καὶ ὥσπερ ῥοπῇ φιλίας τοῖς νεανίσκοις ἐπικλινόμενος· τῷ γὰρ ὁμοίῳ φασὶ τὸ ὅμοιον, κοινωνεῖν αὐτῷ καὶ τραπέζης καὶ τῆς ἄλλης οἰκειώσεως [2] αὐτοῖς ἐκέλευσεν.

16. Οὕτω δὴ κατὰ πόλεμον ὁ στρατηγὸς διαθεὶς, ἐπιστρατεύει τοῖς ἐναντίοις· καὶ συναφθείσης ἤδη τῆς μάχης καὶ τῆς συμβολῆς ἰσχυρᾶς

quamquam viri inventio dolorem rursus animæ consolabatur. Post hæc imperator res bellicas ipsi communicat, e vestigio rursus militare cingulum ac dignitatem tradit. Hic vero militari inspecto albo, quum deficere ad propositum certamen didicisset, de novo delectu exercitus dispexit. Statim itaque per omnes urbes et vicos Romanis sceptris subditos, quotquot robore et ætate præcellentes erant expeditionis hujus inscribebantur albo. At quid iterum? Omnia nutriens et disponens Deus, ea quæ non sunt ut sint vocans et cogens in unum dissita, circa Eustathii inquam liberorum inventionem mirabiliter disponit. Et hic enim tunc vicus in quo ipsi degebant duos contigit ut milites nove lectos offerret, robore corporis et manuum operibus longo intervallo æqualibus præeminentes. Deinde novo hoc exercitu in phalanges ac cohortes a duce discreto, in armigeros illi assumebantur. Quorum ingenuos animos ac viriles ex multis corporis signis discens Eustathius ac veluti propensione amicitiæ in adolescentulos inclinatus, simili enim, aiunt, simile, communem habere secum mensam et reliquam habitationem eos jussit.

16. Sic porro bello dux disposito, movet in hostem; ac commissa

[1] *cod.* ἡλικία. — [2] *cod.* οἰκιώσεως.

γενομένης, τρέπονται τῷ γενναίῳ κατακράτος οἱ βάρβαροι· καὶ πολὺν αὐτῶν ἐργάζεται φόνον. Οὐχ ἵστησι [1] δὲ μέχρι τούτου τὴν κατὰ τῶν ἀρξάντων κακοῦ τιμωρίαν, ἀλλὰ καὶ ποταμὸν Ὑδάσπην ἀνέλπιστος διαβὰς καὶ τὰ ἐν ποσὶ ληϊσάμενος, πλείστους τε ὅσους δορυαλώτους [2] λαβών, τό τε βάρβαρον συνέστειλε φρόνημα καὶ τὸ μὴ κακῶς πάσχειν αὐτοὺς ἀντὶ τοῦ κακῶς δρᾶν ἀγαπᾶν παρεσκεύασεν. Οὕτω πεποιη[κ]ὼς ὁ γεννάδας καὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν κακῶν ἀπαλλάξας ἐλπιζομένων· ἐπείπερ ἀναστροφῆς ἥπτετο, στρατοπεδεύεται κατά τινα κώμην, εὖ πρὸς τοῦτο διακειμένην. Τῆς πολλῆς δὲ ταλαιπωρίας τὸ στρατιωτικὸν διαναπαύειν βουλόμενος, ἐπὶ τρίσὶν ἡμέραις ἐν ταύτῃ διέτριβεν· ἐπεὶ καὶ παραδείσοις ἄλλως καὶ ὕδασι καταρρύτοις ἡ κώμη ἐκόμα, καὶ κήποις θαλεροῖς τε καὶ ἀγαθοῖς ἔθαλλεν. Ὧν ἑνὸς [3] φυλακὴν ἡ τοῦ Εὐσταθίου γυνὴ κατὰ μισθοφορὰν ἐπετέτραπτο [4]. Οἱ μέντοι τοῦ στρατηλάτου ὑπασπισταί, οὓς καὶ υἱοὺς αὐτοῦ εἶναι ὁ λόγος δηλώσων ἔρχεται· καὶ γὰρ ἐπείγεται τὴν θαυμασίαν ταύτην ἀνακαλύψειν οἰκονομίαν· πλησίον δὴ τοῦ κήπου οὗ καὶ φύλαξ ἦν ἡ τοῦ Εὐσταθίου γυνή, τὴν αὐλαίαν ἐπήξαντο· ὧν πάλιν οὐδὲ αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ στρατηγὸς μακρὰν ἦν. Οἷα δὲ φιλεῖ τῇ τῶν ὅπλων ἀργίᾳ τὸ στρατιωτικὸν πολλάκις εἰς διηγήσεις

pugna et prælio forti facto, vertuntur in fugam a generoso per vim barbari, et multam eorum facit stragem. Nec constituit intra hos limites in eos qui inceperant malum, pœnam, verum etiam fluvium Hydaspen præter spem transgressus et quæ præ pedibus erant devastans, plurimosque bello captos ducens, et barbaram compescuit superbiam, et ne male pati ipsi pro male factis amarent, effecit. Sic quum fecisset vir nobilis et Romanorum imperium malis liberasset imminentibus, deinceps redĭtum aggressus, castra posuit juxta vicum bene ad hunc finem situm. Atque ex multo labore milites recreare volens, tres dies ibi degit, quandoquidem et nemoribus consitis, alioquin et aquis scaturientibus vicus frondebat et hortis luxuriantibus ac bonis florebat. Quorum unius custodiam Eustathii uxor pro pacta mercede obibat. Ducis vero exercitus armigeri, quos et filios ejus esse sermo demonstratum it, appropinquat enim admirandam hanc revelaturus dispositionem, prope hortum cujus custos erat Eustathii uxor, tentorium fixerant; a quibus rursus neque ipse ille dux longe aberat. Quemadmodum amat, armorum requie, militare genus sæpius ad narrationes ferri, præsertim quum narratio insolentior est et

[1] *cod.* ἵστησι. — [2] *cod.* δωρυαλώτους. — [3] *cod.* ἑνός. — [4] *cod.* ἐπιτέτραπτο.

ἐκφέρεσθαι, ἄλλως τε καὶ τοῦ διηγήματος καινοτέρου ὄντος καὶ φύσει τὰς ἀκοὰς ἐπάγεσθαι δυναμένου, περὶ τὸ μεσημβρινὸν ἀμφότεροι συνελθόντες τὰ ἐκ νηπίου πρὸς ἀλλήλους ὡμίλουν. Ὁ τοίνυν πρεσβύτερος πρὸς τὸν ἄλλον· Ἐμοὶ μὲν στρατηλάτης, ἔλεγεν, ὁ πατήρ· ἡ μήτηρ δὲ εὐπρεπὴς καὶ ὥρας [1] χάριν οὐδεμίᾳ τῶν ἄλλων γυναικῶν εἴκουσα [2]. Ἦν δέ μοι καὶ ἀδελφὸς ἕτερος [3], ἐλάττων τὴν ἡλικίαν, τὴν κώμην ξανθός. Ἀμφοτέρους οὖν οἱ γονεῖς λαβόντες, ὅτου δὲ χάριν αὐτὸς ἀγνοεῖν [4], ὑπεξῄεσαν τῆς οἰκίας. Ὁδὸν δὲ μακρὰν διανύσαντες, πλοίῳ τινὶ ἐμβάντες, ἐπλέομεν. Ἐπεὶ δὲ καὶ τῆς νηὸς ἐμέλλομεν ἀποβαίνειν, ἐγὼ μὲν σὺν τῷ ἀδελφῷ καὶ ὁ πατὴρ ἔξιμεν [5], τὴν μητέρα δὲ τὴν ἡμετέραν ἦγεν [6] ἡ ναῦς· οὐδὲ τούτου [7] τὴν αἰτίαν ἔχω εἰδέναι· πλὴν ἀλλὰ τὸν πατέρα ἑώρων [8] καὶ σφόδρα δεδακρυμένον μετὰ τὴν ἐκ τῆς νηὸς ἀπόβασιν πορευόμενον.

17. Ἐμὲ οὖν καὶ τὸν ἀδελφὸν ἐπαγόμενος, εἶτα οὐ πολλὴν ὁδὸν ἐξανύσας καταλαμβάνει ποταμόν, ὃς οὐδὲ παντὶ ἄλλῳ διαβατὸς ἦν, σχολῇ γε παιδί. Διὰ ταῦτα τὸν ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν ἐπὶ τῶν ὤμων ἄρας, τὸ ῥεῖθρον διέβαινεν, ἐμὲ μέλλων εἰς δευτέραν λαβεῖν περαίωσιν. Ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνος μὲν εἰς τὴν ἀντιπέρας ὄχθην σέσωστο, ἐμὲ δὲ ὑπέστρεφε λαβεῖν ὁ πατήρ, ἐν μέσῳ τοῦ ποταμοῦ γενόμενος, θέαμα εἶδεν οὐδὲ ἄλλων ὀφθαλμοῖς, μή

natura sua auditum excitare valet, circa meridiem ambo una euntes de tempore infantiæ secum confabulabantur. Major ergo natu ad alterum : *Mihi quidem dux exercitus,* ait, *pater; mater vero venusta et pulchritudinis gratia nulli aliarum feminarum cedens. Erat autem mihi et frater alter, minor ætate, pulchritudine splendidus, coma flavus. Ambos ergo parentes assumentes, quam ob causam ipse ignoro, exierunt domo. Via autem longa facta, navem quamdam ingressi, navigabamus. Quum vero navi eramus egressuri, ego quidem cum fratre et pater egredimur; matrem vero nostram abduxit navis, neque hujus rei causam possum scire, nisi quod patrem videbam vehementer lacrimatum post navis egressum euntem.*

17. *Me ergo et fratrem ducens, deinde non longam viam emensus, attingit fluvium, qui ne a quovis quidem alio transiri poterat, et nulla certe spe tentandus erat puero. Propterea fratre meo in humerum sublato, torrentem transvadebat, me in secundam sumpturus trajectionem. Postquam autem ille in oppositam ripam adductus fuisset salvus, me vero*

[1] *cod.* ὥρας *et mox* ὥραν. — [2] *cod.* ἥκουσα. — [3] *cod.* ἕτερος. — [4] *sic.* — [5] *cod.* ἔξημεν. — [6] *cod.* ἧγεν. — [7] *cod.* τοῦτου. — [8] *cod.* ἑώρων.

τί γε πατρὸς φορητόν· ὥσπερ γὰρ ἐξ ἑνὸς συνθήματος ἐπελθόντα θηρία ἐμὲ μὲν ἔνθεν, τὸν δὲ ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν ἐκεῖθεν εὐθὺς διενείμαντο· ὁρῶντος μὲν τοῦ πατρὸς, μὴ ἔχοντος οὕτως ὡς ἦν μηδὲ [1] δυναμένου μηδενὶ τῶν τέκνων ἀμύνειν. Καὶ τὸν μὲν ἀδελφὸν ὅ, τι ἂν δράσειεν ὁ λύκος, τοῦτο γὰρ ἦν . . . .
. . . . τῶν ὀφθαλμῶν τοῦ πατρὸς, διεπέρα τὸν ποταμὸν, τοῖς ὀδοῦσι ἀνέχων· ἔπειτα, ποιμένων ἐπιδραμόντων, ἀφῆκεν, οὐδὲ βραχὺ τῷ σώματι λυμηνάμενος· καὶ οὕτω ταῖς αὐτῶν χερσὶ πιστευθεὶς ἐτρεφόμην. Τούτων ὁ νεώτερος ἀκούων ἀδελφὸς καὶ καθ' ἕκαστον μὲν τῶν λεγομένων σημεῖα καὶ γνωρίσματα λαμβάνων καὶ ἀναμνήσεις, διεθερμαίνετο καὶ παλλομένην εἶχε καὶ ἄττουσαν [2] τὴν καρδίαν. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ πᾶν τοῦ δράματος ἤκουσε, τότε γοῦν [3] ὡς οὐκέτι ἐπ' ἀμφιβόλοις ἀλλ' ἐπὶ βεβαίοις ἤδη τοῖς τεκμηρίοις τὸν ἀδελφὸν ἀναγνοὺς, οὐκ εἶχεν ἠρεμεῖν οὐδὲ καθῆσθαι, οὐδὲ καθεκτὸς ἦν ὅλως, ἀλλ' ἀθρόον ἀνήλατό τε καὶ ἡδέως αὐτῷ καὶ λίαν φιλοστόργως περιεπλέκετο, χαίρων, δακρύων, νῦν μὲν θαύματος, νῦν δὲ ἡδονῆς πληρούμενος· καὶ οὕτως ἀλλοῖος καὶ

reverteretur sumpturus pater, in medio flumine constitutus spectaculum vidit ne aliorum quidem oculis, quid dicam patris tolerandum : quasi enim ex uno conducto accurrentes feræ me quidem hinc, fratrem vero meum inde extemplo in varias partes asportabant, vidente quidem patre, nec habente sic ut erat, nec valente alterutri liberorum subvenire. Et fratri quidem meo quid fecerit lupus (hæc enim erat... (1) *[bestia quæ illum rapuit), ignoro. Leo autem qui me accepit quum essem procul ab...] oculis patris, trajiciebat fluvium, dentibus tenens ; deinde pastoribus accurrentibus dimisit, ne parum quidem corpore læsum ; et sic eorum manibus creditus enutriebar.* Hæc junior audiens frater, et per singula dictorum signa et indicia sumens et reminiscentias, exardebat et agitatum habebat ac prosiliens cor. Postquam autem totum drama audivisset, tunc sane, ut jam non ambiguis sed firmis jam argumentis fratrem agnoscens, non poterat quiescere

[1] *cod.* μὴ δε. — [2] *cod.* ἅττουσαν. — [3] *cod.* γοῦν.

(1) Verba quæ sequuntur in uncis, sumpta ex versione Sirleti quam Lipomanus et post eum Surius ediderunt, explent lacunam quæ hic est in codice ex errore librarii. Nata videtur omissio ex eo quod parvo intervallo legebatur in textu bis eadem vox ἦν. In codice nulla intercapedine junguntur ἦν et τῶν.

παντοδαπὸς γινόμενος· Ἀδελφὸς εἶ, λέγων, ἀδελφὸς ἐμός· ἀδελφὲ φίλτατε, ἀδελφὲ χαριέστατε, ἀδελφὲ ὃν παρ' ἐλπίδα πᾶσαν ἐν ζῶσιν ὁρῶ, ὥσπερ ἄρα καὶ αὐτὸς ἀνελπίστως ἔχεις ἐμέ· οὓς θηρία μὲν παραδόξως ἥρπασε[1]· παραδοξοτέρως δὲ διεσώσαντο, καὶ ἀγνῶτες ἄνθρωποι συμπαθῶς ἀνεθρέψαντο. Ταῦτα, ἔλεγε πρὸς τὸν ἀδελφόν, καὶ ὡς τὰ πολλὰ ὧν μοι εἴρηκας, οὐκ ἐξ ὧν εἶδον τότε τῇ μνήμῃ φυλάττω· ἀλλ' ἐξ ὧν μᾶλλον ἀπὸ τῶν ἀναθρεψαμένων ἤκουον. Καὶ οὕτω μὲν τοῖς ἀδελφοῖς ἀλλήλων ἡ ἐπίγνωσίς τε καὶ ἡ ἀνεύρεσις[2] παραδόξως ᾠκονομήθη. Πῶς δὲ ἄρα καὶ τὴν μητέρα ἐπέγνωσάν τε καὶ παρ' αὐτῆς ἐπεγνώσθησαν; Ἴστε πάντες, καὶ οὐδαμῶς ἐπιλέλησθε[3] ὅτι πλησίον αὐτῆς ὁ λόγος ἐδείκνυ τούτους σκηνωσαμένους. Οὕτω γὰρ ἡ πολύτροπος ᾠκονόμει Θεοῦ σοφία. Ἅτε οὖν ἐγγύτατα οὖσα[4], τῶν λεγομένων ἀκριβῶς ἤκουσεν, ἄγνωστος ἀγνώστοις παροῦσα. Καὶ τὴν ἀρχὴν οὐδὲν πλέον συμβαλεῖν ἔχουσα, εἰ μὴ τοῦτο μόνον· ἀπὸ τῆς νεότητος αὐτῶν καὶ τῆς ὥρας εἰς τὴν τῶν υἱῶν ἀνάμνησιν ἐρχομένη. Ἤδη δὲ πρόσω διηγήσεως ἡκόντων αὐτῶν, ἐκείνῃ τὴν καρδίαν ὀξεῖς εἰσῄεσαν λογισμοί, καὶ ἐννοίαις ἐβάλλετο καὶ ὑπονοίαις ἐκόπτετο· εἰς τὴν ὄψιν τε περιέργως ἔβλεπε τῶν υἱῶν καὶ γνωρίσματα τῆς μορφῆς ἐκείνων[5] ἐπιμελῶς ἀνελέγετο· τὰ μὲν γὰρ τῆς ἁρπαγῆς[6] τῶν θηρίων ἠγνόει[7],

neque sedere, neque compos sui plane erat; sed raptim exsiliebat et suaviter illum ac valde amanter complexus est, gaudens, lacrimans, nunc quidem admiratione, nunc autem lætitia impletus, et sic varius et multiplex factus : *Frater es,* inquiens, *frater meus, frater carissime, frater suavissime, frater quem præter omnem spem in vivis video, sicuti profecto et ipse insperate habes me : quos feræ quidem mirabiliter rapuerunt, mirabilius autem servarunt et haud scientes homines misericorditer enutrierunt. Hæc,* dixit fratri, *et pleraque eorum quæ mihi dixisti, non ex iis quæ vidi tunc memoria teneo : sed ex iis potius quæ ab his qui me nutrierunt, audivi.* Et ita quidem fratribus mutua agnitio et inventio mirabiliter disposita fuit. Quomodo autem et matrem agnoverunt et ab ipsa agniti sunt? Scitis omnes, et nullatenus obliti estis quod prope ipsam sermo monstravit eos tentoria sibi figentes. Sic enim multiplex disponebat Dei sapientia. Quoniam itaque proxima erat, dicta accurate audiverat, ignota ignotis præsens. Et in principio nihil conjicere poterat, nisi hoc solum, se a juventute ipsorum et

[1] *cod.* ἥρπασε. — [2] *cod.* ἀνεύρευσις. — [3] *cod.* ἐπιλέλησθαι. — [4] *cod.* οὖσα. — [5] *cod.* ἐκεῖνων. — [6] *cod.* ἀρπαγῆς. — [7] *cod.* ἠγνώει.

αὐτὴ προληφθεῖσα. Ἐκ πολλῶν δὲ ὅμως [1] τὸ μητέρα αὐτῶν εἶναι σαφῶς ἐμάνθανεν. Αἵ τε γὰρ ὄψεις αὐτῇ [2] σύμβολα παρεῖχον οὐκ ἀσαφῆ· καὶ τοῦτο δὲ μάλιστα ὅτι στρατηλάτης ἦν αὐτοῖς ὁ πατήρ. Καὶ ὅτι πρὸς τὴν ξένην ἀπὸ τῆς ἐνεγκαμένης ἀπιοῦσιν αὐτοῖς, τῶν ἄλλων ἀποβάντων, ἡ μήτηρ οὐδαμῶς ἀπέβη, ἀλλὰ ταύτην μόνην ἦγεν [3] ἡ ναῦς, τοῦτο βεβαίαν παρεῖχεν αὐτῇ τὴν πίστιν. Ἅπερ ἐκείνη πάντα εἰς τὴν καρδίαν συλλέγουσα καὶ υἱοὺς ἤδη ταύτης [4] εἶναι μὴ ἀμφιβάλλουσα, στεναγμοῖς μὲν ἐκέχρητο ἀλαλήτοις, ηὐχαρίστει δὲ τῷ Θεῷ· καὶ πρὸς θρήνους ἐξαγομένη, λαθεῖν ἐσπούδαζε ἐν τῷ παρόντι τοὺς παῖδας· σοφὸν τοῦτο καὶ μεῖζον ἢ κατὰ γυναῖκα πράττουσα. Ὅθεν καὶ εἰς τὸν οἰκίσκον θᾶττον [5] ᾧ κατέμενεν εἰσδραμοῦσα, ἐπεὶ τὸ πάθος αὐτὴν σιγᾶν οὐκ ἠφίει· φύσει γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις οὐ μᾶλλον ἐφ' οἷς ἂν εὕρωμεν χαίρομεν, ὅσον ἀλγοῦμεν ἐπὶ τοῖς λειπομένοις· δεινόν τι καὶ γοερὸν ἀνακλαύσασα· Τὰ μὲν τῆς ἐμῆς κοιλίας, ἔλεγε, ἔκγονα ταῦτα· ὁ δὲ πατὴρ ποῦ; Ἆρα μή τι τῶν ἀδοκήτων αὐτῷ συμβαίη; Μὴ θηρίον ἐπελθὸν πικρὸν καταφάγοι; Ἢ τὸν ἥλιον καὶ αὐτὸς ἔτι σκυθρωποῖς βλέπει τοῖς ὀφθαλμοῖς, ταῖς συμφοραῖς πιεζόμενος; Πῶς δ' ἂν ἡ ἀθλία καὶ τοῖς ἐμοῖς τέκνοις ἐπιγνωσθείην; Δέδοικα γὰρ μὴ καὶ δι' ὑποψίας αὐτοῖς γενοίμην· ὡς οὐκ ἐξ ὧν πέπονθα μᾶλλον, ἀλλ' ἐξ

venustate in filiorum recordationem venisse. Jam vero in ulteriorem narrationem procedentibus illis, ipsi in cor acerba intrabant ratiocinia, et cogitationibus jactabatur et suspicionibus affligebatur : in vultum sedulo aspexit filiorum et signa formæ ipsorum studiose relegebat; quæ enim ad rapinam ferarum pertinent ignorabat, ipsa prærepta. Ex multis tamen matrem ipsorum esse se clare discebat. Facies enim ipsi indicia præbebant haud incerta; et hoc præcipue quod exercitus dux esset ipsis pater. Et quod, dum in alienam ex patria abiissent sua, reliquis descendentibus mater nequaquam descendisset, sed hanc solam abduxisset navis, hoc firmam præstabat ipsi fidem. Quæ illa cuncta in cor colligens et filios jam suos esse non ambigens, suspiriis quidem indulgebat ineffabilibus, gratias vero agebat Deo; et in fletum adducta latere studebat in præsens liberos, sapienter illud et majus muliere faciens. Unde et in domunculam celerius ubi manebat ingressa cursu, quum dolor ipsam tacere haud sineret (natura enim in talibus non magis gaudemus de inventis quam tristamur de amissis), amare ac flebiliter plorans : *Mei uteri,* inquit,

[1] *cod.* ὄμως. — [2] *cod.* αὐτή. — [3] *cod.* ἧγεν. — [4] *sic.* — [5] *cod.* θάττον.

ὧν ἤκουσα μήτηρ αὐτῶν ὥρμημαι [1] γενέσθαι. Οὕτως ἐκείνη καθ' ἑαυτὴν [2] [σ]τρέφουσα, τὸ λοιπὸν [3] τε τῆς ἡμέρας καὶ τὴν νύκταν [4] ὅλην ἀλύουσα ἦν. Ἔγνω οὖν εἰς ἡμέραν ἐμφανισθῆναι τῷ στρατηλάτῃ καὶ ζητῆσαι τὴν εἰς τὴν πατρίδα ἐπάνοδον ἅμα τούτῳ [5] ποιήσασθαι. Διὰ δὴ ταῦτα καὶ προσελθοῦσα· Κύριέ μου, φησί, γῆς ἐγὼ τῆς Ῥωμαίων, κἀνταῦθα πολὺν ἔχουσα χρόνον, δι' ἀπορίαν τοῦ πρὸς τὴν ἐπάνοδόν μοι συλληψομένου. Δέομαι τοίνυν τῆς σῆς χειρός, τὴν ποθουμένην ὄψεσθαι διὰ σοῦ πατρίδα, καὶ μὴ οὕτως ἀπορουμένην περιοφθῆναι. Τοῦτο γὰρ ἐσκέψατο πρὸς ἀμφοτέρους γενέσθαι αὐτῇ λυσιτελές, πρός τε τὸν ἄνδρα καὶ τοὺς υἱούς· τοῖς μὲν γὰρ ἐπανιοῦσιν ἐπανιοῦσα, καὶ ἅτε ὑπασπισταῖς τῷ στρατηλάτῃ ἕπεσθαι [6] μέλλουσιν ἑπομένη, δυνατὴ ἔσται βλέπειν, ὁμιλοῦσά [7] τε καὶ ὄψιν ἅμα [8] καὶ λόγους διδοῦσα, καταμικρὸν οὕτω τὸν γνωρισμὸν αὐτοῖς ἐμβαλεῖν καὶ τὸ μητέρα εἶναι ἀδίστακτον παρασχεῖν· καὶ τὸν ἄνδρα δὲ ὁμοίως ἡ τοῦ στρατηλάτου δύναμις ἔνθα ἂν καὶ γῆς ᾖ, δυνατὸν αὐτῇ ποιήσει μαθεῖν. Οὕτως οὖν διασκεψαμένη [κ]αὶ τοιαύτην προσενεγκούσῃ τῷ στρατηλάτῃ τὴν δέησιν, ἐκεῖνος φιλανθρώπως παντὶ προσφερόμενος, καὶ μάλιστα οἷς ὁ βίος τραχύ τι καὶ λυπηρὸν ἐπήγαγεν,

germina hæc : pater vero ubi? Num aliquid inexspectatum ipsi accidit? An fera irruens acerbe devoravit? An vero solem et ipse adhuc mœstis videt oculis, ærumnis pressus? Quomodo autem misera vel a meis liberis agnoscar? Timeo enim ne suspecta ipsis fiam, ac si non ex iis quæ experta sum magis quam ex iis quæ audivi mater eorum cupiam fieri. Sic illa secum ipsa agens, reliquum diei ac noctis fluctuans erat. Censuit ergo die facto se sistere exercitus duci et quærere in patriam reditum una cum ipso facere. Propterea etiam progressa : *Domine mi,* inquit, *terræ ego Romanorum, et hic multum dego tempus, deficiente qui ad reditum me assumat. Rogo ergo manum tuam, ut desideratam videam ope tua patriam, neve sic indigens contemnar.* Hoc enim considerabat erga utrosque esse sibi utile, erga virum et erga filios; nam cum proficiscentibus profecta, et quia armigeros exercitus ducem secuturos sequebatur, poterat videre, et conversata faciem simul et sermonem exhibens, paulatim sic agnitionem ipsis injicere et matrem se esse indubium facere : et de viro similiter, ducis potentia, ubilibet terrarum esset, poterat ipsi efficere ut certior fieret. Sic ergo quum

[1] *cod.* ὥρμημαι. — [2] *cod.* ἑαυτήν. — [3] *cod.* λεῖπον. — [4] *sic.* — [5] *cod.* ἅμα τοῦτο. — [6] *cod.* ἕπεσθαι *et mox* ἑπομένη. — [7] *cod.* ὁμιλοῦσα. — [8] *cod.* ἅμα.

οὖς [1] εὐήκοον ὑπέσχεν αὐτῇ καὶ πρὸς τὴν πατρίδα ἐπένευσεν ἀνασώσασθαι. Θαυμάζουσα δὲ ἡ γυνὴ τὸ λίαν ἐπιεικὲς τοῦτο τοῦ στρατηγοῦ καὶ φιλάνθρωπον, περιεργοτέροις αὐτὸν ἐνεσκοπεῖτο τοῖς ὀφθαλμοῖς· καί τις αὐγὴ διὰ τοῦ ἤθους τε τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῶν τῆς ὄψεως χαρακτήρων ἐμπίπτουσα, τὸν ἀναγνωρισμὸν αὐτῇ διεφώτιζεν. Ὡς δὲ ἅπαξ [2] αὐτὸν εἶναι τὸν Εὐστάθιον, τὸν Θεοπίστης ἄνδρα, διεβεβαίωτο καὶ οὐδὲν αὐτὴν ἀμφίβολον ὑπεκλόνει, ἀχανὴς εἱστήκει [3] καὶ γνώμῃ καὶ χείλεσι, τῷ τε παραδόξῳ τοῦ πράγματος διαπορουμένη καὶ πολλῇ αἰσχύνῃ καὶ ἐπιθυμίᾳ μεριζομένη. Ὅτι γὰρ πολὺ τὸ μέσον ἑώρα τῆς ἰδίας τε ταπεινώσεως καὶ τῆς τοῦ ἀνδρὸς δόξης, οὐκ εἶχε πῶς ἂν τοῦ τοιούτου θαρρήσειεν ὀφθῆναι γυνή. Ἄλλως τε δὲ καὶ τὴν τοῦ ἀνδρὸς πρὸς αὐτὴν διάθεσιν ὅπως ἔχει νῦν ἀγνοοῦσα, τῷ πολὺν εἶναι τὸν μεταξὺ χρόνον, ἔτι πλέον τῆς ὁρμῆς [4] ἀνεκόπτετο.

18. Πλὴν ἀλλ' ἰσχυρὸν ὁ πόθος καὶ εὔτολμον, καὶ οὐδὲν οὕτως ἂν εἴη τὸ ἀντιτεῖνον [5] στερρὸν, ὃ μὴ ῥᾴδιον ἐκείνῳ καὶ ὁμαλὲς γένοιτο. Τούτῳ γοῦν [6] καὶ αὐτὴ εἴκουσα, εἶτα δὲ καὶ καιρὸν ἐπιτήδειον φυλάξασα, ἔστη τε τῷ ἀνδρὶ κατ' ὄψιν, καὶ βύ[θ]ιόν τι καὶ περιπαθὲς στενάξασα, καὶ τὸ

deliberasset, ejusmodi oblata duci petitione, ille amanter omnibus propendens, et præcipue iis quibus vita asperum quid ac dolorosum adduxerat, aurem benevolam præbuit ipsi, et in patriam annuit salvam se eam reducturum. Admirata mulier magnam clementiam hanc ducis et caritatem, attentioribus ipsum intuebatur oculis; et quidam radius per mores viri et vultus characteres incidens recognitionem ipsi illuminabat. Ut autem repente ipsum esse Eustathium, Theopistæ virum, firmiter constabat et nihil ipsam ambiguam labefactabat, muta constitit et mente et labiis, miraculo facti impedita et multo pudore ac desiderio in varias tracta partes. Quia enim magnum intervallum videbat propriæ humilitatis et viri gloriæ, nesciebat qua ratione tanti viri auderet apparere uxor. Alioquin etiam viri erga se animum quomodo nunc haberet, ignorans, quod multum esset interpositum tempus, etiam magis ab impetu sibi temperabat.

18. At vero fortis amor et audax, et nihil ita ex adverso durum, quod non facile illi ac lene fiat. Huic ergo et ipsa cedens, deinde vero et tempus aptum custodiens, stetit viri in conspectu, et profunde ac

[1] *cod.* οὗς. — [2] *cod.* ἅπαξ. — [3] *cod.* εἱστήκει. — [4] *cod.* ὁρμῆς. — [5] *cod.* ἀντιτείνων. — [6] *cod.* γοῦν.

δάκρυον, ὃ μάλιστα εἰς πειθὼ [1] δύναται, δαψιλὲς ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ῥέουσα· Ὦ γενναῖε, ἔφη, ὦ πολύαθλε καὶ πολύμοχθε· ὁ ἐκ Πλακίδα Εὐστάθιος· ὁ σταυροῦ θείᾳ ἐπιφανείᾳ τῇ κατ' ἔλαφόν σοι ὀφθείσῃ τὴν εὐσέβειάν τε μυηθεὶς καὶ διδαχθεὶς τὰ ἐσόμενα· ὁ ἐξ εὐδαιμόνων ἄτιμος καὶ συμφοραῖς ἐντριβής· ὁ τὴν γυναῖκα πάλαι τῷ πλοίῳ καταλιπών, ἥτις ἐγὼ φεῦ ἡ ἀθλία· ἣν ὁ βάρβαρος καὶ φθορεὺς ἐκεῖνος ἀφεῖλεν εἰς μισθοῦ πρόφασιν τοῦ κατὰ θάλασσαν πλοῦ, ἡνίκα σὲ μὲν δεδακρυμένον τοῦ πλοίου ἐξέπεμπεν, ἐμὲ δὲ παρ' ἑαυτῷ κατεῖχεν οὐ καλὰς στρέφων ἐννοίας. Εἰ καὶ θᾶττον [2] τὸν ὑβριστὴν ἡ δίκη μετῆλθεν, ἄμωρόν σοι διαφυλάξασα τὴν ὁμόζυγον. Πολλὰ μὲν γὰρ ὑπέστην ἐν τῷ μέσῳ τὰ δυσχερῆ· ἀνύβριστον δέ σοι τὴν κοίτην ἐτήρησα. Ὑπὸ Θεῷ μάρτυρι τοῦτο λέγω καὶ τοῖς ἐκείνου πάντα βλέπουσιν ὀφθαλμοῖς. Εἰ οὖν αὐτὸς εἶ οὗ γνωρίσματα ταῦτα τυγχάνει, ἐπίγνωθι καὶ σὺ τὴν γυναῖκα τὴν σήν, εἰ μή με οὕτως ἔχουσαν ἀποστέργεις καὶ τῆς σῆς ἡγεῖ [3] λαμπρότητος ἀναξίαν, καὶ δεῦρο [4] κοινῇ [5] δῶμεν εὐχαριστίαν [6] τῇ μεγάλῃ Χριστοῦ προνοίᾳ, ἣ οὕτω τὰ καθ' ἡμᾶς διεξήγαγεν. Οὕτω μετὰ θερμῶν δακρύων τῆς πολυμόχθου Θεοπίστης

dolorose ingemiscens ac lacrimis, quæ maxime ad persuadendum valent, copiosis ex oculis fluentibus : *O generose,* inquit, *o multis acte certaminibus et multis agitate ærumnis : tu qui ex Placida factus es Eustathius : qui crucis divina apparitione per cervum tibi ostensa pietate initiatus es et futura didicisti : qui ex prosperis inhonorus ac calamitatibus exercitus fuisti : qui uxorem quondam in nave reliquisti, quæ ego, heu misera ; quam barbarus et corruptor ille abstulit sub mercedis prætextu transmarinæ vectionis, quando te lacrimantem e nave emisit, me vero apud se retinebat, non decoras volvens cogitationes. Quamquam celeriter petulantem justa pœna est insecuta, intactam tibi conservans conjugem. Multa enim interim sustinui incommoda ; immaculatum vero tibi thorum conservavi. Cum Deo teste hoc dico et ipsius omnia videntibus oculis. Si ergo ille ipse es cujus hæc indicia sunt, agnosce et tu uxorem tuam, nisi me sic affectam abomineris et tuo ducas splendore indignam, atque age una demus gratiarum actiones magnæ Christi providentiæ, quæ sic nostra negotia conduxit.* Ita cum calidis lacrimis multo vexata labore Theopiste loquente, dux haud sufficientia hæc

[1] *cod.* πιθὼ. — [2] *cod.* θάττον. — [3] *cod.* ἡγεῖ. — [4] *cod.* δεύρο. — [5] *cod.* κοινή. — [6] *cod.* εὐχαριστεία.

λεγούσης, ὁ στρατηγὸς οὐχ ἱκανὰ [1] ταυτὶ κρίνων εἰς πίστιν κινδυνώδους πράγματος καὶ πολλῆς δεομένου τῆς..... (1)

judicans ad fidem periculosi negotii et multa indigentis......................

cautione, formam adhuc, tanquam certissimum signum, diligenter inquirebat. Postquam autem eam quoque vidit convenire, ortus est utrimque clamor cum magno fluxu lacrimarum, largos imbres fundens. Postquam autem in amplexus et oscula irruerunt, dixit veneranda Theopiste conjugi: *Filii autem ubi sunt, o carissime? et quomodo non sunt nunc apud te?* Ille vero qui nondum puras compresserat lacrimas, animi dolore totus repente commotus, et illas profudit tanquam fontes, et: *O mulierum omnium fidelissima, Theopiste,* dixit, *devorati sunt a bestiis nostri filii; et hoc, proh dolor, meis vidi oculis.* Illa autem ex eo nihil commota (plane enim sciebat eos esse superstites) statuit interim philosophari, et non aperte enuntiare, quum omnino esset uxor Eustathii. *Sed quid est,* inquit, *quod Deus non possit facere, qui nos quoque præter spem omnem sic fecit convenire?* Deinde singulatim retulit omnia, quæ filios inter se audivisset narrantes, et quemadmodum se plane invicem agnovissent et illa ipsos, etsi se carissimis nondum sustinuisset aperire: *Quum tui,* aiebat, *o marite, cura me non relaxaret, neque sineret gustum integrum percipere voluptatis, quam accipiebam ex filiis.*

19. Ille autem admiratus est arcanam Dei sapientiam, et admiratione propemodum obstupuit, quemadmodum eum latuissent filii, dilectique et effecti ei essent familiares, non lege aliqua cognationis, sed virtute sola propter quam electi sunt ab eo sui satellites: et quemadmodum lugens eos quos apud se habebat, bestiarum ventres appetiisset maledictis. Eis ergo accersitis, rogavit quinam essent et unde et quinam essent eorum parentes. Illi autem dixerunt se natos quidem esse ex claris parentibus; sed qui quantum ab initio gloriosiores, tantum postea fuerunt infelices. Postquam autem jussit singulatim aperire quæ evenerant, illi dixerunt se cum parentibus fuisse exules ex patria, deinde eam quæ in nave facta fuerat, matris retentionem; quæ in fluvio evenerant, et quemadmodum eos feræ rapuerant. Ad quem locum cum pervenissent, non exspectavit pater ut narrarent reliqua, sed protinus insiluit et circumfusus eos est amplexus, qui videbantur quidem satellites, erant autem latenter filii desiderati: *Filii mei,* dicens, *filii dulcissimi, filii carissimi, qui prius quam solem bene videretis. tenebris tentationum*

[1] *cod.* ἰκανὰ.

(1) Explemus rursus ex versione Sirleti lacunam codicis, ortam ex ablatione integri folii seu quatuor paginarum, quarum duæ inter folia nunc signata 182 et 183, duæ item inter 186 et 187.

uistis circumdati, et priusquam agnosceretis parentes, novam didicistis orbitatem. **Hæc et his similia, commixtis lætitia lacrimis, proferente patre, et parentes filios, et filii parentes amplectebantur : duplexque festum egit populus, et de victoria parta adversus hostes, et de ducis exercitus familiæ ad vitam, ut ita dicam, revocatione.**

.....ωσιν. Οὕτως οὐκ εἰς τέλος ἐπιλέλησται ὁ πτωχός, [οὐδ]ὲ ἡ τῶν πενήτων ὑπομονὴ καθάπαξ ἀπόλλυται. Οὕτως ὁ ἀποκτένων [1] καὶ ζῆν ποιῶν, ὁ πατάσσων καὶ πάλιν ἰώμενος, καὶ ἱστῶν [2] εἰς αὖραν [3] τὴν καταιγίδα, οὕτω πυρώσας αὐτοὺς ὡς πυροῦται τὸ ἀργύριον, ἐξήγαγεν εἰς ἀναψυχήν. Ὥστε καὶ Εὐσταθίῳ προσῆκον [4] εἰπεῖν τὸ Δεῦτε [5], ἀκούσατε καὶ διηγήσομαι ὑμῖν πάντες οἱ φοβούμενοι τὸν Θεόν, ὅσα ἐποίησε τῇ ψυχῇ μου· ὅτι ἐτάχυναν ἐπ' αὐτὸν πόδες εὐαγγελιζομένου. Λεγέτω γὰρ καὶ Ναοὺμ τὰ τῷ καιρῷ πρόσφορα· Καὶ ἀνέβη ὁ ἐμφυσῶν εἰς πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ἐκ θλίψεως αὐτὸν ἐξαιρούμενος. Ἀλλὰ τούτων μὲν ἅλις [6]. [Μ]ετὰ δὲ ταῦτα τούς τε δωρυαλώτους καὶ τῶν ἄλλων λαφύρων τὸ πλῆθος ἕπεσθαι [7] προστάξας ὁ στρατηγός, ἐπὶ τὴν βασιλίδα Ῥώμην νικηφόρος ἀνήγετο. Οὔπω δὲ καταλαβόντος, Τραϊανὸς μὲν ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο· Ἀδριανὸς δὲ πιστεύεται μετ' ἐκεῖνον τὴν βασιλείαν· ἀνὴρ τὸ

Sic non in finem oblivioni datus est pauper, neque egenorum patientia prorsus perit. Sic qui occidit et vivificat, qui percutit et iterum sanat, et in auram procellam statuens, sic igne probatos illos uti probatur argentum eduxit in refrigerium. Ita ut etiam Eustathio conveniret dicere illud: *Adeste, audite, et narrabo vobis, o vos omnes qui timetis Deum, quanta fecerit animæ meæ;* quia festinabant ad ipsum pedes illius qui bona annuntiat. Dicat et Nahum tempori congrua : *Et ascendit insufflans in faciem ejus et ex tribulatione ipsum eruens.* Sed horum quidem satis. Post hæc autem captivis et reliquorum spoliorum multitudine sequi jussis, dux ad regiam Romam victor exercitum duxit. Nondum pervenerat, quum Trajanus e vivis sublatus est. Adriano autem creditur post illum imperium, vir religionis quidem cultu græcissimus,

[1] *cod.* ἀποκτένων. — [2] *cod.* εἰστῶν. *Mira vox, orta forsan ex eo quod terminatio participii data est formæ* ἱστάω. *Legitur hoc loco* ἔστη *in* Ps. CVI (al. CVII), 29. — [3] *cod.* αὖραν. — [4] *cod.* πρόσήκον. — [5] *cod.* δεύτε. — [6] *cod.* ἄλις. — [7] *cod.* ἔπεσθαι.

μὲν σέβας ἑλληνικώτατος, τὴν δὲ γνώμην βάρβαρος καὶ κατὰ τῶν εὐσεβούντων ἐπιφορώτατος. Ὡς οὖν ἐπανῆκεν ὁ στρατηγός, [δ]ώροις μὲν καὶ ταῖς ἄλλαις φιλοφροσύναις αὐτὸν ἠμείβετο [1] ἐπαγαλλόμενός τε τοῖς τροπαίοις οἷς ἐκεῖνος κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἔστησε· καὶ τὴν τῆς γυναικὸς αὐτοῦ καὶ τῶν παίδων ἀνεύρεσιν ἐν ἡδονῇ πολλῇ καὶ αὐτὸς τιθέμενος. Ἐπεὶ δὲ καὶ πρὸς τὸν εἰδωλι[κ]ὸν ναὸν ὁ ἀνόητος ἀπῄει, τοῖς ἀνοητοτέροις θύσων τὰ ἐπινίκια, ὁ εὐσεβὴς τῷ ὄντι στρατηγός, οὐκ ἀγνοῶν τίς ὁ τῆς νίκης ἀληθῶς αἴτιος καὶ αὐτῷ [πνευματι]κὴν ἀναφέρων θυσίαν, οὐχ ὅτι μὴ συνεισῆλθε [τῷ βα]σιλεῖ, ἀλλ' οὐδὲ μέχρι πυλῶν συναπελθεῖν ἠνέσχετο, [ὁδὸν] πονηρὰν ἀπὸ γραμμῆς ἐκτρεπόμενος.

20. Ἐπεὶ δὲ ἡ αἰτ[ία] οὐκ ἀζήτητος τῷ βασιλεῖ ἦν, ὅτου χάριν μὴ παρέλθοι τά τε ἐπινίκια θύσων [2] τοῖς πατρῴοις θεοῖς καὶ τὰ τῶν παίδων σῶστρα καὶ τῆς γυναικός, ἐκεῖνος [ο]ὐ μὲν οὖν οὐκ ἀπαρρησίαστος ὤν, οὐδὲ ἄτολμος τὴν ὁμολογίαν, θαρρούντως εὐθύς· Ὅτι χριστιανὸς ὤν, εἶπεν, ὦ βασιλεῦ, τῷ δοτῆρι Χριστῷ τῆς τε νίκης καὶ τῶν ἀπολωλότων μοι παίδων [3] καὶ τῆς γυναικὸς ἀποδίδωμι τὴν εὐχαριστίαν [4]. Ἕτερον δὲ παρὰ τοῦτον καὶ μάλιστά γε τὰ ἄψυχα ταυτὶ καὶ κωφὰ οὔτε γνοίην ἂν οὔτε σεβασθείην, μὴ οὕτως ὀφθείην φρενῶν ἐνδεής. [Ὀ]ργῆς ἐπὶ τούτοις ὁ

mente vero barbarus et contra pios valde excitatus. Ut ergo advenerat dux, donis quidem et aliis amicitiæ signis ipsum remunerabat, gaudens trophæis quæ ipse de hostibus statuerat; et de uxoris ejus et liberorum inventione gaudium multum et ipse monstravit. Postquam autem ad idolorum templum demens abiisset, dementioribus sacrificia oblaturus ob victoriam reportatam, pius revera dux, haud nesciens quis victoriæ in veritate causa, et ipsi spiritualem offerens victimam, non modo non intrabat cum imperatore, sed nec usque ad portas comitari voluit, viam malam inde a carceribus declinans.

20. Quum vero causam non omitteret quærere imperator, quare non venisset sacrificia ob reportatam victoriam oblaturus patriis diis et pro liberis salvis receptis cum uxore, ille igitur, ut qui libertate loquendi non careret nec audacia confitendi, animose statim : *Quia, ut christianus,* ait, *o imperator, donatori Christo ob victoriam et quos perdideram liberos et uxorem reddo gratiarum actiones. Alium vero præter ipsum, et maxime inanima ista et muta neque agnoverim neque adoraverim, ne ita videar mente captus.* Ira super his imperator imple-

[1] *cod.* ἠμείβετο. — [2] *cod.* θῦσων. — [3] *cod.* παῖδων. — [4] *cod.* εὐχαριστείαν.

βασιλεὺς πληρωθεὶς, ἀφαιρεῖ μὲν αὐτὸν πρότερον τὴν στρατηγικὴν ἀρχήν τε καὶ ζώνην· ἔπειτα τέκνοις αὐτοῖς καὶ συζύγῳ τῷ τυραννικῷ παρίστησι βήματι. Καὶ πρῶτα μὲν λόγοις ἐπαγωγοῖς ἐπειρᾶτο πείσειν αὐτοὺς ἀπομαθεῖν τὴν εὐσέβειαν· ὡς δὲ κρείττους ἑώρα θωπείας πάσης καὶ τῆς τῶν δοκούντων ἀγαθῶν ἐπαγγελίας, εἶτα ἐχώρει καὶ πρὸς τὰς ἀπειλάς. Ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων ἦσαν ἀνώτεροι, ὅδε [1] καὶ τὴν πεῖραν ἐπήγαγεν· ἀγνοῶν ὁ ἀσύνετος ὅτι δύο ταῦτα ἀλλήλοις ἐναντιώτατα, πειθώ τε καὶ βία· ὥστε εἰ πρὸς ἀλήθειαν ἐζήτει τὰ χριστιανῶν αὐτοὺς ἐξωμόσασθαι, πείθειν οὐχὶ κολάζειν ἐχρῆν· εἰ μὴ ἄρα τοῖς χείλεσιν ἠρκεῖτο μόνοις, ἂν μὴ καὶ τὴν καρδίαν τις [2] ἔχοι συμφθεγγομένην. Ἀπάγει τοιγαροῦν τοὺς ἀθλητὰς εἰς τὸ στάδιον· καὶ λέοντας αὐτοῖς ἐπαφῆκεν ἀγρίους ὁ τὴν ψυχὴν ὄντως ἄγριος καὶ ἀσύνετος· οἳ καὶ πολλῇ ῥύμῃ κατὰ τῶν ἁγίων χωροῦσιν, ἅτε [3] δὴ τῷ λιμῷ διηρεθισμένοι. Καὶ τοῦτο γὰρ ἐπιτετήδευτο τοῖς ἀνθρωποκτόνοις, ὥστε [4] δὴ τῇ φυσικῇ ἀγριότητι καὶ τοῦ λιμοῦ συνεφαπτομένου θᾶττον αὐτοῖς παρανάλωμα γενέσθαι τοὺς Χριστοῦ μάρτυρας. Τοῦτο δὲ μεῖζον ἐποίει τὸ θαῦμα τοῖς ἀθληταῖς, κρείττους τῶν θηρίων ἀποδειχθεῖσιν, ἐπεὶ καὶ εἴθισται τῇ μεγάλῃ τοῦ Θεοῦ σοφίᾳ τὰς τῆς κακίας ὑπερβολὰς εἰς ὑπερβολὴν θαύματος συνελαύνειν τῆς ἀρετῆς.

tus, abstulit quidem ei primo imperatoriam potestatem et zonam; deinde cum filiis et conjuge tyrannico sistit tribunali. Et primo quidem sermonibus suasoriis conabatur persuadere illis ut dediscerent pietatem; ut autem fortiores vidit blanditiis cunctis et eorum quæ videntur bona pollicitatione, deinceps vertitur etiam ad minas. Quum vero et his essent superiores, ipse et experimentum adduxit, ignorans insipiens duo illa sibi invicem opponi, persuasionem et vim : ita ut si secundum veritatem quæreret ut christianos ritus ipsi ejurarent, persuadere, non punire oportebat : nisi forte labia sola sufficiant, quando non et cor quis habeat consonum. Duxit itaque athletas in stadium, et leones in ipsos immisit feroces ipse anima vere ferox et insipiens, qui et multo impetu in sanctos feruntur, utpote fame exasperati. Hoc enim studiose factum erat ab hominum occisoribus, ut naturali ferocitati fame conjuncta celerius ab ipsis devorarentur Christi martyres. Hoc autem majus operabatur miraculum athletis, fortiores feris ostendi, quandoquidem consuetum est magnæ Dei sapientiæ malitiæ excessus in excessum miraculi conducere virtutis. Ut ergo prope feræ

[1] *cod.* ὁ δὲ. — [2] *cod.* τίς. — [3] *cod.* ἅτε. — [4] *cod.* ὥστε.

Ὡς οὖν πλησίον οἱ θῆρες [1] τῶν ἁγίων [γ]εγόνασιν οὐκ ἔτι θῆρες ἦσαν, ἀλλὰ τῆς εὐσεβείας ὄντως ἀπαράγραπτοι μάρτυρες, οὐκ ἐκ τῶν ῥημάτων ἀλλ' ἐκ τῶν πραγμάτων ἐκείνην ὁμολογοῦντες. Εὐθὺς γὰρ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτοὶ μιμησάμενοι καὶ τὰς κεφαλὰς ὑποκλίναντες τοῖς ἁγίοις, καὶ ὥσπερ δῆλοι γενόμενοι συγγνώμην αἰτοῦντες, ὅτι μὴ παρ' ἑαυτῶν ἀλλ' ὑφ' ἑτέρων ἤχθησαν ἄκοντες, εἶτα καὶ περιλιχμησάμενοι τὰ ἐκείνων σώματα σὺν πολλῇ τῇ φειδοῖ καὶ τῇ εὐλαβείᾳ, εὐθὺς ἐπανῄεσαν ἠρεμαῖοι [2], δεινὴν ἄνοιαν τοῦ τυράννου καταγοροῦντες καὶ πᾶσιν ἐναργῶς δείξαντες ὅτι τὰ ἄλογα ταῦτα τοὺς δεσπότας ἐπιγινώσκει, ὅταν τὸ λογικὸν ἐκείνοις [3] ὡς προσῆκόν ἐστι φυλαχθῇ. Ἀλλ' οὕτω μὲν οἱ θῆρες ὡσπερεὶ λόγον ἔχοντες γεγόνασι φανεροί· ὅρα δὲ τουναντίον αὖθις τοὺς λογικοὺς καὶ θηρίων ὠμότητα καὶ ἀλογίαν φανερῶς ἐπιδειξαμένους. Δέον γὰρ θαυμάσαι τὸν ἀνόητον βασιλέα τὸ ὑπερφυὲς τουτὶ καὶ παράδοξον καὶ ὁδηγῷ τῷ πράγματι χρήσασθαι πρὸς εὐσέβειαν· ὁ δὲ οὐ μόνον οὐκ ἐθαύμασεν οὐδ' εἰ μή τι ἄλλο τῶν θηρίων ᾐσχύνθη τὴν λογιότητα, ἀλλὰ καὶ ὑπέκκαυμα τοῦτο μᾶλλον εἰς ὀργὴν εἶχεν, ὥσπερ τοῖς θηρσὶ χαλεπαίνων ὅτι μὴ γνώμην ἐκείνου τοὺς ἁγίους κατηγωνίσαντο. Ὅθεν καὶ πρὸς ἕτερον εἶδος ἐχώρει βασάνου, καὶ βοῦν ἐκ χαλκῆς ὕλης κολαστήριον τοῖς μάρτυσι

sanctos venissent, non jam feræ erant, sed pietatis revera irrecusabiles testes, non verbis sed factis illam confitentes. Illico enim adoratores ipsæ imitatæ et capita inclinantes sanctis, et quasi publice protestantes veniam se petere, quod non a semetipsis sed ab aliis agerentur invitæ, deinde etiam lambentes ipsorum corpora cum multa lenitate et benignitate, statim revertebantur mansuefactæ, magnam dementiam tyranni accusantes et cunctis opere monstrantes bruta ista dominos agnoscere, quando rationis usum hi uti decet custodierunt. At sic quidem feræ quasi rationem habentes apparuerunt. Vide contra rursus ratione præditos etiam ferarum crudelitatem et irrationale aperte monstrantes. Oportebat enim ut admiraretur demens imperator hoc quod naturam superabat et prodigiosum erat, et viæ duce hoc facto uti ad pietatem : ipse vero non solum non admirabatur neque saltem ferarum reverebatur rationabilitatem, sed etiam irritationem hoc potius ad iram habebat, quasi feris irascens quod non juxta mentem suam sanctos aggressæ fuerant. Unde etiam ad alteram speciem cessit tormenti, et bovem ex cuprea materia ad puniendos

[1] *cod.* θήρες *et mox iterum semel.* — [2] *cod.* ἡρεμαῖοι. — [3] *cod.* ἐκεῖνοις.

διαμηχανᾶται. Ὃν τῇ ὑστεραίᾳ σφοδρότατα [1] διακαύσας, πάνδημον ἐκ συνθήματος θέατρον συναθροίζει. Ἐπεὶ δὲ τὰ τοιαῦτα μακρολογῶν ληρεῖν φανερῶς ἐῴκει καὶ λόγους ἀέρι διακενῆς χαριζόμενος, ἐπιμᾶλλον ἐξάπτεται πρὸς ὀργὴν, καὶ τοῖς παρεστῶσι διεκελεύετο θᾶττον ἢ ὁ λόγος τοὺς ἁγίους τῷ χαλκουργήματι ἐμβαλεῖν. Ἤγοντο τοιγαροῦν οἱ μάρτυρες οὐδὲ βραχὺ σκυθρωπάσαντες οὐδὲ ἴχνος τι [2] κατηφὲς τῷ προσώπῳ παραδείξαντες.

21. Ὡς δὲ καὶ ἐγγὺς ἦσαν, χεῖρας ἅμα [3] καὶ ὀφθαλμοὺς εἰς οὐρανοὺς ἄραντες· Κύριε, ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων, ἔφησαν, εἰσάκουσον ἡμῶν δεομένων, καὶ δὸς ἡμῖν, βασιλεῦ, ἀνθ' ὧν ἡμᾶς ἐπύρωσάς τε καὶ ἐδοκίμασας τῷ τῶν ὑπὲρ σοῦ ἀγώνων πυρὶ, μετασχεῖν τοῦ κλήρου τῶν ἀπ' αἰῶνος ἁγίων σου. Ἐπανήγαγες, ὡς ὑπέσχου, δέσποτα, πρὸς τὴν προτέραν τοῦ βίου τούτου δόξαν καὶ περιφάνειαν· ἐπανάγαγε καὶ νῦν ἀπὸ τῶν ῥεόντων πρὸς τὰ ἀκήρατα. Ἰδοὺ γάρ σοι φέροντες ἑαυτοὺς ὁλοκαυτούμεθα [4] τῷ πυρί τούτῳ, καὶ πατὴρ ὁμοῦ [5] καὶ τέκνα σοι προσαγόμεθα σὺν μητρί· γενέσθω ἡ θυσία ἡμῶν εὐπρόσδεκτος ἐνώπιόν σου, καὶ αἰσχυνθήτω κἀνταῦθα τῷ κράτει τῷ σῷ ὁ κοινὸς ἡμῶν τοῦ γένους πολέμιος. Δοξασθήτω δι' ἡμῶν

sanctos disponit. Quo postridie vehementissime calefacto, universum populum ex condicto in theatrum congregat. Postquam autem ea de re multo sermone protracto nugari palam videretur, et sermones aeri in vanum dedisse, in majorem succenditur iram, et iis qui adstabant mandabat ut celerius verbo sanctos in æream machinam conjicerent. Ducebantur igitur martyres nullo modo tristes neque vestigium mœroris in facie exhibentes.

21. Ut autem prope erant, manus simul et oculos ad cœlos levantes : *Domine Deus virtutum,* dicebant, *exaudi nos precantes, et da nobis, o Rex, pro eo quod nos igne probasti et examinasti susceptorum propter te certaminum igne, partem habere sortis eorum qui a seculo sunt sanctorum tuorum. Reduxisti nos, ut pollicitus eras, Domine, ad priorem vitæ hujus gloriam et splendorem : duc et nunc a fluxis rebus ad integritatem. Ecce enim tibi offerentes nosmetipsos holocautomata igni huic, et pater una et liberi tibi adducimur cum matre : fiat sacrificium nostrum acceptabile coram te, et confundatur etiam hic potestate tua communis nostri generis inimicus. Glorificetur per nos humiles,*

[1] *cod.* σφοδρώτατα. — [2] *cod.* τί. — [3] *cod.* ἅμα *et mox iterum bis.* — [4] *cod.* ὁλοκαυτούμεθα. — [5] *cod.* ὁμοῦ.

τῶν ταπεινῶν, Κύριε, καὶ τὸ ὑπερύμνητον ὄνομά σου. Μὴ ὑπερόψῃ τὴν θυσίαν ἡμῶν, ἀλλὰ φανήτω ἐνώπιόν σου ὡς Ἄβελ τὰ δῶρα, ὡς Ἀβραὰμ ἡ θυσία, ὡς τὸ τοῦ πρωτομάρτυρος αἷμα [1], ὡς πάντων τῶν ἁγίων αἱ σφαγαὶ καὶ ὁλοκαυτώσεις καὶ ὁ διὰ μαρτυρίας θάνατος. Παράσχου δὲ καὶ τοῖς τὴν ἡμῶν μνήμην διὰ τοῦ σοῦ ἁγίου ὀνόματος ἐπιτελοῦσιν σωτηρίαν ψυχῆς καὶ παντὸς τοῦ ἀνιῶντος ἐλευθερίαν. Ταῦτα διὰ μιᾶς γλώσσης τοῦ καλλινίκου μάρτυρος Εὐσταθίου ὁ σύναθλος τῶν ἁγίων χορὸς εὐξάμενοι, φωνῆς οὐρανόθεν φερομένης ἤκουον ἅμα μὲν βεβαιούσης τὸ πέρας αὐτοῖς τῶν αἰτήσεων, ἅμα δὲ καὶ τῆς οὐρανῶν βασιλείας κληρονόμους ἀποφαινούσης. Ὡς οὖν τῆς φωνῆς ταύτης οἱ μάρτυρες ἤκουσαν, εἰς τὸν πεπυρακτωμένον αὐτίκα βοῦν ἅμα πάντες εὐψύχως ἐνήλαντο· καὶ ὃς ἐν ᾧ τὰ τῶν ἁγίων προσήγγιζεν αὐτῷ σώματα, οὐκέτι πυρὸς οὐδὲ κολάσεως ὄργανον ἦν, ἀλλὰ χαλκὸς ἀναψύχων αὐτοὺς τῶν πολλῶν ἱδρώτων καὶ ἀνακτώμενος. Καὶ οὕτω δοξάζοντες τὸν Θεὸν καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν ζητοῦντες ἀνάλυσιν, τὰς μαρτυρικὰς ψυχάς τε καὶ πολυάθλους ταῖς αὐτοῦ χερσὶν παρατίθενται· εἰκάδα τότε τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς ἄγοντος. Πλὴν ἀλλ' ὁ πολὺς τὴν κακίαν Ἀδριανός, τριῶν ἤδη παρηκουσῶν ἡμερῶν, πρὸς τὸν χαλκοῦν τοῦτον παραγίνεται βοῦν, καὶ ἀνοιγῆναι διακελεύεται. Ἦν γὰρ

Domine, etiam super omnia celebrandum nomen tuum. Ne despicias sacrificium nostrum, sed appareat coram te ut Abelis dona, ut Abrahami victima, ut protomartyris sanguis, ut omnium sanctorum cædes et holocausta et per martyrium obitus. Præbe etiam illis qui nostri memoriam per sanctum tuum nomen celebrant, salutem animæ et omnis vexationis libertatem. Hæc per unam linguam præstantis victoria martyris Eustathii ejusdem certaminis particeps sanctorum chorus precatus, vocem de cœlo lapsam audivit, simul confirmantem exitum iis petitionum, simulque cœlorum regiæ hæredes proclamantem. Ut itaque vocem hanc martyres audiverant, in ignitum illico bovem una omnes insilierunt: et hic qua parte sanctorum attingebant ipsum corpora, non jam ignis neque punitionis instrumentum erat, sed æs refrigerans ipsos a multis sudoribus et recreans. Et sic glorificantes Deum et eam quæ ad ipsum ducit quærentes dissolutionem, martyricas animas multisque probatas certaminibus ejus manibus tradunt, vigesimum diem Septembri mense agente. Verumtamen multis malitia Adrianus, tribus jam elapsis diebus ad hunc æreum accedit bovem,

[1] *cod.* αἶμα.

αὐτῷ κατὰ νώτου τὸ στόμιον. Ὡς οὖν ἀνέῳκτο, αὐτός τε καὶ οἱ συμπαρόντες ὁρῶσιν τὰ τῶν μαρτύρων σώματα· πυρὸς μὲν οὐδ' ὁτιοῦν ἴχνος αὐτοῖς ἐμφαινόμενον, λευκότητι δὲ μᾶλλον ἢ τὸ πρότερον ἀπολάμποντα. Παρ' ὃ καὶ ζῆν νομισθέντας ἐξενεχθῆναι διεκελεύετο.

22. Καὶ τούτου δὴ γενομένου, θαῦμα πάντας ἐλάμβανε καὶ κατάπληξις, ὅτι μὴ ἥψατο αὐτῶν τὸ καθόλου τὸ πῦρ, μηδὲ βραχὺ παρελύπησεν, ἵνα τις [1] καὶ τὴν αἰτίαν ἐντεῦθεν ἔκρινεν τοῦ θανάτου. Τοῦτο οὖν τὸ μέγα θαῦμα καταπλαγέντες, ὡς ἐφ' ἑνὸς στόματος καὶ συνθήματος· Μέγας ὁ Θεὸς τῶν χριστιανῶν, ἀνεβόησαν· εἷς οὗτος Θεὸς ἀληθινός· Θεὸς ἰσχυρὸς, παντοδύναμος, Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ ἐκ πυρὸς τηρῶν ἀβλαβῆ τὰ τῶν ἁγίων αὐτοῦ σώματα, ὡς μηδὲ τριχὸς αὐτῶν δυνηθῆναι τὸ πῦρ ἅψασθαι· οὗ μαρτύριον σαφὲς τῆς θείας δυνάμεως καὶ οἱ προλαβόντες λέοντες, ἀπαθεῖς αὐτοῦ τοὺς δούλους κακῶν διαφυλάξαντες. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα τὸν Θεὸν ἀνυμνοῦντες ὁ δῆμος ᾖδον. Ὁ τύραννος δὲ τὴν βοὴν τοῦ πλήθους αἰδεσθεὶς ἅμα [2] καὶ φοβηθεὶς, ἀνεχώρει κατησχυμμένος καὶ ὑπ' αὐτῷ δὲ κρυφίως ὁ κοινὸς ἐχθρὸς καὶ πολέμιος. Χριστιανῶν δὲ τὸ λίαν εὐσεβὲς καὶ φιλόκαλον τὰ τῶν πολυάθλων Χριστοῦ μαρτύρων

et aperiri jubet. Erat enim ejus in dorso apertura. Ut autem apertus fuerat, ipse et qui cum eo erant vident martyrum corpora : ignis quidem ne minimum quidem vestigium apparebat in iis, candore autem magis quam antea relucebant. Propter quod et vivere existimatos efferri jubebat.

22. Et hoc facto admiratio cunctos incessit et stupor, quod nec tetigisset eos omnino ignis neque tantisper læsisset, quo quis et causam inde dijudicaret mortis. Hoc itaque magno miraculo percussi, ut ex uno ore et condicto : *Magnus Deus christianorum,* exclamabant ; *unus hic Deus verus : Deus fortis, omnipotens, Jesus Christus, qui ab igne servat illæsa sanctorum suorum corpora, ut nec capillum eorum potuerit ignis attingere ; cujus testimonium firmum divinæ potestatis jam pridem dedere leones, intactos ejus servos malis servantes.* At his quidem et similibus Dei laudes celebrantes populi canebant. Tyrannus autem clamore multitudinis erubescens simul et formidans, recessit confusus et in ipso occulte communis hostis et inimicus. Christiani vero valde pii et præstantes multa passorum Christi martyrum tollentes corpora, psalmis et hymnis cum fide sacra celebran-

[1] *cod.* ἱνατίς. — [2] *cod.* ἄμα.

ἀνελόμενοι σώματα, ψαλμοῖς τε καὶ ὕμνοις πιστῶς ἱερολογήσαντες, ἐν ἱερῷ τόπῳ ἐντίμως ἅμα καὶ εὐλαβῶς κατατίθενται. Εἶτα τῆς ἑλληνικῆς μανίας ὑποληγούσης, καὶ εὐκτήριον οἶκον οἰκοδομοῦσι τοῖς καλλινίκοις, δοξάζοντες Πατέρα, Υἱὸν καὶ Πνεῦμα ἅγιον, τὴν μίαν θεότητά τε καὶ βασιλείαν· ᾗ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμή, κράτος, μεγαλωσύνη τε καὶ μεγαλοπρέπεια νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

tes, in sacro loco honorifice simul et reverenter deponunt. Postea ethnico furore cessante, etiam orationis domum ædificant præclaris victoribus, glorificantes Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unam deitatem et regiam potestatem; quam decet omnis gloria, honor, virtus, majestas et magnificentia nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

SEPTILILIUM B. DOROTHEÆ (1).

[TRACT. II. DE SPIRITUS SANCTI MISSIONE.]

Incipit tractatus secundus de Spiritus sancti missione (2).

Capitulum I. Quare Spiritus sanctus tam sæpe huic sponsæ fuerit missus, et quid sit Spiritus sancti invisibilis missio.

Spiritus sanctus fuit multoties[1] et multifarie de Filii Dei dignatione missus huic[2] sponsæ. Qui dixit illi : *Ego sæpe volo tibi Spiritum sanctum mittere, die*[3] *noctuque, jacenti et sedenti, ut te præparans ad me disponat, ut carnem tuam mortificans te spiritualem efficiat. Nullus enim*[4] *potest ita bene carnem suam mortificare sicut ille cui mittitur Spiritus sanctus a me. Nam ipse est verus carnis mortificator et spiritus vivificator. Quem etiam tanquam nuntium ad te mitto, ad respiciendum quomodo tibi in hoc seculo succedat, et ut gaudium tibi tribuens solatium faciat, ne tibi tempus nimis longum appareat. Quomodo enim tempus sine tædio posses deducere, si ipse paraclitus Spiritus sanctus meus non esset circa te ?* Ex his claret circa sponsam Domini Jesu benignitas et Spiritus sancti præsentiæ sedulitas. Quæri ergo potest rationabiliter quomodo Spiritus sanctus dicatur ei missus tam frequenter ut inferius habetur. Præsertim cum Spiritus sancti a Filio missio tunc fieri dicatur quando ipse Filius nobis Spiritum sanctum per gratiam inhabitantem præsentem facit et insinuat nobis per notitiam quod ab ipso procedit. Cum ergo Spiritum sanctum antequam sibi mittebatur

[1] *add.* missus *G.* — [2] fuit *G.* — [3] diu *G.* — [4] *om. G.*

(1) Cfr. *Analect. Boll.*, t. II, p. 381. — (2) In Vita Germanica B. Dorotheæ, lib. IV, leguntur quædam capita quæ huic tractatui respondent : horum tituli sequuntur descripti ex *Scriptt. Rerum Pruss.*, t. II, p. 337.

I. Worumbe das der heylige Geyst alszo offte wart gesant der seligin Dorothee, und welchin boten man sal sendin noch deme heyligen Geyste, unde wy eyn mensche geschycket sal seyn, das im offte gesanth werde der heylige Geyst. — (Respondent hic capp. I et II.)

II. Hy sint geschriben sebin weyse, in den dy sendunge des heyligen Geistes wart czum irsten ir geoffenbart. — (Respondet hic cap. III.)

III. Das gar in manchirley weyse Dorothea is gesant der heylige Geyst. — (Cfr. hic c. XIII.)

IV. Das sy in irer lautern irlauchtunge irkante vil heymeliche dinge. — (Cfr. hic c. XIV.)

Cfr. etiam Vit. lat. min. capp. 70 et 71, quibus respondent hic capp. 3, 5-12.

sæpe scivit se præsentem habere in mente, quomodo igitur Spiritus sanctus sibi tunc de novo fuit missus? Pro quo est sciendum quod Spiritus sancti invisibilis missio, de qua loquor in proposito, fuit ipsius actualis vel habitualis manifestatio, per effectum vel actum ei appropriatum, in Dorothea, sponsa Christi, de novo productum, per quem Spiritum sanctum habuit et ille mentem ejus inhabitavit: non semper de novo, sed, ut frequenter, ipsum magis quam prius habuit[1], et ille alio et alio effectu vel actu ejus mentem inhabitavit. Et ideo dicitur ei missus aliquando cum caritate ferventer ardente, aliquando cum languente, aliquando cum vulnerante, aliquando cum infatigabili, aliquando cum insatiabili, et sic de aliis effectibus, ut patebit inferius. Missio ergo Spiritus sancti in proposito ponit novum actum vel effectum[2] in sponsa cui mittebatur; per quem actum vel effectum actualiter vel habitualiter cognovit quod Spiritus sanctus ipsam inhabitavit. Et si aliquando actualiter hoc non cognovit, quia secrete sibi fuit missus, attamen actus vel effectus talis extitit quod per ipsum Spiritus sancti præsentia cognoscibilis fuit. Erat enim effectus talis aut actus talis doni Spiritui sancto appropriati, utputa caritatis, sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis aut timoris Domini, etc. vel gaudii in Spiritu sancto; et ideo ultra illuminationem ad[3] cognoscendam Spiritus sancti missionem qua[4] Dominus Jesus ejus mentem illustravit, sibi hoc pro signo Spiritus sancti adventus dedit, dicens: *Quoties senseris in te novum spirituale gaudium et me loqui tecum, toties agnoscito quod tibi de novo miserim Spiritum sanctum meum.* Sicque pluries est factum[5], quod Spiritus sancti adventum cognovit per alicujus doni sui effectum, non statim in hora missionis, sed in tempore operationis. Dominus etiam vices missionis sæpe ita multiplicavit et cum tot caritatibus ac donis Spiritum sanctum ei misit quod non semper totum scire valuit, nisi quando Domino placuit. Qui ait, postquam vices missionis multiplicavit: *Tu ignoras cito quam sæpe tibi Spiritum sanctum mitto.* Rursus: Propter Spiritus sancti conservationem non est de missionum assiduitate dubitandum. Nam legimus apostolis Spiritum sanctum sæpe missum, scilicet post resurrectionem in flatu[6], et post ascensionem in linguis igneis et sonitu, et postea in loci motu, quando post claudi sanationem et principum comminationem inter alia dixerunt: *Nunc, Domine, respice in animas*[7] *eorum, et da servis tuis*[8] *cum fiducia loqui verbum Dei, in eo quod extendis manus tuas in sanitates, in signa*[9] *et prodigia fieri per nomen Filii tui sancti Jesu.* Et cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, et impleti sunt omnes Spiritu sancto et loquebantur

[1] (non-habuit) *deest in C ex errore librarii, ut videtur.* — [2] eff. vel act. *G.* — [3] *om. C.* — [4] quia *G.* — [5] factum *G.* — [6] flatum *G.* — [7] *sic.* — [8] *om. G, C.* — [9] in s. *om. G, C.*

verbum Dei cum fiducia. Act. IV[1]. Ecce habetur quod omnes Spiritu sancto sunt repleti : ergo et apostoli qui fuerant cum eis congregati; qui tamen post primam aut[2] secundam missionem Spiritum sanctum non amiserant : sed conservantes ipsum in alio effectu vel actu habuerunt. Primo enim post resurrectionem Spiritus sanctus fuit eis datus ad plenam peccatorum remissionem; in die pentecostes ad robur et confirmationem; post hoc vero, ut in tribulationibus haberent confidentiam et consolationem ac virtutum consummationem. Virtutes namque et gratiæ nec in prima missione neque in secunda, immo nec in tertia habuerunt consummationis statum : sed continue debebant sui profectus accipere incrementum, et hoc est factum[3] per actus meritorios qui animam in virtutibus roborant, caritatem et gratiam[4] augmentant. Amplius : Prophetæ in multis locis Scripturæ ostenduntur non semper actualiter habuisse spiritum prophetiæ; cujus tamen discontinuatio non fiebat communiter propter peccata, sed ex alia causa. Hujus discontinuationis ex hoc capitur argumentum, quia in diversis temporibus dicitur verbum Domini factum, nunc ad Isaiam, nunc ad Jeremiam, nunc ad alium prophetam. Et Spiritus Domini ingressus est in Ezechielem et elevavit eum inter cœlum et terram. Sicut dicitur[5] : Spiritus Domini induit Azariam[6], ut ad prophetandum haberet audaciam. Eliseus legitur Reg. IV etiam de Sunamite dixisse : *Anima ejus in amaritudine est, et Dominus celavit hoc a me;* et sic de aliis simile legitur valde multis. Ex quibus trahitur quod Spiritus sanctus fuit pluries invisibiliter de novo missus, qui tamen per peccatum post primam ejus missionem non fuit amissus; sed facta est de novo missio ejus per novos actus vel effectus, quos operatur unus et idem Spiritus. Unde dicit beatus Bernhardus, in[7] III Sermone de Pentecoste : " Spiritus sanctus multipliciter dicitur, quia multipliciter filiis inspiratur. Conceditur enim ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum vitæ, bonis et malis communia bona abundantissime[8] tribuens; ad miraculum, in signis et prodigiis; ad salutem, cum in toto corde revertuntur ad Dominum Deum; ad auxilium, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram; ad solatium, cum testimonium perhibet spiritui nostro quod filii Dei sumus; ad fervorem, cum in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem caritatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes. " Ad confirmationem hujus facit et deservit quod factum est in Dei Genitrice, cui Spiritus sanctus in sua prima sanctificatione in

[1] *add. ex G.* — [2] et *G.* — [3] fructum *G.* — [4] gratiam in caritatem *G.* — [5] *om. C.* — [6] Amasai *in marg. V. Cfr. I Paral.,* XII, *18.* — [7] *om. G.* — [8] superabundantissime *G.*

utero fuit missus, et ab ista sanctificatione usque ad secundam quæ facta est in Filii sui [1] conceptione non fuerat amissus; in qua tamen tunc iterum sibi fuit missus, Spiritu sancto superveniente et virtute Altissimi eam obumbrante.

Capitulum II. Qualiter quis debeat [2] esse dispositus ut ei frequenter mittatur Spiritus sanctus.

Dictum est supra, primo capitulo, de festo Pentecostes, quales nuntii pro Spiritu sancto sint [3] mittendi, ac per hoc ostenditur qualiter homo debeat esse dispositus ut ei sæpe mittatur Spiritus sanctus. Oportet siquidem talem in vita spirituali habere profectum et magnam altitudinem; et ergo addidit Dominus quod talis a curis exterioribus debet esse absolutus, peccato et mundo mortificatus, sibi firmiter [4] adhærens et ad vitam æternam fortiter aspirans. Nimirum quia oportet hominem vacare Domino et sabbatizare, consolationes corporis et mundi derelinquere, spirituales desiderare [5] et ad æterna totis viribus tendere. *Magnam,* inquit Dominus, *consolationem in mundo habentibus non sum paratus cum gratia mea, sed humilibus hic consolationem non* [6] *habentibus, mihi autem* [7] *magnifice adhærentibus et ad vitam perpetuam magnam dilectionem habentibus. Porro anima quæ intensum ad me habet desiderium, continue ut posset* [8] *venire ad me desiderans, illa non potest Spiritu sancto meo* [9] *carere. Est enim sibi necessarius specialiter in tribus : primo, ut eam a peccatis quibusque* [10] *liberet; secundo, ut ipsam bene custodiens a futuris peccatis præservet; tertio, ut ipsam semper doceat quomodo in via certa* [11] *permaneat. Quippe tu valde intense festinasti venire ad me: nunc volo vice versa ita intense* [12] *festinans currere ad te. In mundo autem non sunt multi homines qui intensum pro Spiritu sancto* [13] *meo habent desiderium. Nimirum quia nec sunt multi magnifice cognoscentes ipsum. Neque multi sunt qui spiritum sollicite timent malignum. Nec mirum, quia non curant agnoscere ejus calliditatem et malitiam. Et quia non habetur diligentia ut agnosceretur* [14] *Spiritus sancti mei bonitas magna et spiritus maligni malitia, ideo multiplicia habebunt multi homines damna.* Quod autem hæc sponsa, quæ spiritum suum valde humiliavit, pro Spiritus sancti frequenti adventu, quem animalis homo non percipit nec mundus accipit, fuerit [15] bene disposita et ad hoc a Domino præparata, patet per totius libri ejus processum, et specialiter per cap. VII libri sexti (1).

[1] *om. G, C.* — [2] debet *G, C.* — [3] sunt *G, C.* — [4] ferventer *G.* — [5] spir. des. *om. G.* — [6] *om. G.* — [7] *add. ex G; deest in V, C.* — [8] possit *C.* — [9] *om. G.* — [10] quibuslibet *G.* — [11] *sic codd.; forsan pro* recta. — [12] *om. G.* — [13] *om. G.* — [14] agnoscetur *G.* — [15] fuit *G, C.*

(1) Cfr. Vit. lat. maj., VI, 7 : Qualiter ejus anima ad perfectionem a Domino fuerit perducta.

Capitulum III. Hic ponuntur VII modi quibus manifestatur missio seu præsentia Spiritus sancti.

Porro Dominus, qui fuit doctor ejus, post cordis extractionem induxit eam ad suorum omnium peccaminum confessionem ; hancque per quinque annos continuavit, et tunc testimonium[1] a Spiritu sancto habuit, qui sibi frequenter missus fuit[2], quod omnia sua peccata sibi essent misericorditer indulta. Hoc testimonio habito, consecuta est spem firmam mox animam suam corpore resolutam ad cœlum posse sine moræ dispendio evolare ; nimirum quia scriptum est per apostolum, Rom. v[3] : *Qui secundum Spiritum sunt, ea quæ Spiritus sunt sentiunt ;* et : *Qui Spiritu[4] aguntur, hi filii Dei sunt.* Ac : *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro quod filii Dei sumus ; et si filii[5], et heredes, filii quidem Dei, coheredes autem Christi.* Hæc igitur electa sponsa Christi, habens Spiritum sanctum in se habitantem et se docentem, ejus præsentiæ indicia ac missionis obtinuit sentimenta. Primo, sensit ejus præsentiam per amorem ferventem eam sensibiliter incendentem ; et hoc fiebat secundum majus et minus, nunc secundum plures, nunc secundum pauciores vel remissiores caritatis ferventer ardentis actus, pro diversis temporibus in quibus sibi mittebatur Spiritus sanctus. Potuit[6] ergo de igne quem Dominus venit in terram mittere ut ardeat, dicere illud Threnorum I : *De excelso misit ignem in ossibus meis*, i. e. Spiritum sanctum, dicit Glossa. — Secundo modo sensit eum per valde magnum gaudium, quod non erat de creatura sed de Creatore ; cum quo, et non cum[7] mundo, propter gaudii tam puritatem quam magnitudinem desideravit existere. Gaudium enim illud erat in Spiritu sancto, de illo, in illo[8] et propter illum, qui est verum, purum, æternum et sanctum[9] bonum. Et quia gaudium erat tale, non carnale, nec seculare neque naturale, potuit fiducialiter credere ipsum a Spiritu sancto esse, de illo in illum[10], qui frequenter est sibi missus cum caritate exhilarante. Hoc etiam gaudium est unus fructus Spiritus sancti de quo ad Gal. v loquitur apostolus, dicens : *Fructus autem Spiritus[11] sunt : Caritas, gaudium, pax,* etc. Nempe de veris gaudiis hujus sponsæ habentur multa in libro Vitæ IV, cap. XXVII et XXVIII et pluribus sequentibus. — Tertio, sensit Spiritum sanctum advenire cum magna suavitate tanquam in sibilo[12] auræ levis suaviter spirantis. Quando taliter eum advenire sensit, tunc ipsa ita plena dulcedine fuit, quod præ abundantia singula ejus interiora per redundantiam sunt repleta. Aliquando per hujusmodi repletionem statim

[1] testimonia *G.* — [2] *om. G.* — [3] *sic codd. ; revera* cap. VIII, 5, 14, 16. — [4] Spiritu *deest in G.* — [5] *add.* Dei *G, C.* — [6] Poterat *G, C.* — [7] impuro *add. G.* — [8] illum *G, C.* — [9] *ita codd. ; forsan pro* summum. — [10] de i. in i. *om. C.* — [11] sunt Sp. *G, C.* — [12] in sibilo *om. C.*

fuit rapta. Tunc bene potuit prorumpere in hæc verba Sap. XII: *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus.* Hoc sentimentum frequenter habuit, quando sibi Spiritus cum caritatibus dulci, [1] inebriante contentative, scatente vel supereffluente missus fuit. — Quarto, sensit eum in doctrina sana, qua [2] cognovit se utiliter doceri et per præcepta ac consilia ad christiane vivendum institui [3], non quidem in doctis aut [4] persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, qui docet omnem veritatem. Joh. XVI. Et inter multa dimittenda docuit eam seipsam et transitoria ac consolatoria dimittere, humilitatem autem et paupertatem, patientiam, contemptum et alias virtutes prosequi et amplecti. Ille modus est etiam sæpe iteratus, quando ei Spiritus sanctus cum illuminatione est missus. — Quinto, advenit Spiritus sanctus cum magna redargutione [5], præsertim quando non totaliter ipsa egit quod ipse persensit et persuasit aut non totaliter omisit quod ipse dissuasit. Objiciens ergo ad particularia descendit, dicens: *Hoc jussi te facere, et omisisti; illud prohibui ne faceres, et commisisti,* etc. Facta hac salubri reprehensione, flevit illa largiflue, sciens Spiritum sanctum hanc redargutionem facere, de quo scriptum est: *Ille arguet mundum de peccato.* Joh. XVI. Petivit ergo veniam, addidit pollicitationem: *Ego deinceps, Spiritu sancto tuo* [6] *cooperante, volo caduca et me derelinquere, in virtutibus proficere et vitam meam in melius commutare.* Hoc modo aliquoties etiam ei est missus Spiritus sanctus ut ipsa argueret alios. Quæ in se ita pusillanimis fuisset, quod redarguere aliquos non præsumpsisset, si eam Spiritus Domini sanctus fortitudine non induisset. Consimile in pluribus legitur prophetis. — Sexto, quia instructa a Spiritu sancto et post hoc redarguta non ita se mutavit quoad singula prohibita et imperata, præcepta et consimilia, ideo missus est ei Spiritus sanctus cum comminatione [7] rigida, ita vehementer ei comminans quasi staret quis super eam evaginatum habens gladium ad occidendum. Hinc [8] ipsa ex intimis præcordiis compuncta, tam fervidas quam largas effudit lacrimas, dolorose suam plangens negligentiam. Nimirum scriptum est per prophetam Jeremiam: *A voce loquelæ grandis exardescit ignis,* scilicet compunctionis. Porro in hac comminatione objecit multa talia qualia superius libro III Vitæ, c. VII, sunt posita. Hæc illo Spiritu sancto objiciente illa sedit in mœrore, flens singultuose, clamavitque ad Dominum pro suorum indulgentia peccaminum: vellet enim per ejus adjutorium deinceps vivere juxta suum beneplacitum. Postquam hujusmodi lamentabilem fletum tamdiu continuavit quod [9] quasi

[1] et *add.* *G, C.* — [2] quam *G, C.* — [3] instituit *G.* — [4] et *G.* — [5] redarguitione *C, et mox* redarguitionem. — [6] *om. G.* — [7] continuatione *G, et mox iterum.* — [8] Hic *G.* — [9] et *C.*

arida apparuit, jam non plures valens effundere lacrimas, dolor enim vehemens, importunus exactor, tam multas extorserat quod plures effundere non habebat, tunc tandem Dominus Jesus piissimus, misericordia motus, afflictionem famulæ suæ aspiciens, ipsam viribus destitutam intra viscera consolationis suæ traxit, et ineffabilibus deliciis eam consolans suo claro lumine circumfulsit, et ei documenta varia valde salubria indicavit. — Septimo modo : multoties advenit sibi Spiritus sanctus cum tam ingenti sonitu et magno tumultu, ac si tota domus in qua erat super eam rueret. Hinc suorum exteriorum sensuum auferebatur actus, et interiores aperiebantur sensus, in quibus ita veraciter ac magnifice Spiritus sancti adventum [1] percipiebat, quod exterioribus sensibus nihil sentiebat. Motus enim majores expellere solent minores. Non valuit tunc exsurgere nec se quoquam [2] movere, etiamsi debuisset magnum corporis periculum sustinuisse, nisi Dominus excellentiam illius abstraxisset et usum suorum sensuum exteriorum reddidisset. Sicut legitur Danieli factum in quadam visione grandi, de qua dicit, Dan. x : *Non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est et emarcui, nec habui quidquam virium. Et manus Domini tetigit me et erexit,* etc. Ita firmissimæ columnæ, Petrus et Jacobus et Johannes, in transfiguratione Domini ceciderunt in facies suas ; quos etiam Dominus tangens specialiter [3] confortavit. In principio, quando hujusmodi adhuc erat ignara, nondum a Domino et ejus Spiritu super hoc informata, multum fuit mente consternata, nesciens quomodo sibi esset, quid fieret aut sibi accideret et an mori deberet ; et quia hominem non habebat qui eam in hoc expedivisset nec cum aliquo de illo modo conferre audebat, ideo cor ejus mœrore et angustia compressum erat, in tantum quod post multorum annorum curriculum habuit pro speciali miraculo quod cor suum præ mœstitia non fuerat confractum. Porro in isto modo Spiritus sanctus advenit cum caritate ferventer ardente, ipsam vehementer inflammans, ejus intellectum illuminans et sudorem de corpore et lacrimas largas deducens. Vox Domini magna auribus animæ quasi tuba sonorosa insonuit ; monita salutis varia dedit, per quam vocem multa discere potuisset, si se de ea debite expedire scivisset. Rursus: In modo illo etiam magna consolationis Domini percepit beneficia, et in processu temporis prioribus majora et multipliciora. Nam cum vehementiore ardore habuit serenius gaudium, majorem deliciarum cumulum, intellectum clarius illuminatum, cor amore fortiter vulneratum et profunda humilitate depressum. Hinc ex humilitate vermiculo pluviæ vix se audebat coæquare [4], et ex sagittarum immissarum multitudine cor suaviter vulneratum saliit velocissime, aliaque bona

[1] adventus *G, C.* — [2] quandoque *G, C.* — [3] spiritualiter *C.* — [4] *codd.* coæquari.

Spiritus sensit et habuit tam varigena quod non suffecit[1] dinumerare ea, et sibi tam delectabilia et accepta quod quamdiu ea habuit, in magna excellentia fuit, quieta in suo desiderio et contenta.

Capitulum IV. Qualiter præmissi septem modi sponsæ fuerunt[2] revelati.

Sciendum quod dicti septem modi missionis Spiritus sancti fuerunt[3] per tres annos frequentati, in quibus multis vicibus duo, tres, quatuor, etc. et aliquando omnes fuerunt simul combinati, antequam sponsa in his a Domino fuerat instructa. Quæ aliquoties postea secum est admirata, quomodo valuerit se pati et qualiter potuerit[4] tanta Domini bonitas in ipsa capi[5] et abscondi. Facta autem est dictorum modorum manifestatio hoc modo. Quadam die sabbati, quando adhuc fuit in stratu, non torpens nec[6] dormiens, sed in desiderio sancto animæ vigilans et meditans, Dominus misit ei Spiritum sanctum magis[7] magnifice quam unquam fecerat in priore tempore. Nam omnes præfati modi simul fuerunt combinati: sonitus erat ingens et tumultus valde vehemens. Recte talis sonus apparebat ac si totum quod erat in et supra domum illam in qua fuerat, super ipsam rueret. Sentiens effectus supra in septimo modo expressos, erupuerunt[8] tam magnæ ac multæ ferventes et dulces lacrimæ quod non suffecit eas plene exprimere. Præ nimia enim amoris dulcedine nequivit se a lacrimis temperare. Postquam hoc per aliquantulam moram duravit, Dominus illius missionis[9] excellentiam, operationis scilicet, remisit et aliquid ei de sua bonitate abstraxit, et sic illa ad actus suorum exteriorum sensuum rediit, quos Dominus prius[10] suæ operationis excellentia[11] abstulit, lumen intelligentiæ infudit, sensum interiorem ejus aperuit et tanquam magnus doctor ipsam tam diligenter quam fideliter instruxit. Dumque sponsa attenta aure vocem Domini audiret, maritus ejus, qui tunc adhuc vixit et non longe in alio lecto jacens, ut sibi lumen incenderet[12] ad ipsam clamavit. Quæ obediens voci sponsi terreni propter præceptum Domini quo alligata erat legi viri, ad candelam incendendam[13] ad focum accessit, quasi Dominum sibi loquentem dimittens. Qui eam ex sua benignitate non dimittens, sed ipsam in morula qua candelam incendit sine morula celerrime instruxit, et ipsi[14] non solum prædictos VII modos missionis Spiritus sancti in momento manifestavit, sed etiam multa alia salutis documenta, viam vitæ monstrantia, indicavit. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Porro caro

[1] sufficit *C.* — [2] fuerint *G, C.* — [3] fuerint *G.* — [4] potuit *G, C.* — [5] rapi *G.* — [6] aut *G.* — [7] *vox suppleta.* — [8] eruperunt *C.* — [9] *om. G.* — [10] per *add. G, C.* — [11] excelentiam *G, C.* — [12] accenderet *G.* — [13] accendendam *G.* — [14] ipsa *G.*

sua, ossa et singula membra erant ei perspicua et tanquam crystallus transparentia, ipsaque, quasi[1] unus spiritus cum Domino effecta[2], permansit tota die illa ferventer ardens et ineffabiliter gaudens in Domino, per Dominum consolata, qui eam per plures elevavit vices in mentis excessu ad cœlestia delectabiliter[3] contemplanda. Has Spiritus sancti missiones Dominus de sua gratia assiduans multiplicavit[4] per dies et noctes, ab extractione cordis sponsæ usque ad finem ejus vitæ. Specialiter in peregrinatione ad Aquisgrani et in via ad Romam Dominus singulis noctibus ei Spiritum sanctum misit. Ob hoc raro dormivit, et in aliquo loco vel angulo a comitibus viæ aliquantulum distante se locavit, ut posset eo melius Dominum abscondere. Nam ex amorosa Domini præsentia et Spiritus sancti operatione[5] magnifica aliquando ita intime et intense exultabat quod se a risu continere non valebat; et aliquando etiam ex amore fervente et dulcedine ita singultuose et largiflue flebat quod sonum risus, gaudii et fletus, si prope comites suos sedisset, abscondere non valuisset.

Capitulum V. De variis Spiritus sancti effectibus.

Primo capiatur dies in qua sponsæ[6] Spiritus sanctus decies fuit missus.

Juxta dictum Sapientis, VII[7], Spiritus sapientiæ[8] dicitur multiplex et unicus, quia multiplex in virtute et unicus in essentia; divisiones enim gratiarum sunt, idem[9] autem Spiritus, qui operatus est in hac sponsa varios actus et effectus, in quibus ejus præsentiam persensit gratiosam et cognovit ejus multiplicem divino illustrata lumine missionem[10]. Nempe, ut appareat Domini Dei bonitas et hujus famulæ sanctitas, de innumeris Spiritus sancti effectibus aliquos adhuc, sed paucos, exempli gratia, videamus. Primo de[11] die in qua decies ei missus fuit Spiritus sanctus. Prima vice, postquam circa medium noctis rediit ad se, Dominus misit ei Spiritum sanctum cum caritatibus infatigabili et hilari ac cum magna dulcedine. Removens ab ea omnes creaturæ phantasmata, dixit: *Præpara te ut suscipias me.* At illa agilis, hilaris et recens effecta, apte et pure orans, intensa habuit ad Dominum suscipiendum desideria. Completis orationibus, cum devotione pro gratiarum actione ex spiritus hilaritate varia decantavit cantica, permansit in labore per[12] quatuor horas sine fatigatione. Cui post, adhuc in nocte, missus est Spiritus sanctus secunda vice, cum

[1] tanquam *G.* — [2] *ita C;* effectus *V, G.* — [3] delectabilia *C.* — [4] *deest in G.* — [5] cooperatione *G.* — [6] *om. G, C.* — [7] *In marg. V* v *et in textu* sapientes *pro* sapientiæ. *In C loco* VII *legitur* quo. *In G videtur scriptum fuisse* 9°. — [8] intelligentiæ *C.* — [9] unus *G, C.* — [10] (et cogn.-missionem) *deest in G.* — [11] *om. G.* — [12] *om. G.*

caritatibus duabus, scilicet desiderativa [1] magnifice et languente. Ex quibus languidum pro sacramento habuit desiderium, et tantam in anima patiebatur inediam quod ex hoc in corpore gravem pertulit esuriem et dolorem. Quæ postquam diu blandiens Domino supplicavit ut se ei præberet et ordinaret quod ipsum cito obtineret, jussa est sic dicere ad suum C[onfessarium], quando ad se veniret: *Fili dilecte, ego ita diu esuriens et sitiens desideravi Dominum, quod cito non plus valebo* [2] *et amens ero, nihil habens virium. Nempe mihi directe sic est quoad virium exinanitionem ac si cibum illum bonum ac suavem non susceperim infra mensem.* Tertia vice, misit ei Spiritum sanctum cum duabus caritatibus, scilicet scatente et vulnerante, ac magna dulcedine. Caritates suas exercebant operationes superius in tractatu de caritatibus expressas, et ipsa majores quam prius esuriei pro sacramento sustinuit dolores. Cui Dominus ait: *Bene potes admirari quod C[onfessarius] non affligitur pro me esurie notabili, ut mane ad celebrandum festinaret et una tecum comederet, præsertim cum non lateat eum ex tua secum conversatione te pro me valida affici esurie. Solent siquidem homines esurientes mane alios sibi conversantes inducere ad secum mane comedendum, quamvis adhuc non habeant esuriem vel appetitum.* Hoc dicto, mox C[onfessarius] ut celebraret missam adfuit, et Dominus Spiritum sanctum sponsæ quarta vice misit, cum caritatibus ferventer ardente, desiderativa magnifice et magna illuminatione. Ex his fortiter sudans, largifluas [3] ac delectabiles in fervido desiderio pro sacramento per totam missam effudit lacrimas. Ex Domini jussione pro diversis et se oravit, pertinentia ad spiritualem Domini partum egit et ipsum peperit [4]. Ita fuit inflammata ac illustrata magnifice, quod oculos carnis non valuit aperire. Sed totaliter tracta in se, jussa est a Domino sic orare: *Domine Jesu Christe, dilectissime, animam meam* [5] *dilata, magnifica, illumina, vesti et præpara; per te me tibi placentem effice; fac me talem qualem me vis habere et ut in me digneris habitare.* Sumpto sacramento, Dominus advenit ei cum [6] Patre et Spiritu sancto, quem ei tunc misit in magna omnipotentia et fortitudine. Ita confortavit ipsam in corpore et anima ac si prius nihil fuisset fatigata. Ita satiavit etiam in utroque homine ac si prius nihil fuisset afflicta esurie; fuit enim ita [7] satiata ac si in divite mensa delicate et contentative fuisset refecta. Nec valuisset tunc præ satietate aliquem ad se cibum corporis assumere. Advenerunt etiam Pater et Filius et Spiritus sanctus, cum valde magnis gaudiis, deliciis et amoris incendiis et cum fructibus tam varigenis quod eos non suffecit dinumerare. Dominus tota die operabatur in anima magnifice et univit eam sibi

[1] desiderative *G, C.* — [2] valeo *G, C.* — [3] largiflua *C.* — [4] *om. G.* — [5] sic *add. G.* — [6] sancto *add. G.* — [7] sic *G.*

intime, susurrans cum ea per unam horam in magni gaudii excellentia. Valde magna ac multa erant ibi consolationis divinæ beneficia, in quibus silentium factum est in sponsæ anima quasi una hora. Qua elapsa, Dominus misit ei Spiritum sanctum sexta vice, cum caritatibus infatigabili, exhilarante et magna illustratione, conservans eam in quadam spiritus puritate, munditia et claritate, quam non permisit turbari per unam horam sequentem aliquo phantasmate creaturæ. Hinc illa in utriusque hominis fortitudine stetit ad crucem, orans per horam jam dictam, devotissime et valde pure. Cui etiam [1] sic oranti Dominus misit Spiritum sanctum cum caritate vulnerante, quæ [2] cor ejus spiculis transsagittavit amoris, tam valide quod non valuit sponsa diutius stare, immo nec sedere, sed præ cordis dilatatione ac vulnere ad pavimentum prosternebat se. Nunc in uno, nunc in altero jacuit latere; [3] aliquando super genua et manuum articulos erexit se. Hanc versionem corporis [4] bene per unam horam continuavit, per quam etiam anima, devote Domino regratians, ad ipsum per verba gratitudinis quibus melius valuit altisone clamavit. Hora illa elapsa, Dominus misit ei Spiritum sanctum cum caritate scatente et magna dulcedine. Ex quibus cor aperiens [5] dulcedinem effluebat, et ideo sponsam [6] jam residere oportebat, nec super genua et manus ut prius incumbere valebat. Cui dixit Dominus: *Ecce quam sæpe tibi hodie Spiritum sanctum meum misi. Convivium est paratum permagnificum, et vitulus saginatus est occisus. Quomodo tibi nunc est? Hoc sentis bene, et ego volo meipsum nunc in anima tua parere.* At illa regratians, blandiens Domino ac jubilans cantavit. Qui ei Spiritum sanctum cum caritatibus insatiabili et hilari misit circa horam Vesperarum. Post Vesperas quasi una hora transacta, vice decima et ultima pro die illa misit ei Spiritum sanctum, cum caritatibus languente, vulnerante, energia et illuminatione magna. Caritates effecerunt in ea tam intensum ardorem sudoris et lacrimarum tam largam effusionem, quod putasset, si tam [7] per illuminationem quam [8] per Domini instructionem non aliter informata fuisset, quod Spiritus sanctus advenisset cum caritate ferventer ardente. Dictæ caritates suas egerunt operationes, et Dominus reduxit ei ad memoriam sex homines, quorum quilibet aliquid habebat pro quo ipsam effundere lacrimas oportebat.

Capitulum VI. Dies in qua [9] novies.

Quadam quinta feria missus est ei Spiritus sanctus novies. Primo, cum caritatibus tribus, videlicet exhilarante, infatigabili et lata ac

[1] *add. ex G, C; deest in V.* — [2] qua *G.* — [3] et *add. G.* — [4] se *add. G.* — [5] superius *G*; superius aperiens *C.* — [6] *ita C;* sponsa *V, G.* — [7] tamen *G.* — [8] (per-quam) *om. G.* — [9] (in qua) quando *G.*

spatiosa, necnon cum magna dulcedine. Hinc in magno amoris ardore per sex horas noctis cum spiritus hilaritate oravit et cantavit sine fatigatione. Cum post hoc rapta fuisset et ad se rediisset, missus est ei Spiritus sanctus cum caritatibus inebriante, violenta, inquietante, impatiente, et cum magna dulcedine. Habuit ex his dulcedinem animam liquefacientem et de corde effluentem; sensit, ac si imprægnata esset, pressuram, et desiderium ad sacramentum habuit valde magnum. Quo sumpto, Dominus multa bona ei contulit, et Spiritum sanctum cito post hoc cum tribus caritatibus misit, scilicet alte desiderativa, violenta et languente. Ex prima habuit esuriem pro vita æterna ineffabiliter magnam; ex secunda magnificata tanquam imprægnata gravem sustinuit pressuram; ex tertia ita præ amoris languore fuit viribus destituta ac si esset breviter moritura. Cumque in his caritatum actionibus fuisset quasi in extremo spiritu constituta, dixit ei Dominus: *Hodie pro sacramento Eucharistiæ valde magnam habuisti esuriem, ex intenso pro me desiderio procedentem; nunc ita magnam esuriem et tam intensum desiderium debes habere ad vitam æternam.* Quarta vice, misit ei Spiritum sanctum cum caritatibus scatente, exhilarante et magna dulcedine. Quinta vice, cum caritatibus ferventer ardente et fortiter vulnerante. Sexta vice, cum caritatibus alte desiderante, languente et scatente, et dixit: *Dic ad C[onfessarium]: Tu in vita tua non vidisti hominem in vita æterna indigentem et vehementer sicut me ad ipsam aspirantem et tam libenter ingredientem. Mihi quoque nunc multum aliter est quam erat quando ad te primo veni: tunc enim me dignam ut tecum loquerer reputavi; nunc vero etiam ut videam non æstimo me dignam. Idcirco, si mihi tunc ut nunc fuisset, nunquam ad te accedere præsumpsissem.* Ex his profunda humilitate depressa se miserrimam non solum reputavit, sed etiam reputari et pro miserrima haberi desideravit; quia veram humilitatem magis habuit ex affectione quam caritas format[1] et inflammat, quam ex suorum defectuum cognitione, quam veritas generat et conservat. Etsi humilem esse utroque modo sit laudabile, laudabilius est tamen hoc esse ex affectione quam ex cognitione, quia verior et melior est humilitas quam parit caritas quam illa quam solum gignit veritas vel ingerit necessitas. Septima vice, mittens ei Spiritum sanctum Dominus cum caritate violenta, depressit eam et dixit: *Dic: Jesu Christe, dilectissime mi Domine, in me gratiam tuam infunde et cum variis virtutibus vesti me.* Octava vice, cum caritate languente et magna energia. Hinc ut mortaliter infirma et quasi morti proxima cor habuit ex intenso ardore arefactum, et quasi nihil in se habuit virium. Vix valuit apprehendere cantharum, ut se recrearet per potum. Qui sumptus ita fuit

[1] informat *C.*

cordis tam ardore quam ariditate [1] absumptus ac si fuisset super lapidem vehementer fervidum effusus; nec hujusmodi potus ipsam refocillabat, sed magis affligebat, quamquam ipsum dimittere non audebat. Nona vice, misit ei Spiritum sanctum quando jam fuit post crepusculum vespertinum, cum quinque caritatibus, scilicet vulnerante, exhilarante, scatente, insatiabili et infatigabili, necnon cum magnis dulcedine et illuminatione. Hinc erat deliciis affluens et repleta, fervida et illuminata, caritate vulnerata, agilis et gavisa. Sciendum quod supra, infra octavas Nativitatis Virginis beatissimæ, ponitur etiam dies unus in quo novies est ei missus Spiritus sanctus.

Capitulum VII. Dies in qua [2] octies est ei missus Spiritus sanctus.

Pluribus diebus Dominus misit ei Spiritum sanctum octo vicibus. De quibus accipiatur unus; in quo primo misit cum duabus caritatibus, scilicet infatigabili et exhilarante, ac cum magna dulcedine. Secundo, cum caritatibus quatuor, scilicet vulnerante, ferventer ardente, scatente et desiderativa. Fecit cum hoc convivium in anima sponsæ magnum; et hoc solet communiter fieri in caritate scatente. Tertio, cum caritatibus inquietante, impatiente et insatiabili [3]. Quarto, circa principium missæ cum caritatibus vulnerante et desiderativa [4] magnifice. Ex his duabus missionibus valde intensum ad Dominum habuit desiderium, ut ipsum susciperet per Eucharistiæ sacramentum. Qui advenit ei celeriter [5] currens, varia Spiritus bona et sex caritates secum afferens, videlicet fervente [6] ardentem, alte desiderantem, inquietantem, impatientem, insanientem et avaram. Hæ omnes suas exercentes operationes et sua pocula propinantes, intensum desiderium, sudorem et fletum, laborem et gravamen magnum obtulerunt et egerunt. Et dixit illi Dominus : *Illud quod de nocte haurit [7] anima tua in vita æterna, hoc oportet te super terram gestare cum anima et corpore. Porro quare non confiteris sine dilatione, cum nescias an in humanis permaneas usque cras?* At illa, non obstante confessione priore, eo quod quasi nulla habuit peccata, mox confessa est cum magnis fletibus et ardore sine mora. Confessione finita, a Domino et caritatibus prædictis instigata, in fletibus singultuosis, blanditionibus amatoriis et insanientibus desideriis clamavit ad Dominum, humiliter supplicans quatenus ipsam acciperet in suum regnum. Cumque in his bene tribus horis ad meridiem terminatis [8] clamasset ad Dominum, cœpit remitti ejus desiderium quod fuerat

[1] nuditate *G.* — [2] quando *G.* — [3] infatigabili *G.* — [4] *codd.* desiderative ? — [5] velociter *G.* — [6] *codd.* ferventem. — [7] *ita C; reliqui* hærit. — [8] terminans *G, C.*

excellenter magnum et amare afflictivum. Sibi recte tunc erat ac si extreme et usque ad mortem fatigata fuisset et jam revixisset, et quasi in alterum hominem mutata esset [1]. Cui Dominus amicabiliter valde loquens, dixit: *Medicus animæ tuæ prius cognoscit ejus vulnera, quam sint profunda, quam magna, quam fœtida et immunda, antequam detexeris illa sibi. Scit* [2] *etiam quod non indigent ab intus herbis mordacibus tanquam medicamento corrosivo et expulsivo, sed solummodo unguento suaviter linitivo* [3]. *Et dic ad C[onfessarium]: Quanto diutius conversor Domino, tanto melius ipsum cognosco, ejusque dignitatem et meam miseriam et indignitatem.* Quinta vice, misit ei Spiritum sanctum cum caritate violenta. Sexta, cum caritate exhilarante et magna dulcedine. Septima, cum caritatibus languente, simplici desiderativa et magna energia. Octava, cum caritate scatente et illuminatione. Nota: Plura hac die, sicut et aliis, fuerunt divinæ consolationis [4] beneficia, opera et documenta, quæ omitto brevitatis causa, communiter solum nominans [5] caritates circa Spiritus sancti emissiones, omittens descendere ad earum operationes, quia quales sint illæ, supra in tractatu de caritate aliqualiter sunt expressæ.

Capitulum VIII. Dies in qua septies [6].

Septies una die Spiritus sanctus multoties est ei missus. Primo, cum caritate ferventer ardente et magnis gaudiis. Secundo, cum vulnerante, quæ [7] vulneravit cor ipsius [8], quod [9] ex hoc magnum habuit desiderium ad sacramentum. Tertio, cum ferventer ardente, dicens: *Domine Jesu, da mihi fervens balneum et acutum lixivium, ut animam meam possim efficere mundam.* Hoc dicens, statim ex magno amoris ardore sudor de corpore erupit, et ipsa confitendo largas lacrimas effudit. Quarto, iterum cum caritate ferventer ardente, prope sumptionem Eucharistiæ. Tam magnas ac multas lacrimas tunc habuit quod pene dubitavit quomodo se inclinando aptaret, ut sacramentum acciperet. Cui dixit Dominus: *Sancta Maria Magdalena, pœnitentiæ* [10] *exemplum, obtulit perfectius sensus suos ad debite pœnitendum quam unquam eos præbuerat ad peccandum.* Hæc sponsa audiens, magnum habuit gaudium et accepit sacramentum, in quo Dominus ei quasi celeriter currens videbatur advenire. Cujus benignitatem cognoscens, flevit largiflue ex amore. Cui Dominus: *Si ad te dixerit C[onfessarius] tuus: Quare ita fortiter ploras? tu ei respondeas: Ita magnam in Domino cognovi benignitatem, qui dignatus est ita velociter* [11] *currere ad*

[1] fuisset *G.* — [2] sic *G.* — [3] (s. l.) *ita C;* superius linitivo suaviter *G, V.* — [4] consolationis *C, G.* — [5] *in marg. V; in textu ubique* nominis. — [6] *add.* Spiritus s. *G, C.* — [7] quæ *G, C.* — [8] ipsius *deest in V, G.* — [9] quod *deest in C, G.* — [10] prævie *G.* — [11] vehementer *G.*

animam meam, quod ego recte obstupui, habens admirationem. Et addidit Dominus : *Tu iterum es bene balneata.* At illa sic esse cognoscens, sedit tota ex sudore madida, et fletibus ac laboribus fatigata. Cui Dominus Spiritum sanctum misit cum caritate infatigabili, faciens cum hoc convivium in anima ejus, dicens : *Dic, elevatis manibus : Jesu Christe, dilectissime mi Domine, regratior tibi pro magna bonitate quam cognosco in te.* Ac recens et agilis effecta, fecit prout Dominus imperavit. Post hoc Spiritum sanctum misit cum caritate languente et magna energia. Ex his facta est [1] iterum languida, anxia et doloribus repleta. Septimo, cum infatigabili, quæ abstulit omnem laborem et dolorem, mox faciens ipsam agilem et recentem.

Capitulum IX. Dies in qua sexies.

De diebus in quibus sexies missus est ei Spiritus sanctus capiatur unus; in quo primo venit cum caritatibus scatente, inebriante et dulci, illuminatione et donorum multitudine. Convivium in anima fuit permagnificum. Quæ deliciis liquata defluebat et cor exuberans dulcedinem [2] effluebat. Præ spiritus ebrietate et deliciarum teneritudine orare non valuit; sed limpide contemplans Dominum, ipsum ut in sacramento susciperet intense desideravit. Qui illi dixit : *Quia hac nocte in raptu anima tua est delicate refocillata, ideo ad nihil vales nunc habere esuriem et desiderium, nisi ad me, Deum tuum. Dic deprecatorie : Domine Jesu Christe, adjuva me, ut semper fortiter esuriam et sitiam pro te.* Cumque illa [3] orasset et Dominum in sua [4] majestate contemplata per moram fuisset, misit ei Spiritum sanctum cum caritatibus ferventer ardente et exhilarante, jubens eam flere pro quadam persona quæ non fuit sufficienter sollicita in conservando bona sibi commissa. Tertio, misit ei Spiritum sanctum cum caritate vulnerante, qua cor ejus spiculis transsagittavit amoris. Hinc dulces lacrimæ de oculis ejus effluxere. Cui Dominus amice loquens, jussit eam fortiter flere pro eo quod prædicta persona dixerat se in suis laboribus magnam sollicitudinem habuisse, ut singula sibi commissa expedirentur debite : quæ potius debuisset cum fletu dixisse : „ Ego, proh dolor, in mihi commissis curam nimis modicam gessi, nec valeo sufficienter et debite pro rebus mihi creditis sollicitari. „ Circa principium Tertiarum missus est ei Spiritus sanctus cum caritate bulliente. Cor ejus ex hoc quasi olla fervens bulliebat, et totum corpus ejus ut ignitum æstuabat. Ut ergo posset aliquantulum se refrigerari, jussit [5] eam Dominus ad fenestram accedere. Quæ dum utcumque valuit se

[1] *vox suppleta ; deest in codd.* — [2] dulcedine *G.* — [3] jam *G.* — [4] *ita C ;* ad Dominum et in sua *V, G.* — [5] misit *C.*

refrigeravit, habens adhuc vehementer fervidum pro Eucharistiæ sacramento desiderium, dixit ei Dominus: *Dic ad C[onfessarium] tuum: Propter fervidum ad Dominum desiderium*[1] *cor meum fere fuit ardore consumptum. Visne, o dilecte fili, me modo permittere mori?* At C[onfessarius], hujus desiderii ignorans, pro hac vice suam missam usque ad summam missam protraxit. Qui dum in celebrando fuit, singulæ vires sponsæ ex vehementi pro Domino desiderio cœperunt usque ad fatigationem fortiter laborare et modo quodam ineffabili pro Domino clamare. Nempe clamores illos sponsæ anima intellexit et aure sua audivit. Accepto sacramento, Dominus adveniens sponsam caritate ferventi incendit et vulneravit, lætificavit et confortavit magnifice in anima et corpore. Cor præ gaudio saliit; in quo talis cogitatus ortus fuit: " O Domine, quomodo tam gratia tua quam bonitas tua[2] est tam magna! " Præ ardoris magnitudine ferventer arsit et largiter sudavit; interiorum suarum virium potens non fuit. Quasi una hora ante meridiem Dominus misit ei Spiritum sanctum quinta vice, cum caritatibus ferventer ardente et exhilarante et magna illuminatione, affectum inflammans et intellectum illuminans. Et post hoc dixit: *Nos, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, in anima tua volumus facere tabernaculum, cupientes in ea habere mansionem nostram, quam semper debes conservare mundam. Et hoc est necessarium, quia in illo animæ tabernaculo debet propinari vinum clarum. Et ego ob hoc tibi frequenter mitto Spiritum sanctum meum, ut possis in munditia conservare animæ tuæ tabernaculum. Qui etiam debet*[3] *ab ipso mihi displicens ejicere, ipsum dilatans magnificare et totaliter aptans præparare; ut, quando cum Patre meo et Spiritu sancto venero, possimus libere ingredi absque aliquo impedimento. Porro anima tua vult se egrediendo*[4] *currere et nonnisi vinum dulcissimum bibere. Nunc est mihi placens et accepta. Vide quod ipsa sit domina in domo sua, invitans nos ad illam; sit potens in ea. Nos enim volumus ita libenter ad eam venire, cum ea et circa eam permanere, quam libenter adit nos et desiderat permanere circa nos.* Et dum illa gratias agebat, Dominus ei dicebat: *Fortiter flendo sanctum*[5] *invoca Laurentium, qui in caritate magnum pertulit incendium, distribuensque pauperibus substantiam rerum, in vita æterna sibi magnum præparavit palatium, in quo jam habitaculum habet securum. Tu quoque fortiter flendo bona spiritualia disperge: sunt enim multi pauperes valde indigentes; ibi distribue, ut tibi proprium palatium valeas præparare.* At illa dum petisset sibi adjutorium, Dominus fecit magnum in anima ejus con-

[1] (habens-desiderium) *ita G. In V et C turbata lectio. In C* fervidum pro Euch.-propter *om. In V* cor meum f. f. ard. c. *scripta sunt bis, loco suo et ante* dixit. — [2] tua *om. G, C.* — [3] debes *C.* — [4] ingrediendo *C.* — [5] *add. ex G.*

vivium, dicens: *Jam mecum debes habere pacis et quietis commodum. Sis mihi grata, supplicans ut permaneam tecum.* Rursus inquit Dominus: *Filii tui melius habent quam tu. Neminem enim habent pro quo oportet eos vires suas flendo tendere, quemadmodum te oportet pro eis facere; habent autem amicos pro quibus orant, sed non plorant et magnos labores exercent. Nimirum quia nec pro seipsis valent satis flere, ideo oportet te pro eis gravius laborare. Qui, si verba eis de eis et de aliis per te dicta ad cor reciperent, bene recogitare possent me te illa docuisse nec te prius illa unquam scivisse. Et ex his possent cognoscere me a te idioma tuum malum et antiquum removisse et novum tibi linguagium contulisse.* Post Vesperas quando se primo corporaliter refecit, tunc Dominus ei Spiritum sanctum cum caritate scatente misit, dicens: *Mihi sis valde devota et grata, diligenterque attende*[1] *quomodo tibi venio et quid tibi facio*[2]. *Etiam C[onfessario] dicito quæ tibi referenda committo.* At sponsæ anima deliciis et gaudiis Domini[3] liquefacta defluens, sensit Domini amplexus et oscula et cetera quæ in caritate scatente solent evenire.

Capitulum X. Dies in qua quinquies.

Una dierum in qua Spiritus sanctus quinquies est ei missus, primo venit cum caritatibus infatigabili, insatiabili, scatente, vulnerante et exhilarante, dulcedine et illuminatione. Quibus permixtim[4] agentibus, illa per tempus præ uteri magnitudine, deliciarum teneritudine et spiritus ebrietate non valuit exsurgere. Tandem caritatibus insatiabili[5] et exhilarante prædominantibus, exsurgens devote oravit quousque anima ejus ad mentis excessum pervenit. A quo quando rediit, Dominus ei Spiritum sanctum secunda vice misit cum caritatibus ferventer ardente, violenta, scatente, inebriante et exhilarante. Hinc ex caritate ferventer ardente flevit; sed a fletu cito cessavit, habens ex aliis caritatibus totum corpus dulcedine repletum, cordis jubilum ineffabiliter magnum, convivium animæ valde delectabile et jocundum, aliaque bona tam magnitudine quam multitudine inexpressibiliter magna. In quibus sedens non valuit orare, nec aliud quidquam[6] agere nisi pro Domino aspirare. Qui dixit ei in talibus bonis jam diu sedenti: *Tu recte sic sedes et*[7] *facis ac si in promissam patriam veneris, in qua nullum est incommodum, sed solummodo dulcedo et tripudium.* At illa ita dives et plena spiritualibus bonis extitit quod ei nullus in terra defectus apparuit, sed tota terra videbatur ei dulciflua et ab omni defectu[8] aliena. Hæc bonorum excellentia per duas

[1] *codd.* attente. — [2] (quomodo-facio) *om.* *C.* — [3] diu *G.* — [4] permixtum *C.* — [5] infatigabili *C.* — [6] quidquid *G.* — [7] ac *G, C.* — [8] affectu *G.*

horas duravit, quasi usque ad elevationem hostiæ [1] in missa C[onfessarii], in quibus ore nihil valuit orare. Et tunc excellentiam [2] jubilationis ac dulcedinis remisit et ei Spiritum sanctum cum caritatibus vulnerante et insatiabili misit [3]. Quæ mox orare potuit et devote orans apud se cogitavit: " Quomodo [4] tibi nunc est et accidit? „ et statim percepit prædicta remissa esse et sibi [5] Spiritum sanctum de novo missum fuisse. Sensit enim spicula et sagittas amoris, et gratias egit cum lacrimis magnis. Quippe illi sacrosanctam hostiam aspicienti dixit Dominus: *Ad me intensum desiderium habeas; et ora ut me suscipias, dicens: Cibus animæ meæ, ciba et refocilla me; nam valde fortiter esurio et sitio pro te. Tu sis veneratus æternaliter et laudatus.* Accepto sacramento, Dominus venit deifice, celeriter currens, caritatem, gaudium, convivium et varia bona animæ afferens. Quæ obviam currens et in ejus amplexus ruens [6], ipsum ad se fortiter strinxit. Recte sic circa Dominum amicative egit, sicut homo in bonis moribus bene [7] exercitatus cum hospite suo nobili, honesto et sibi amantissimo hilariter et sollicite ageret, qualiter illum vultu sereno et venerabiliter susciperet, decenter locaret, reverenter tractaret et se ex amore ei totaliter impenderet: gauderet autem et delectaretur de ejus adventu tam intime quod nesciret, præ jocunditate [8] et magnitudine dilectionis, quid ei debite ob reverentiam ac complacentiam deberet primitus exhibere. Porro dum fiebat ibi sonitus convivantium et simul in unum [9] lætantium, anima intime cum Domino unita ei amatorie blandiri cœpit, dicens: *Jesu Christe, tu benedicte Fili Dei vivi; Jesu Christe, dilectissime mi Domine, tibi regratior quod tam gratiose ad me veneris; item quod tam amice, tam consolatorie et tam magnifice ad me veneris.* Pluraque alia cum dixisset pulchre et delectabiliter blanditionis ac gratitudinis verba, Dominus ei respondens ait: *Ego non veni solus, sed mecum venerunt Pater et Spiritus sanctus.* Post Vesperas, quando sponsa se refecit, Dominus ei Spiritum sanctum [10] cum caritatibus inebriante, scatente et exhilarante, cum dulcedine et illuminatione misit, majusque quam prius convivium in anima ejus fecit, multa ipsam docuit et ei incognita patefecit. Quinta vice, misit ei Spiritum sanctum cum caritate languente et magna energia. Ex tunc infirma in magno fuit labore, sicut per diem fuerat in jubilo et dulcore.

Capitulum XI. Dies in qua quater.

Accipe diem unum, in quo quater Dominus misit ei Spiritum san-

[1] *om. G, C.* — [2] excellentia *G, C.* — [3] *om. G.* — [4] Et quomodo *G.* — [5] *om. C.* — [6] (et-ruens) *om. G.* — [7] *om. G.* — [8] *ita G;* jocunditatis *V, C.* — [9] nimium *G.* — [10] Sp. s. *om. G.*

ctum. Primo, cum caritate infatigabili et exhilarante, ac cum magna illuminatione et [1] illustratione. Secundo, cum caritate vulnerante. Ex his ambabus missionibus magnum ad sacramentum desiderium habuit; cor vulneratum saliit et uterque homo fideliter se aptavit, operationesque spiritualis partus ad gignendum Dominum jussa per ipsum prout melius valuit peregit. Accepto sacramento, Dominus venit amice, inflammans ipsam tam fervide quod sudor fluxit [2] largiflue de toto ejus corpore; anima clamavit altisone: *O creator cœli et terræ, o creator cœli et terræ!* Quanto hoc pluries iteravit, tanto ferventior [3] effecta fuit. Sane fervor tantum incrementum accepit, quod ipsa se mori putavit. Cum esset in tam magno ardore, Dominus misit ei Spiritum sanctum cum caritate ferventer ardente, dicens: *Dic etiam ore, sicut dixisti mente : Creator cœli et terræ.* Et ecce factum est quasi miraculum. Nam tam per caritatem ferventer ardentem quam per prædictum eloquium nunc factum est refrigerium, ex quibus prius incendium fuit auctum. Oriebantur consequenter in ejus corde blanditiones, supplicationes, gratiarum actiones et variæ [4] meritoriæ operationes. Post modicum iterum Dominus fecit magnum in anima ejus convivium, et non potuit præ gaudio unum verbum loqui. Et Dominus dixit: *Ecce quam bene te nunc juvit [5] Spiritus sancti mei missio, cujus adminiculo præservata es ab interitu. Nec ego hoc [6] solum tibi beneficium præstiti; sed omnibus diebus vitæ tuæ multa bona contuli: plurima tibi dedi ad cognoscendum et varia ad gustandum; magnam tibi tribui dilectionem; ingentem devotionem et multa alia spiritualia bona omnibus diebus vitæ tuæ tibi contuli [7], de quibus nihil scivisti quod illa a me habuisti* (supple: distincte et determinate non recognovisti). *Sane ego tibi tot bona impendi ab infantia tua [8] ante maritationem tuam, et post in matrimonio. Si ego tot bona fecissem aut facerem modo uni sapienti homini servo meo, ipse in his contentaretur. Verum simplicitas tua tibi venit in adjutorium, ne tibi [9] dictorum ignorantia bonorum imputetur ad peccatum. Te enim et opera tua nihil reputabas, quamvis ex caritate et gratia quam ab infantia tua ante et post maritationem habebas libenter egeris propter me hoc quod valebas [10]. Attamen quæcumque egisti nihil reputasti, quia apparuerunt tibi parva, inepta et defectuosa opera tua, et nulla reputatione digna. Fuisti etiam sine querela, nulli conquerens de eventibus tibi contrariis, nec cuiquam retulisti quæ operabaris. Cognovi etiam in te hanc bonam voluntatem existere cunctis diebus vitæ tuæ qua libenter propter me dimisisses quodlibet quod diligebas, tam in hominibus quam in rebus. Quippe valde*

[1] illum. et *add. ex G., deest in V, C.* — [2] tam *add. G.* — [3] *in V prius* frequentior; *corrector* ferventior. — [4] valde *G.* — [5] juvit *deest in C, G.* — [6] *om. C.* — [7] *repetit hic G :* plurima tibi dedi ad cogn. — [8] *om G.* — [9] *om. C.* — [10] volebas *G.*

diu attrahens educavi te, antequam totaliter secuta es me. Prædicta tamen tibi multum profuerunt, videlicet simplicitas tua, voluntas bona et quod fuisti patiens tristia secrete sine querela. Dic nunc : Domine Jesu Christe, mi dilectissime, regratior tibi[1] *magnifice, et adjuvans me trahe ad te.* Hæc sponsa audiens, magnifice illuminata oculum considerationis ad bona convertit quæ Dominus ei ab infantia fecit[2], et oculate cognovit bona Domini varigena quæ impendit. Recognovit etiam quod de diaboli impugnatione assidua, etsi quandoque in bono opere, ut in visitatione ecclesiæ, fuerat impedita et ob hoc tam amare afflicta quod cor nimis doluit et lacrimas quasi scindentes effudit, ipsa tamen non fuit conquesta alicui homini, immo nec suo proprio confessori. Et adjecit Dominus : *Tu debes revelare tuo C[onfessario] magnas illustrationum cognitiones quas tibi ante annos decem dedi, antequam tibi cor extraxi. Ego enim te illustravi tam magnifice, quod valuisti hostiam an esset consecrata an non cognoscere.* Unde dixit hæc sponsa, a Domino jussa, se quadam vice ad unum cœmeterium ecclesiæ sanctæ Girdrudis[3] in Gdanczk[4] valde mane venisse, in quo stabat una solemnis monstrantia et in illa hostia non consecrata. Hanc homines videbant et ipsam reverenter tanquam consecratam adorabant. Ad quam dum ipsa venisset, genuflectens ut devote adoraret ex magna caritate ferventer ardente, quam tamen tunc non scivit se habere, incipiens adorare acute inspexit hostiam, et luculenter illustrata mox agnovit[5] ipsam non esse consecratam ; hoc nempe oculis mentis, non corporis cognovit. Cui etiam Dominus pro certificatione cognitionis suæ dixit : *Hic non adores nec ores ; ego enim non sum ibi ut in sacramento, sed est panis solus non consecratus.* Sponsa hæc audiens celeriter abiit et nullo hominum retulit nisi famulo suo, qui sibi prius de hostia dixerat et quod illic Dominum in sacramento mane ante initium missarum videre posset, quem[6] videre mane desideravit tam intense, quod sibi fuerat multum pœnale usque ad celebrationem missarum expectare. Porro hoc autem solummodo illi famulo admonendo dixerat ne prædictam hostiam adoraret, quia consecrata non esset. Qui scrutinio habito circa vitricos ecclesiæ sic esse invenit. Rector vero parochialis ecclesiæ hoc percipiens[7], illos qui locationis dictæ hostiæ causa fuerant investigavit, eosque digna pœnitentia emendavit. Non tamen vulgatum fuit quis illam non consecratam manifestaverat primo. Et quia sponsa non fuerat[8] primo pro illa revelatione Domino specialiter[9] regratiata, Dominus ipsam arguens fortiter flere jussit et ut factum revelaret C[onfessario] jussit, et pro ejus consolatione dixit : *Hoc ab ingratitudine debet te excusare, quia de dicta*

[1] *om. G.* — [2] fecit *deest in G.* — [3] Girtrudis *G.* — [4] Dantzik *G.* — [5] cognovit *C, G.* — [6] quam *C, G.* — [7] h. p. *deest in C, G.* — [8] fuit *C, G.* — [9] spiritualiter *C, G.*

revelatione non es gloriata coram aliquo homine nec unquam elata in tuo corde. His dictis, sponsa valde gratam se exhibuit, et Dominus ab ea omnem creaturæ effigiem abstulit, dicens : *Modo debes me spiritualiter parere.* At illa dum opera pro tali partu egisset et diu in magno gaudio sedisset, Dominus misit ei Spiritum sanctum cum magna caritate scatente. Quæ ex hoc repleta est tanta jocunditate, quod non valuit orare, cogitans apud se [1] : *O quam laudabilis est iste dies.* Cui Dominus : *Missionis* [2] *Spiritus sancti mei dies, i. e. Pentecostes, non deberet solemnis et laudabilis apparere ?* Rursus ait Dominus : *Hoc magnum tibi præbuit auxilium et ad me veniendi profectum, quia ad me desiderium habuisti valde intensum et quia firmiter mihi adhæsisti, quando tibi amicos abstraxi et ab omnibus quæ possedisti denudavi; immo quanto plus te a prædictis denudavi, tanto magis denudari intensius desiderasti. Hoc utique* [3] *tibi dedi prodesse hic in tempore et in æternitate, et propter hoc volui tibi facere revelationem prædictam. Dic : Domine Jesu Christe, mi dilectissime, regratior tibi magnifice et me adjuva, ut sim grata.*

Capitulum XII. Dies in qua ter.

Unum diem de multis accipe, in quibus ei Dominus Spiritum sanctum ter misit et varia bona contulit. Primo, cum caritatibus infatigabili, exhilarante et dulci. Intensum ex his ad Dominum desiderium habens, ita expedite oravit et confessa fuit quod sibi apparuit hoc Dominum specialiter agere per ipsam. Nullam tamen tunc effudit lacrimam, quia valde magnam habuit jocunditatem et exultationem. Circa principium summæ missæ Dominus ei misit Spiritum sanctum cum caritatibus ferventer ardente, alte desiderativa, lata [4] et spatiosa, et impatiente. Hinc ferventer incensa, flens pro vivis et defunctis affectuose oravit; in spiritu per multa loca currens, plurimos pro quibus ipsam Dominus orare jussit, suis lacrimis quasi cum [5] aspersorio aspersit. Hæc siquidem actio caritatis latæ et spatiosæ fuit. Cui sic aspergenti Dominus dixit : *Hoc mihi est acceptius et illis hominibus utilius, quam si curreres pedibus corporis ad infirmos.* Porro inter hæc S. Matthæus evangelista et apostolus, cujus festum tunc fuit, ei pluries amice apparuit, splendorem suum sæpe ostendens per modicum et abscondit. Dominus ipsam lætificans magnum convivium fecit in anima ejus, admonens ut in bonis sibi [6] concessis, scilicet spiritualibus, esset larga, et quod peteret quatenus vocatio prædicantis in illo die ita proficeret audientibus sicut sua vocatio

[1] *add. ex conj.* — [2] *codd.* missiones ? — [3] itaque *G, C.* — [4] *ita C;* alte lata desiderativa *G, V.* — [5] *om. G.* — [6] *om. G.*

fuit proficua sancto Matthæo. Dixitque post sermonem quod oraret pro prædicto prædicante, quia fatigatus esset ex sermonis longitudine, et ideo non valeret attente et in fervore spiritus orare. Hoc dicto, depuravit ejus mentem, removens ab ea omnem creaturæ imaginem; elevans eam alte, nihil de transitoriis permisit adhærere. Quæ dum aliquantulum diu elevata et ad Dominum per desiderium fortiter tracta libera permansisset ab omni creatura, festivitas illius diei magna est ostensa. Dominus, mater ejus cum magna sanctorum multitudine se ei exhibuerunt amice, et Dominus prope elevationem hostiæ ei dicebat ut propter festi solemnitatem exsurgeret, pallium acciperet et se amiciret. Duo tunc homines sponsæ in visione imaginaria præsentialiter apparuerunt, et nolentes abire pro se orari desideraverunt. Cum sponsa diuturnam illorum præsentiam ferret moleste et intenderet de illis conqueri suo C[onfessario], quia libenter orasset pure, absolute ab omni imagine, dixit ei Dominus: *Illi hoc non faciunt quod tibi sic præsentes existunt et pro se orari appetunt, nec ipsi*[1] *valerent desiderium tale ad unum hominem habere; sed ego per me egi quod tibi apparent tam desiderativi, quibus quia sunt consanguinei tuorum dilectorum, ideo ob gratiam tui eis debet bene fieri et de bono tuo et illorum participari.* At illa voluntatem Domini intelligens, pro illis affectuose oravit, intensum habens desiderium ad sacramentum. Quo accepto, Dominus amice ad animam venit, caritatem, gaudium et dulcedinem largiter ei attulit et multa consolationis beneficia per diem conferens multa revelavit. Tam magnum in anima ejus fecit convivium ac sic magnificans ejus uterum ac si cum magna caritate venisset scatente. Sponsa ex his ita fuit et in corpore satiata ac si fuisset optimis dapibus et potibus refecta. Quæ dum per diem valde jocunda fuisset et Dominum spiritualiter peperisset, ipse post Vesperas misit ei Spiritum sanctum tertia vice, cum caritatibus languente, alte desiderante et magna energia. Traxit eam tam fortiter ad se sursum, remotis ab ea imaginibus, quod in corde suo fortes sensit tractus, et anima usque ad crepusculum vespertinum clamans altisone conabatur Domino gratiarum actiones referre.

Capitulum XIII. Recapitulatio de missionibus Spiritus sancti et excusatio de narratione ulteriori.

Dominus Deus licet in se simplicissimus est, tamen valde multiplex in suis operationibus; et hanc multiplicitatem inter alia etiam ostendit in variis Spiritus sancti missionibus, quæ fuerunt huic sponsæ factæ tam varigene quod nescio quis sufficeret eas scribere

[1] sibi *G.*

aut dinumerare. Nam aliquando misit Spiritum sanctum cum quinque caritatibus, scilicet ardente, violenta, scatente, inebriante et exhilarante; aliquando cum sex, scilicet vulnerante, impatiente, ferventer ardente, infatigabili, desiderativa, scatente et insaniente; aliquando cum septem et aliquando cum octo; aliquando cum IX, X, XI etc. caritatibus, addens dulcedinem, convivium et illustrationem [1], humiliationem propriæ voluntatis vel [2] proprii sensus mortificationem, etc. Et fiebat variatio in caritatibus et exercitatio in earum actibus: quos non est necesse toties specificare; sed habeatur recursus ad tractatum de caritatibus, et habebuntur caritatum actus. Quos actus caritates cum quibus missus fuit Spiritus sanctus, quandoque singillatim exercebant [3], et hoc rarius; quandoque permixtim et simul plures actiones suas agebant, et earum quælibet suum poculum propinabat; et hoc frequentius fiebat, saltem quando cum pluribus caritatibus Spiritus sanctus fuerat [4] missus. Inde sponsa multoties anxia inquietabatur valide, nesciens propter multitudinem agendorum quid [5] eorum primo esset agendum. Instigabant namque aliquando caritates variæ ad actus quasi contrarios, exempli gratia, quando Spiritus sanctus fuit missus cum caritatibus scatente, inebriante contentative et exhilarante ac cum caritatibus infatigabili, insatiabili, avara, desiderativa, vulnerante et insaniente: tunc primæ tres inclinabant ad fruendum Domino in jubilo et quietis silentio; aliæ sex ad serviendum Domino per meritorium exercitium et multitudinem laborum. Desiderativa, avara [6] et insaniens effecerunt spiritum ejus anxium, primæ vero tres gaudiosum. Fiebat ergo inter caritates interdum quædam altricatio [7], donec altera alteram superabat: et tunc victa ad horam quiescebat, quousque alia suum opus perfecit et ipsa suas vires resumpsit, vel alia cessante suum actum valuit exercere. Porro caritas quæ diffusa erat in corde ejus per Spiritum sanctum, qui sibi fuit datus et varigene missus, variabatur secundum suas species seu gradus in suis actibus tam multifarie fiebantque missiones tam multiplices quotidie, quod singulas plene nulla lingua valet explicare, essetque nimis longum singula de Spiritus sancti missione quæ ab ejus scripta sunt ore huic operi inserere. Cujus inusitatam missionum multiplicitatem [8] Dominus volens ostendere, dixit ei in ultimo Assumptionis festo Virginis gloriosæ: *Interroga,* inquit, *P[ræpositum et] C[onfessarium] si unquam de sanctorum aliquo qui mecum est in cœlo hoc legerint aut relatum perceperint, hoc ei esse quod tibi per me est factum, scilicet Spiritum sanctum meum toties ei per me missum quoties*

[1] (addens-illust.) addens convivium dulce et illuminationem seu illustrationem *G.* — [2] nec *G, C.* — [3] exercebat *G.* — [4] fuit *G, C.* — [5] *ita G, C;* quod *V.* — [6] amara *G.* — [7] altercatio *G, C.* — [8] multiplicem *G.*

tibi misi, et alia bonitatis meæ beneficia impendi. Quippe qui meam tecum amicativam conversationem per eos a te scriptam legerit, ille se bene poterit meliorare. Revera Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam : qui ingressus est in eam, ab omni illam benedictam peccato purgavit, ardore suo inflammavit, suo lumine illustravit, robore confortavit, a terrenis abstraxit, ad cœlestia contemplanda elevavit, gustu suavitatis suæ satiavit et totam ejus conversationem magnificavit, tribuens ei charismatum dona, armans eam contra singula tentamenta, contra superbiam dans castum timorem et profundam humilitatem, contra cordis duritiam pietatem et piam compassionem, contra ignorantiam scientiam [1], et debitam discretionem, contra pusillanimitatem fortitudinem, faciens ei [2] hoc facile per gratiam quod sibi fuerat impossibile aut nimis difficile per naturam, contra præcipitationem consilium et providentiam [3] divinam, contra mentis hebetudinem intellectum et circumspectionem argutam; et contra stultitiam et spiritualium [4] insipiditatem dedit ei sapientiam maturam et in bonis cœlestibus delectationem. Præclarissimos enim suos effectus Spiritus sanctus in illa beata sponsa distinctius declaravit eamque artifex omnium docuit qualiter in ea fuit spiritus intelligentiæ sanctus, multiplex, unicus, subtilis, modestus, discretus etc., ut Sapientiæ VII. Ibi enumerantur XXI effectus quos sine dubio experta est, ut patet in multis locis suarum revelationum et in sequentibus. Sicque Spiritus sanctus ipsam ditans ornavit [5] quod [6] in ejus verbis, oculis et factis bene apparuit quod Spiritus Domini sanctus in ea fuit, qui per ejus verba et opera ad meliorationem vitæ plurimos induxit.

Capitulum XIV. Ex illustratione Spiritus sancti limpida cognovit varia et occulta.

Spiritus sanctus [7] eam incendens a peccatis purgavit, et continuo virtutum exercitio ad cordis munditiam perducens, aptavit ad capiendum desuper illuminationes divinas ; quia [8] cordi serenato lux veritatis se libere infundit. Illuminabatur autem desuper a Spiritu sancto, qui ei mittebatur ad cognoscendum varia difficilia et ab hominum cognitione valde elongata ; quorum aliqua hic breviter sunt perstringenda. Frequenter anima sua fuit sibi ex illuminatione pervia, quod cognovit si qua in ea fuerunt [9] peccata, etiam minutissima. Sic vidit sæpe cum mœstitia, prohibere non valens, cadere super animam suam pulverem minutorum peccatorum et hunc agitari et spargi [10] a

[1] *om. G.* — [2] sibi *G, C.* — [3] prudentiam *C.* — [4] spiritualem *G, C.* — [5] oravit *G.* — [6] quæ *G.* — [7] *codd. add.* qui. — [8] qui *G.* — [9] fuerint *G, C.* — [10] spergi *C.*

vento humanæ fragilitatis. Sic vidit, quando Domino placuit, omnia mala quæ unquam egit et bona quæ neglexit, viditque ea tanquam præsentia, licet dudum fuerint[1] præterita. Talem etiam cognitionem circa multos alios habuit, quorum non solum peccata præsentia et præterita, sed et eorum aliquando intentionem, aliquando affectionem et aliquando cogitationem cognovit; et aliquibus ex illis præmissa de beneplacito Domini revelavit. Rursus: Vidit inter quatuor, quis eorum fuit indigentior, quis ferventior, cujus anima major aut minor, quid in eis deflendum, quid diligendum. Sic vidit sæpe quando aliqui inceperunt in animabus depurari vel illuminari aut fœdari. Habuit enim lumen spirituale tam splendidum ad contemplationem aliquarum animarum, ac si haberet lumen corporale triplicatum late et perlucide illuminans aliquod commodum, ut posset oculate et faciliter videre si in eo esset aliquod offendiculum aut immundum. Amplius: In Dei visione vidit aliquos adhuc viventes in carne Dei esse electos, ad vitam æternam prædestinatos; quos tamen revelare non est permissa, sicut et alia multa. Item ei luculenter illustratæ et præ bonorum multitudine quæ in ea per modum pluviæ[2] descenderunt, æstimanti quod totus mundus esset suavifluus et bonis spiritualibus repletus ac quod omnes homines Domini essent sicut ipsa capaces, haberentque bona spiritualia in tanta abundantia in quanta tunc habuit et ipsa, dixit Dominus: *Nunc contemplari debes mundum esse miserum et peccatis plenum, quem æstimasti spiritualibus bonis uti te repletum. Volo etiam te permittere contemplari et cognoscere numerum hominum in mundo bonis meis magnis*[3] *participantium, ut æstimatio tua circa homines sit veritate firmata. Attamen æstimatio tua circa homines et mundum a te habita, videlicet quod haberent*[4] *bona spiritualia in tanta prout tu abundantia, non fuit reprehensibilis, injuste vel incongrue habita: hoc namque fit*[5] *propter notitiæ et visionis quam habuisti de bonis meis latitudinem et bonorum apparentium amplitudinem; disparuit omnis defectus in tua notitia, vidistique me habere tam magna bona, quod sufficerem toti mundo et omni homini existenti in mundo dare talia bona qualia tibi tribui; et hoc etiam vidisti, quod vellem facere, dummodo homines se disponerent ad me ac efficerent se cum adjutorio meo tales ut bonorum meorum prædictorum essent capaces.* Hoc dicto, mox sic vidit quemadmodum Dominus de mundo et hominibus dixit; et ad ejus præsentiam venerunt multi de toto mundo electi, quorum aliqui sed pauci fuerunt religiosi, aliqui vero erant a mundo contempti, pauperes et in silvis habitantes, eratque numerus universorum hominum paucus[6], qui fuerant tales quod

[1] fuerunt *G.* — [2] (per-pluviæ) permode *G.* — [3] magis *G.* — [4] *om. G.* — [5] *ita videtur legendum loco* hoc nam fit *V,* hoc mansit *G, C.* — [6] paucos *G, C.*

magnorum Domini bonorum extiterunt experti et capaces; quorum vix tertia pars erat de sexu muliebri, aliæ vero de sexu virili. De quibus omnibus dumtaxat tres novit antea facietenus. Cognovit etiam multa occulta [1] absentium acta, confitentium suo C[onfessario] peccata [2] et mentium secreta. Vidit quoque ex limpida illustratione multoties ita bene absentia sicut præsentia. Unde Dominus quadam vice ei dixit, dum pro quibusdam ex ejus jussione flevit: *Si,* inquit, *pro eis fleres ad excæcationem oculorum, quod aut quale haberes ex hoc damnum aut nocumentum?* Et illa: *Ego vellem libenter excæcari corporaliter ad finem, ut ipsi essent magnifice illuminati spiritualiter.* Cui Dominus: *Nunc claude oculos tuos et considera quale nocumentum haberes, si cæca esses.* Ac illa clausis oculis vidit ita bene quæ erant retro se sicut [3] ea quæ erant ab ante, et ita bene aliquos distantes et absentes, sicut præsentes ad quos pro [4] tunc intuitum direxit suum. Hujus autem magnificæ illuminationis suæ causam efficientem, post Deum, sensit esse caritatem ferventer ardentem, qua quanto ferventius arsit, tanto regulariter plus illuminata fuit, seque et alios transparenter tum luculentius cognovit. Causam vero dispositivam et de congruo meritoriam Dominus ei pandens, dixit: *Quia consiliis meis altioribus me sequendo acquievisti et tuis superioribus mihi adhærendo* [5] *obedisti, ideo debes esse* [6] *illustrata ita limpide, quod te et alios transparenter valeas contemplari.*

Capitulum XV. Quare peccata hominum debuit cognoscere, et [7] ob amorem Domini et notitiam ejus offensam [8] sollicitius cavere.

Rursus multoties illuminata oportuit eam in spiritu per varias provincias et regna ac loca multum [9] distantia percurrere et peccata visa deplangere. [10] Etiam Dominus sæpe ostendit ei [11] in mundo statum et vitam magnatorum peccatis plenum, reprobans in dignitatibus indigne viventes. Sic ostendit ei sæpe quam male stat inter sacerdotes et laicos in tota christianitate. In quibus singulis varigena [12] vidit mala. Erant enim ei illustratione divina illorum corda sibi transparentia, cognoscens [13] in eis quid diligendum et quid detestandum et quid deplangendum. Hinc oportuit eam sæpe diu largiter flere, mundum percurrere et suis lacrimis aspergere, orareque Dominum ut tollat omnem mundi defectum. Porro dum hæc cœlestibus et puris orationibus libenter fuisset intenta, et nihilominus mundi et hominum

[1] *om. G.* — [2] *om. G.* — [3] *add.* erant *G.* — [4] pro *om. G, C.* — [5] inhærendo *G.* — [6] *om. C.* — [7] *add. ex conj.* — [8] offensivam *G, C.* — [9] multa *G.* — [10] Et ei *add. G, C.* — [11] ei *om. G, C.* — [12] variegena *G, C.* — [13] cognoscentes *G.*

mala sibi ad notitiam distinctius fuerant perducta ex illustratione quam unquam prius ex hominum conversatione, mirabatur apud se quare oporteret eam jam peccata cognoscere, a quibus tamen libenter vellet cum omni diligentia abstinere. Ideo rogavit Dominum, ut sibi dignaretur super hoc respondere. Et ille : *Homo antequam ad meam notitiam potest pervenire, debet multa alia cognoscere, quia per creaturarum notitiam pervenitur in meam. Etiam tuum debet esse purgatorium videre mala hominum et eorum deplangere peccatum. Et dic ad C[onfessarium et] P[ræpositum] : Quanto majorem habeo Domini notitiam, tanto plus oportet me timere ejus offensam. Et si, quod absit, aliquid* [1] *facerem contra ejus voluntatem, oporteret me plus erubescere quam unquam vidistis unum hominem verecundum facere. Nimirum ego cognosco quod qui aliquid de summo bono cognoscit per intellectum et capit per affectum, hunc oportet gerere sollicitudinem ineffabiliter magnam, ne amittat quod habet. Revera in tota vita mea nunquam fui ita sollicita quantum modo pro summo bono, quia nunquam prius cognovi tantam sollicitudinem ad custodiam summi boni esse gerendam. Sollicitudo quidem quæ habetur pro bono transitorio acquirendo aut conservando est parva valde respectu hujus sollicitudinis magnæ, quæ est tam vehemens quod sudor de toto erumpit corpore et cutis se contrahens rugescit. Vos quoque gratiarum actiones offerte Domino* [2] *pro me quem* [3] *modo melius et modis cognosco pluribus quam unquam prius. Nam cognosco ejus omnipotentiam, bonitatem et justitiam, serium et rigorem adversus peccatorem. Ideo oportet me tanto plus timere, ne eum offendam et ne bonum summum amittam. Et oportet me tam sollicite et difficulter vivere quod possetis secure dicere quod nunquam videritis hominem ita* [4] *difficulter et sollicite viventem. Ecce nos mutuo cognoscimus nos* [5] *et mortales sumus : si solo verbo offenderem vos, oporteret me tantam habere erubescentiam, quod non auderem levare in conspectu vestro faciem meam, nisi obtinerem prius hujus offensæ indulgentiam. Quantam ergo erubescentiam deberem habere propter Domini offensam, æstimet qui potest.* Verum nec quis facile reputet cognoscere debite et proprie recognoscere quid sit summum bonum [6] quod excedit omne bonum, aut quod tam magnum est quod eo majus cogitari non potest. Unde quadam die, post quintam [7] missionem Spiritus sancti, Dominus dixit huic sponsæ : *Pauci homines sunt, qui me bonum summum et optimum esse recognoscunt. Sunt bene homines qui me summum sciunt esse bonum* [8], *et ut mecum essent habent desiderium ; attamen nolunt secundum hoc vivere, sed majorem suam consolationem volunt*

[1] aliquod *G, C.* — [2] *om. G.* — [3] quod *G.* — [4] tam *G, C.* — [5] *om. G.* — [6] etiam si hoc (faciat *vel* faciam *in marg.*) sciat quod hoc sit summum bonum quod *add. V ;* etiam si hoc sciat quod sit summum bonum *add. C.* — [7] quartam *G, C.* — [8] bonum *scriptum bis in G, hic et post* summum.

circa bona corporalia[1] *habere. Mihi bene confidunt de anima, sed de corpore nolunt mihi confidere, quod in deliciis cupiunt nutrire. Homo vero qui perfecte recognoscit*[2] *me summum bonum et optimum esse, ille debet mihi soli vivere; anima ejus a corporalibus voluptatibus et deliciis debet molestari et ita eas horrere quasi velit nauseare, sicut corpus molestatur in tribulationibus et pœnis quas ita horret quasi nauseat. Anima ergo quæ sic recognoscit et fatetur me summum bonum, illa etiam debet esse vera dominatrix; debet enim omnia transitoria, quæ sub me sunt, suppeditare et super ea dominari, nihil curans quis habeat illa, sed totis viribus satagere, ut me obtineat, et ita vehementer laborare quod quasi insaniens apparet, quia vult utique quantum valet de illo summo bono tantum acquirere, ut sit in certa spe se*[3] *æternaliter satis habere. Nec mirum; homines enim bona transitoria cognoscentes, in quibus cupiunt delectari, laborant vehementer ut sufficientiam illorum habeant; hoc faciunt die et nocte, in aqua et arida, tam avide et impetuose uti frementes et insanientes. Sane nullus labor mihi plus placet quam ille quem anima facit pro me.*

[1] temporalia *G, C.* — [2] cognoscit *G.* — [3] *om. C.*

VITA S. MEVENNI

ABBATIS ET CONFESSORIS

IN BRITANNIA ARMORICANA

(520? - 638)

AB ANONYMO FERE SUPPARI CONSCRIPTA.

NUNC PRIMUM EDITA STUDIO ET OPERA

R. P. DOM. FR. PLAINE O. S. B.

Inter sanctos Abbates qui seculis VI et VII Galliarum silvas excoluerunt, simulque plebes prædicationibus ac miraculis ad meliorem frugem adduxerunt, non infimum tenet locum B. Conaidus Mevennus, cognatus et discipulus S. Samsonis Dolensis; quippe cui debetur insignis abbatiæ fundatio, et in cujus honorem institutæ fuerunt quatuor et amplius peregrinationes sacræ, sat olim celebres (1), ad curationem petiginis, strumarum et morborum ejusdem generis.

Hujus sancti Vita, primigenia, et ut videtur, unica, litteris exarata fuit cum bona fide ac scientia ab anonymo non coævo aut sancti abbatis discipulo, ut patet legentibus, sed tamen fere suppari, ni fallimur. Iste anonymus erat addictus Regulæ Benedictinæ in monasterio a S. Mevenno fundato (2).

Illum scripsisse ante tempora Normannorum, vel etiam ante dies Caroli Magni, eruitur ex eo quod altissimum servat silentium tum de infestationibus dictorum barbarorum, tum de jactura lugenda instrumentorum, quam passa est Mevennensis abbatia ad finem vergente seculo VIII. Quibus sic stantibus, anonymum nostrum scripsisse circa tempora Caroli Tuditis (720-750), sat probabile videtur, præsertim ob vehementem invectivam qua lacessit bonorum ecclesiasticorum pervasores (3).

Quod spectat ad stylum, simplici et sat claro dicendi genere utitur S. Mevenni biographus, nec ei deest elegantia sermonis. Neologismi insuper vocesque exoticæ admodum pauca sunt. Quædam obiter suis locis notabimus.

(1) Nempe 1° S. Mevenni (vulgo *St-Méen de Bretagne*). 2° Lasseyi (*Lassé*, in Andegavia). 3° Attiniaci in Ardenesia regione (*Attigny*, Ardennes). 4° Ollini (*Oullins* prope Lugdunum), etc. — (2) Infra, Vita S. Mevenni, n. 6, 10 et passim. — (3) Infra, Vita S. Mevenni, n. 13.

Ex hac scriptione desumpta olim fuerunt *legendæ liturgicæ*, quæ in tres vel novem lectiones distributæ ad laudem et commendationem sancti Abbatis in antiquis breviariis Redonensi, Nannetensi, Leonensi et aliis inveniri adhuc hodiedum possunt. Sed istæ legendæ non sunt nisi tenue Vitæ ipsius compendium. Verumtamen nullum aliud documentum sub oculis habuit Pater Albertus Le Grand, Dominicanus, ad scribendam piam certe sed proh dolor! multo fuco mixtam S. Mevenni Vitam gallicam, quam deinde socii Bollandiani, deficiente alio textu, latinam fecerunt et in suam Collectionem admiserunt (1).

Unde patet quam necesse sit hanc opellam retractare et ejusdem sancti Mevenni Vitam vere antiquam, vere fide dignam, publici juris facere.

Porro eam, quam hic edimus, descripsimus ex unico apographo quod inveniri potuit. Quod apographum, pergamenum et formæ in-4° minoris (0m,18 × 0,13 circiter), primitus pertinuit ad abbatiam S. Mevenni Britannicam, nunc vero sub n° 9889 inter codices latinos Bibliothecæ nationalis Parisiensis numeratur. Continet tum Vitas sanctorum Mevenni, Judicaeli, Judoci et Petroci, tum obituarium simul ac cœremoniale ejusdem monasterii. Ceterum non fuit exscriptus nisi sub prioratu fratris Joannis de Vignac, vergente ad finem seculo XV.

Titulos, quia in apographo deerant, ipsi ad legendorum intelligentiam. capita distinguendo, in margine supplevimus.

Insuper, quum annum emortualem S. Mevenni in incerto reliquerit anonymus, et admodum diversæ de hac re in medium adductæ fuerint opiniones, adjicere visum est in appendice aliquot fragmenta ex Vita inedita S. Judicaeli, regis et sancti Abbatis discipuli, ex quibus S. Mevennum usque ad annum circiter 640 vitam produxisse perspicue et firmissime eruitur.

Ex hac appendice etiam supplebuntur quoquo modo plures lacunæ primi scriptoris. Ita quoad *normam monasticam* quam sequebantur Mevennus et ejus discipuli, de qua re dissentiunt docti (2), eam nihil aliud esse quam *Regulam S. Benedicti* ex professo asserit iste biographus, qui fere æqualis erat, et probat insuper exemplo memorabili.

Scribebam apud Sanctum Dominicum de Silos in Castella Veteri, maio mense anni reparatæ salutis 1884.

FR. FRANCISCUS BEDA PLAINE O. S. B.

Prologus auctoris.

1. Cum adhuc mundus pravæ gentilitatis erroneis tenebris involveretur et imago Dei similis potius creaturæ quam Creatori, videlicet idola colens, passim famularetur, omnipotens Pater, non diutius suam perire facturam ferens, carnem nostræ fragilitatis induit; quam pro nostra redemptione morti tradere non dubitavit. Ecclesiam ergo suam salutari

(1) *Acta Sanctorum*, ad diem 21 Junii. — (2) *Acta SS.*, t. IV Jun, p. 101.

illustravit adventu et ab squalore vetustæ gentilitatis inenarrabili pietatis amore pretioso sanguine tersit. Quam cum veternus hostis tanta claritate fulgentem inspiceret, dolens amittere juste quod injuste acquisierat, omne machinamentum malitiæ protulit et [1] famulos Dei diversis mortium generibus interimere certavit. Quorum itaque nonnullos crebris affixit patibulis, alios fame peremit, alios ignibus percremavit, alios inenarrabilibus tormentorum pœnis excruciavit. Sed quo amplius ejus crudelitas exarsit, eo amplius sanctorum numerus crescens orbem terrarum implevit. Cum autem post tot turbines inimici placuit omnipotenti Deo ut Ecclesiæ serenus illucesceret dies repulsis inimici jaculationibus, per omnem mundum exiliere viri luce fidei insignes ; qui Christi imitantes vestigia seipsos morti tradere non dubitarent.

S. Conaidus Mevennus, natus in Majori Britannia,

2. Intra quorum equidem consortium, clypeo fidei protectus, velut radians [2] lux Conaidus effulsit Mevennus (1). Qui transmarinis locis nobiliter natus, Domini concedente gratia immaculatam demonstravit infantiam. Orcheus autem pagus in Guenta provincia hunc protulit (2), terris generatum patre nomine Gerasceno. Ex qua eadem provincia sancti Sansonis mater extitit nata. Qui primum in puerilibus annis puerilia jura transcendit, et cum corporis quantitate miro sensus intellectu simul excrevit. Cum jam porro in adolescentiæ coalesceret apice, non infructuosis lasciviæ voluptatibus adhærebat, sed quasi jam senex animo sanctæ ecclesiæ limina assidue terebat. Traditus siquidem liberalibus studiis, ad tantam sapientiam breviter effertur ut multorum florentissima superaret ingenia. Nequaquam mundanis oblectamentis, sicuti puerilis solet ætas, insistebat, sed humanum sensum sale condiens, divinis orationibus assidue vacabat. Inerat itaque ei sapiens facundia, modestia mentis, vultus hilaritas,

[1] *vox suppleta.* — [2] *cod.* radiens.

(1) Hæc duo nomina ad regionem Walliæ spectare videntur : Conaidus seu Conanus idem est ac *Cynan*. Mevennus idem est ac *Marvan* de quo frequenter in genealogiis Wallensibus. — (2) Quid sit hodie Orcheus pagus, nescimus. Quoad Guentam provinciam, hodierno comitatui Monemutensi *(Monmouth)* respondere videtur.

prudentia cordis, mentis simplicitas, mira abstinentia, humilitas super omnia. Ad tantum igitur sanctitatis culmen ascendit ut, postpositis litterarum studiis, pauperes peregrinos ex propriis substantiis sustentaret et egenos vagosque domum introducens curaret. Et ut utriusque caritatis alis plenius fulciretur, sicut in Evangelio habetur, terrena deseruit, quatinus cœlestia valeret adipisci. Maluit enim spontaneam paupertatem in seculo, quam amittere remunerationem sanctorum in cœlo.

cum S. Samsone, cognato suo, et aliis, venit in Britanniam Minorem,

3. Illo siquidem tempore beatus Sanson cunctorum illius regionis fidelium dominus et magister erat, et ad illius nutum ceterorum vita tendebat. Dum ipse igitur capitalis magister, postpositis parentibus omnisque substantiæ copiis, Letaviam, id est Minorem Britanniam, petierit, prædictus Dei famulus ejus contuberniis adjunctus est. Inerat namque propinquus non solum genere sed etiam vicinio et caritate. Uno igitur amore succensi famuli Dei, exilium petierunt, ut a propriis exules majoribus angustiis angerentur. Letaviam maxime cupientes quæsierunt, vel quia deserta erat et ideo ibi laboriosius viverent, vel gentium feritate crudelior ceteris regionibus tunc temporis haberetur.

ubi clari miraculis

4. Prælibati siquidem Dei famuli, videlicet sanctus Sanson et Conaidus Mevennus, cum suis monachis mare prospere transeuntes, sicuti diximus Letaviæ partibus feliciter applicuerunt. Quorum adventu majori claritate fulgens patria lætatur, dæmonumque cultibus, quibus subdita erat, expulsis, amissum gaudet recipere lumen. Ad eorum utique prædicationem utriusque sexus agmina confluebant, verbique divini percepto semine ad propria remeabant. Cum jam denique patriam peragrantes divina virtute adeo florerent ut cunctis languentibus opem ferrent, quidam vir, Privatus nomine, illis occurrens, uxoris et filiæ sanitatem diligenter exquirebat. Quarum una, uxor videlicet, leprosa, altera dæmoniaco laborabat incommodo. Utrasque igitur sanctissimi viri piissimis orationibus relevatas pristinæ sanitati reddiderunt.

monasterium Dolense instituunt.

5. Omnis itaque populus gaudium magnum exercens, Dominum collaudabat meritasque grates sanctissimis viris

merito referebat. Patratis quoque aliis quampluribus bonis, locum ubi Domini servitium facerent quærere cœperunt. Dediti siquidem orationibus impetraverunt ut quamdam delectabilem villam eis ostenderet Deus, eorum necessitatibus opportunam. Palustri namque territorio circumdata, piscibus affatim, ceterum rivulis et fontibus vivis excellentissima pollet. Ad hoc maris essentia non longe distans partim navigio partim omnimodorum piscium copiis incolas hujus nimium ditare solet (1). Cujus nomen, ut aiunt, a quodam eventu Dolis dicitur. Hi hujus autem insulæ eminentiori loco monasterium fecerunt famuli Dei, et indigenas omnes viam veritatis edocentes, per potentiam prædicationis Domino reddiderunt. Postea vero ibi diabolo detrimenta, Domino lucra fiebant. Hospites ibi recipiebantur, eleemosynæ dabantur, peregrini sustentabantur [1], mentes etiam lætificabantur, quin etiam omnimoda pietas omnibus subveniens omnia in omnibus habebatur.

Missus S. Mevennus ad Guerocum comitem, a Caduono exceptus,

6. Cum autem prædictus pater Sanson cum suis famulis attentius suam basilicam erigeret, optimum esse ratus [recurrere] [2] ad Guerocum comitem (2), ut ad hoc sibi auxilium ferret, beatum Conaidum transmittere decrevit. Ipse enim præ ceteris magnis virtutum donis exuberans, affluentis eloquentiæ doctrina insignis erat. Arrepto siquidem itinere Dei famulus, cum quadam die, jam vespere facto, in pago Placato, qui Transylva dicebatur (3), hospitium quærere vellet, ecce illi occurrens quidam vir caritativus, nomine Caduonus, cujus caritas tanto redundabat ut ipse quotidie per vias discurrendo quæreret tales quos pro Christi nomine haberet hospites. Non enim surdus auditor Evangelii erat in quo : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (4). Et alibi, omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiendi sunt (5). Et amplius : *Operemur bonum ad omnes, sed maxime*

[1] *cod.* substantabantur. — [2] *vox suppleta ad sensum faciendum.*

(1) Eodem modo res se habent nostris diebus : regio Dolensis paludosa est, sed aliunde dives et frugibus ferax. — (2) Videtur hic agi de Gueroco, primo Venetensi comite (520-554 ?). — (3) Gallice : *Trécouët.* — (4) Matth. xxv, 40. — (5) Regula S. Benedicti, cap. 53.

ad domesticos fidei (1). Hujus igitur amoris igne succensus prædictus Caduonus, usque ad Modonem fluvium (2) quotidie deambulabat, ut Deum hospitem mereretur accipere. Qui cum beatum Conaidum hospitari quærentem agnoverit, libenter eum recepit, dicens : *Gratias omnipotenti Deo refero, qui semper et nunc per servos suos me visitare dignatur. Si equidem,* inquit, *inveni gratiam in oculis tuis, domine mi, declina mecum hac nocte hospitatum. Palearum quippe et feni plurimum habeo et est mihi spatiosa domus ad manendum.* Quo audito, beatus Mevennus Deo gratias agens, hospitium recepit atque monachorum more illa nocte se habuit.

terram incultam accipit,

7. Benignus siquidem hospes grande convivium faciens, caritativum amorem famulo Dei exhibuit. Nocte igitur illa in Dei laudibus ducta divinisque sermonibus ad invicem prolatis, famulus Dei Caduonus amore sancti Conaidi valde captus, ait : *Obsecro, piissime famule Dei, ut in istis locis nobiscum habites, quatinus per te meliorari valeamus. Habeo enim hic latam terram et spatiosam, desertam quoque et divino cultui aptam, quam mecum me vivente precor inhabites, et post meum decessum inde mihi heres perpetualiter existas. Carnalibus equidem heredibus careo, cœlestes adipisci desidero; et quoniam quidem te Spiritus sanctus huc advexit, hanc largior tibi hereditatem, ut tuis orationibus fultus tecum habere merear cœlestem.* Quo audito sanctus Conaidus, non tamen cupidine captus, sed amore beati viri succensus, donationem accepit, meritasque grates Deo referens cœptam viam alacriter tenuit. Prædictus autem comes sanctum Mevennum honorabiliter suscipiens, suis se orationibus commendavit, donisque quamplurimis datis eum dimisit. Regresso siquidem ad prædictum fundum sancto Conaido, beatus Caduonus volens se ejus precibus commendare, dixit : *Perambula et gyra circa istam terram, famule Dei, passim, et illius quantitum* (3) *videas visamque pretiosiorem habeas. Cis enim fluvium Modonem et ultra eam posside, jureque perpetuo tene; et ut certius donationem agnoscas, terrula quam tibi do Transfosa nominatur.* Quo peracto, per-

(1) Gal. vi, 10. — (2) Gallice : *Le Meu,* rivus qui affluit in Vicenoniam *(Vilaine).* — (3) Sic.

petuum pepigere fœdus famuli Dei, totumque se beatus Caduonus famuli Dei precibus commendavit. Regressus inde Conaidus Mevennus ad locum Dolis, quodcumque ei acciderat sancto Sansoni per ordinem retulit : qui etiam Domino meritas grates rependens, comitem benignum dignum benedictione decrevit et famulum Dei Caduonum pro largito munere benedixit.

ubi paulo post,

8. Exinde autem non multo tempore decurso, prædictus Conaidus Mevennus magis solitariam diligens vitam, per sancti Sansonis consilium licentiam ab omnibus quæsivit et ad prædictum prædium benedictione percepta feliciter remeavit. Et quoniam non tantum sanguinis propinquitate sed etiam ferventissimo dilectionis amore beato Sansoni adhæreret, multis cohortabatur precibus ut ad eum sæpius rediret. Et quia cognoverit eum virum altioris ingenii, et gratia Dei illuminatum, conspiciens illum jam cœlesti lumine radiantem Domino fideliter velle servire : *Proficiscere*, inquit, *frater, cum Dei benedictione, et Dominus in cujus conspectu semper assistimus mittat angelum suum tecum et dirigat opera tua per viam, secundum voluntatem suam.* Ad hoc, postquam omnia quæ necessaria erant dederit, imprecans(1) ei et famulis ejus prospera, Domino omnibus diebus vitæ suæ deservire præcepit : *Carnes*, inquit iterum, *et fratres mei estis; Domino estis : Domino semper ex corde adhærere valeatis. Habete pacem vos inter discordes et inter superbos humilitatem. Nihil enim Deo acceptabilius pace, de qua ipse dixit : Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (2).

miraculis editis,

9. Itaque cum pastorali benedictione et licentia fratrum pacificus tandem Conaidus profectus est. Quo regrediente, præfatus Caduonus valde exultans Dominum laudat, et ad ædificandum cellulas et omnia quæ necessaria erant omnimodis adminiculationibus eum adjuvare laborat. Desertus quippe locus erat et ferarum habitatio tantum. Quadam denique die, cum in eodem saltu basilicæ locum aptum quæreret et excepta aqua ceteris omnibus affluentem reperiret,

(1) Intellige *apprecans*. — (2) Matth. v, 9.

confisus in Domino orationibus suis obtinuit ut in congruis locis cuspide baculi defixi fons vivacissimus emanaret (1), ex cujus aquis non solum homines aliquando merito fidei sanarentur, sed et pecora diversis morborum generibus curarentur. Ab illo siquidem eventu habitatores loci istius [1] Album ei nomen dederunt, quia tunc albedinem sanitatis inde recipi mererentur (2). Hujus igitur miraculi novitate perculsus omnis populus, ad eum undique confluens, suos infirmos humiliter offerebat; quorum alii a dæmonibus liberabantur, alii a diversis languoribus curati cum salute redibant animarum. Ubicumque enim sanctus aderat, sospitatis gratia redundabat.

oratorium et cellas, mox monasterium constituit.

10. Quin etiam, ut præfati sumus, idoneum habebat repertum locum. Cellulas et parva tuguria primum ædificare cœpit, ubi monachorum ritu primum conversari valeret. Deinde, circumspectis undique locis, apertiorem ceteris elegit, ubi in honore sancti Joannis Baptistæ oratorium Domino consecravit. Ibique non paucis diebus vigiliis et orationi insistens, sacrificium laudis, seipsum videlicet, Domino mactavit. Audita denique fama tanti patris per omnem provinciam regionis, nobiles viri et mulieres ad servitium Dei sanctissimo viro undique suos filios afferebant. Crescente quidem discipulorum numero, majus monasterium construxit, ubi regularem vitam monachorum multos doceret, atque piissimus pater existens sicuti filios adunaret. Postea vero, obedienter famulis Dei laborantibus, tanta possessio rerum excrevit, quatinus, jamjam remunerante Domino, non solum subsidia corporum sed et eleemosynarum largitione fructum inde caperent animarum. Otiositatem porro, inimicam animæ, obnixe propellentes, seipsos contra se erigebant, donisque virtutum exuberantes, crucem Domini diligenter ferebant. Malebant enim angustiis excruciari quam perpetualiter infernorum flammis incendi. Denique, quamvis virtuti-

[1] *apogr. cod.* mei.

(1) Fons ille adhuc extat prope capellam in honorem S. Mevenni erectam. — (2) Hodie hoc nomen abolevit et mutatum est in vocem gallicam *Fontaine-St-Méen.*

bus florerent et rerum affluentia ditarentur, nullus eorum delectationis blanditiis succumbebat, sed in Domino penitus mentis oculum defigentes, bona præsentia quasi post tergum, futura vero semper ante se præponebant. Jugum igitur Christi, quod fidelibus nimis est suave, cupide tolerabant, et onus ejus nimium leve compensantes libenti animo ferebant.

11. Tantorum siquidem bonorum incrementis famuli Dei floruerunt, quatinus ipse Britonum dux Judicaelus, sicuti post declarabitur (1), illorum orationibus se commendaret et eorum monachus postea existeret. Qui etiam ad opus monasterii plurimam auri et argenti copiam detulit, et ad ornandum multa ministravit. Consilioque sancti Mevenni multa per patriam monasteria construxit, atque deserta reparavit. Pauperes etiam pavit; justitiam cum discretione in populo ministravit; divinum cultum in ecclesia diligenter excoluit. Veridicus igitur Dei cultor Conaidus semper ad melius tendens non solus ire volebat ad patriam; sed alios undecumque locorum poterat secum invitare satagebat, juxta quod scriptum est : *Qui audit, dicat : Veni* (2).

A Judicaelo Britonum duce, adjuvatur;

12. Et quoniam de vita et honestate et conversatione illius aliqua perstrinximus, de miraculis amodo salva veritate loquamur. Memorandum igitur inter alia censemus insigne miraculum quod Deus per illum voluit esse notificatum. Erat utique piissimo duci Judicaelo quidam frater, Hælonus nomine, prope monasterium sancti inhabitans, qui, quamvis de carnali sanguine, nequaquam fratri moribus inhærebat. Cujus crudelitas tanta redundabat immanitate, ut quemdam famulum suum pro leviori scelere carceralibus locis includeret [1], morti quam citius adjudicandum. Qui dum immersus obscuriori barathro vinculorum duris nexibus angustiaretur, et [2] immoderatis vocibus suam miseriam deploraret, audivit illum prælibatus Conaidus, dum forte quamdam fratris cellulam visitaret. Compatienti siquidem animo piissimus Dei

sed offenditur ab ejus fratre Hælono,

[1] *apogr.* includerit. — [2] *vox suppleta.*

(1) Hæc pars scriptionis quam auctor hic pollicetur, deest in nostro apographo. Vide appendicem, infra. — (2) Apoc. XXII, 17.

alumnus cum cognovisset miseriam dolentis miseri, postposito timore, Hælonum comitem causa miseri humiliter precari cœpit. At ille, tanti patris præsentiam irreverenter respuens, imprecationes (1) ejus nihilo reputavit eumque sicuti superbus a se exire compulit. Cum videret itaque beatus Conaidus neque donis neque precibus impium flecti, convertitur ad illum qui nullum spernit in se confidentem. Caritativo siquidem succensus ardore, jejuniis et orationibus pro misero seipsum excruciabat, quatinus omnium reparator Deus a tantis angoribus miserum liberaret. Dum igitur sanctus in oratione perseveraret, ruptis nexibus apertisque claustris statim solvitur inclusus, et ad monasterium fugiens, pedibus sancti provolvitur. Domino suoque servo fideli gratias referebat.

qui punitus a Deo pœnitens obit.

13. Cognita denique crudelis Hælonus miseri fuga, servos quam citius compulit fugitivum insequi et ut iterum includeretur monuit. Qui etiam, dum apud sanctum reperirent fugitivum, tanto patri reverentiam exhibentes, dixerunt : *Dominus noster, homo de indignatione fervidus, nos hunc captivum insequi jussit et ad se comprehensum reducere.* Quo audito, famulus Dei miserum oratorio inclusit, dicens : *Ab ecclesia, scriptura teste* (2) *nullum licet abstrahere, etiamsi capitali sententia dignus extiterit. Examinatione ergo judicii comprobetur utrum injuste tenebatur inclusus.* Revertentibus itaque servis occurrit furiosus Hælonus, et qualiter egerant retulerunt. Quibus dictis accensus : *Eamus*, inquit, *ad monasterium nostrumque fugitivum ei auferamus.* Superbia denique plenus, sanctum conviciis provocans, monasterium violenter irrumpit, fractisque claustris captivum miserum miserabiliter inde extraxit. Facta siquidem desperatione certaminis atque humanarum precum, ad divinum solatium sese contulit sanctus. Finita autem oratione, mortem Hæloni post triduum venturam nuntiavit. Malignus denique præsumptor, dum tumido fastu recedens suum factum ostendendo jactaret, divina statim ultione percutitur. Dum enim calcaribus

(1) Pro *preces*. — (2) Cfr. canonem primum primi concilii Aurelianensis (511). Mansi, tom. VIII, p. 350.

equum incitans, viam percurreret efferus amplam, vindice Deo statim labitur, coxam fractus ceterorumque membrorum officio destitutus. Mox vero pœnitentia ductus, humiliter rogabat cum lacrimis fugitivum sancto reddere, et, ut ad eum visitandum veniret diligenter orare. Cognita tandem re, beatus Conaidus misericordia motus, orationem pro illo fudit, eumque visitatum venire non recusavit. Data denique confessione et accepta absolutione, viaticum Dominici corporis accepit, et post triduum, sicuti sanctus prædixerat, mortem obiit. Audiant hoc tyranni, ecclesiarum pervasores, et timeant et improperium justis inferre recusent. Exhibendus est enim, ut ait S. Gregorius, timor sanctis hominibus, quia templa Dei sunt et veraciter in eorum cordibus præsens est qui ad inferendam ultionem invalidus non est(1). Deinde famuli illius oratorium restruxerunt quod fregerat, et ad monasterium construendum de ejus facultatibus non modica donaria obtulerunt. Hanc vindictam multi audientes, perfectius Deum timuerunt, ecclesiæque res invadere postea non audentes, ac etiam invasas reddere festinarunt. Multis igitur modis profuit correptio atque damnatio unius impii, per quam multi adhuc increduli virtutem Domini plenius cognoscentes postea timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

S. Mevennus verbo cervos abigit ab arvis,

14. Memorandum esse videtur et aliud miraculum per Dominum fidelem proximo tempore similiter factum. Dum enim aristarum tempore, famulorum Dei culturas cervorum ceterarumque ferarum agmina ruptis sepibus non solum manducando sed et conculcando quotidie devastarent, regredientes famuli beato Conaido talia retulerunt: *Incassum laboramus, domine pater, quia messes tutari non possumus. Agmine enim facto cervi et aprorum conventus sepes aliquando irrumpentes, transiliunt, et quodcumque seminamus, acerba fauce consumunt. Excubiæ et insidiosa retinacula per gyrum construi deberent, quatinus tanti laboris fructum salvum habere valeremus.* Quo audito, beatus Dei famulus, caritativo amore

(1) Cfr. Dial. II, cap. XXXI.

inflexus, ait: *Nolite, filii mei, nolite contristari, videntes judicium Dei. Sicut Domino placuit, ita factum est: fiat. Ipse enim providebit custodiam servis suis, sicuti voluerit; tutabitur eis quod placuerit. Omnino igitur in Domino sperate, et facite bonum, qui nobis etiam utriusque rei necessaria ministrabit. Qui enim vitam corpori tribuit, melius scit qualiter debeat eam tutari.* Tacito itaque murmure famulorum, valde mane prudens pater, peractis orationibus, signaculo sanctæ Trinitatis armatus, exiit visum qualiter illius messes vastarent. Quas valde attritas inveniens, omnigenarumque ferarum phalanges undique inveniens, stetit, et in Domino confisus humiliter dixit: *In nomine Domini, cui obediunt omnia, cujus creaturæ estis, præcipio, hinc amodo recedatis; nec amplius monachorum labores adnullare audeatis, sed vestrum prædestinatum cibum jam magis quærere per desertum curetis.* Ad hanc itaque vocem bestiolæ quasi obedientes, statim fugerunt, atque solito more per deserta vagantes in suis sedibus redierunt. Porro culturas monachorum ita postea dimiserunt, ac si ferreis muris per gyrum munirentur.

Deo morum puritatem remunerante.

15. Ita autem Dominus in camo et freno suo maxillas ferarum constringere voluit, qui aliquando homines non appropinquantes sibi per prava quæque oberrare necnon et vitam finire permittit [1]. Gubernator enim omnium Deus, qui omnes desiderat salvare et ad agnitionem veritatis venire, aliquando per irrationabilia monstrat qualiter ab hominibus timeri debeat. Ad arbitrium equidem hominis omnia creata antequam peccaret commiserat Deus, quatinus magister et dominus omnium existens omnibus dominaretur. Quem enim ad imaginem conditum habebat, super omnia dominum et meliorem cunctis esse disponebat. Sed quia diabolicis figmentis magis obediens Domini præcepta contempsit, cum seipsum per se voluit exaltare, ab illa celsitudine magna ex parte dilapsus est. Qui enim omnino bonus erat conditus a bono conditore, pene totus cœpit esse malus, diabolica suggestione. Vitiato siquidem capite, statim cuncta creata

[1] *apogr.* promittit.

vitiata apparuerunt. Horrida namque luporum ira in agnos sævire cœpit, leonumque violentia in minus validos exarsit. Quin etiam non solum postea labores hominis devastare, sed et ipsos homines nocere, aliquos etiam perimere certaverunt. Nullum amplius virtutis emolumentum per seipsum habuisset homo, nisi ipse Creator incarnatus secum descendisset, Deus et homo factus. Cujus etiam gratia redundante, adeo fidelis restauratur homo, ut etiam moderante Deo illius jussis obtemperare cogantur cuncta creata. Sed ne valde prolixiorem facere videamur digressionem, ad historiam redeamus.

Post peregrinationem Romanam serpentem immanem nullo negotio in Ligerim præcipitat,

16. Non multo postea tempore transacto, prælibatus Dei famulus, semper ad melius tendens, Romam petiit, quatinus apostolorum orationibus mereretur adjuvari. Cum denique per Andegavensem civitatem rediret omneque boni exempli documentum cunctis inferret, discurrente ejus fama omnes non solum civitatis incolæ sed ex omni vicinio cuncti etiam ruricolæ citius affuerunt. Miro siquidem amore cupiebant tanti patris adire præsentiam. Audientes itaque sanctissima illius monita, suppliciter implorarunt ut vel per aliquot dies ibi maneret, viamque veritatis eos edoceret. Quorum utique petitionibus annuens, inibi commorabatur, omnigenorumque morborum spurcitias evitans saluti cuncta reddere satagebat. Quod ut vidit quædam sanctimonialis, prædictam inhabitans civitatem, pedibus sancti provoluta, dixit : *In nomine Jesu Christi, cujus doctrina profers, o homo Dei, succurre mihi ancillæ tuæ. Habeo enim prædium habile et idoneum ad manendum, quod terrore cujusdam serpentis miræ magnitudinis dereliqui. Qui etiam ignivomo vapore atque fœtore non solum homines suffocat* [1], *sed et cuncta animalia venenosis aculeis inflammat.* Quo audito, famulus Dei caritativo amore flectitur, et ubi illud prædium habetur, inquisivit. Cui sanctimonialis ait : *Inter Sanctum Florentium et Clarum Montem* (1), *infra Namneticam diocesim.* Mane itaque surgens beatus Dei

[1] *apogr.* ocat.

(1) Gallice : *S. Florent-le-Vieux* et *Clermont.*

alumnus, acceptis ductoribus pergit ad locum ubi ille antedictus serpens jacebat, horribile monstrum; sed ductores pavidi longe remanentes, elevata manu diversorium bene designaverunt ubi illum fore sperabant. Vir autem Domini intrepidus pergens, serpentem adiit. In Domino confisus, hunc audacter invasit. Monopalium (1) enim suum illius circumdedit collo, baculique curvitate adnexa, veluti domesticum canem post se eum trahens, in nomine Jesu Christi in flumine Ligeris eum præcipitavit, dicens : *Nunquam magis hominibus noceas, nec alicui adustionis damnum amodo inferre valeas.* Ita enim Domini virtute magnus serpens expulsus est, et beatus Dei famulus honorifice merito susceptus est.

et terram quam liberaverat dono acceptam in monasterium convertit.

17. Deinde omnis populus undecumque adveniens, sancto viro citius occurrit, Dominumque collaudans, supplicationibus, votis veniam ab eo postulavit. Multa denique ei xenia contulerunt; quæ cuncta fidelis dispensator pauperibus erogavit. Multi autem divino fervore succensi, diligenter implorare cœperunt ut de illorum terris acciperet et cum illis dum viveret, manere non refutaret. Illa præcipue monialis cujus fundum a præfato serpente liberaverat, ceteris avidius imprecabatur (2), quatinus illam terrulam acciperet ecclesiamque in ea fundaret. Et cum aliter ad hoc eum inclinare nequiret, in pretio monopalii hanc recipere orabat, quod in serpentis collo dimissum habebat. Tractus Dei famulus inundantia precum, terram, volente Deo, recepit, atque oratorium et ædiculas ad manendum in ea fundavit : unde postea Monopalium nomen accepit, sicuti referebant incolæ, quibus per successionem innotuit (3).

Utrumque monasterium suum regens.

18. Claruit autem et ibi beatus Dei famulus virtutibus et signis, invalidasque languentium catervas pristinæ restituit sanitati. Attamen in priori monasterio morabatur frequentius. Utrumque tamen ita vigilanter excolebat ovile, quatinus semper expulsis insidiis luporum pacifice semper augeretur grex monachorum. Cum vero præsentialiter istis

(1) Gallice : *Etole.* Cfr. Ducange V° *Monopalium,* ubi nullum alium auctorem citat quam nostrum anonymum. — (2) Scilicet *supplicabat.* — (3) Hæc cella nihil aliud esse potest quam prioratus S. Mevenni de Cellario prope Nannetas.

aderat corpore, nec tamen illis defuit mente. Proinde siquidem oves suas custodiebat [1] pastor excitus ne ab antiquo lupo sibi furtim subriperentur. Sine igitur temporis intervallo in oratione perseverabat, et ut de commissis animabus Domino lucra fierent fideliter elaborabat. Quid plura? Tantæ itaque vigilantiæ erga subjectos extitit quantæ nemo vocis officio vel linguæ plectro digne poterit explicare. Humiliorem et cunctis minorem sese in terris exhibuit: idcirco clarissimus Calcedon (1) splendet coloratus in Hierusalem cœlestis regni.

morte sua et morte discipuli prænuntiata, moritur;

19. Et quoniam de vita et miraculis aliqua pro posse perstrinximus, qualiter ex hoc mundo migravit feliciter adeamus. Obitum siquidem suum longe ante præscivit, et eo appropinquante cœlestibus institutis undique se muniri amplius curavit. Cum autem jam senex et plenus dierum in monasterio prius fundato sedens aliquid infirmitatis sentiret, convocatis fratribus in unum, proprii corporis dissolutionem aperte declaravit, ostenditque caritativis loquelis quid agere deberent qualiterque contra antiqui serpentis machinamenta intentius pugnarent. Hæc et his similia postquam sibi commissis omnibus intimasset, viribus corporis cœpit derepente destitui. Quo viso Austolus quidam presbyter, ejus filiolus, qui ei in monasterio serviebat humiliter, compatienti dolore percussus ait : *Cui, pater, me tuum famulum desolatum relinquis? In quorum manibus tuum filiolum tutandum deseris? Quis a morsibus luporum, sublato pastore, infirmam tutabitur ovem? Expediisset enim melius me sepultum fuisse tuis manibus antequam migrasses tuisque Deo redditum piissimis orationibus, quem veram docuisti doctrinam dulcissimis eruditionibus.* Cui perpius patrinus admodum flenti amica voce respondit : *Operare, dilecte mi filiole, atque diligenter officium tibi commissum perfice; quoniam, miserante Deo, post septem dierum cursum mecum adibis gloriam cœlestis vitæ. Caritatis siquidem fervor intermutuæ nullatinus solvitur; sed quanto hucusque amor valuit, tanto semper et majori valebit.* Postquam

[1] *hanc vocem supplevimus, quia deesse videbatur in apographo.*

(1) Id est Chalcedonius, quod nomen est lapidis pretiosi.

autem talia cunctis audientibus orsus est pater, moderante Deo temporis horam, beatus undecimo Kalendas Julii feliciter migravit ad cœlum. Quo migrante, lætantur angeli et Deo exultant sancti; sed mœrens et tristis congregatio monachorum omnisque populorum conventus nimio dolore permotus extitit. Cœlestia namque agmina hunc alacriter comitantur ad regnum, sed terrestris turba flens et ejulans prosequitur ad tumulum. In transmigratione itaque tanti patris hos lætitia cumulavit, sed illos admodum mœstitia replevit.

et discipulus post eum obiens, non sine miraculo cum eo sepelitur.

20. Prædictus autem Austolus, sanctissimi patris obtemperans monitis, sicuti jussum fuerat, cunctis obediendo fratribus fideliter ministrabat. Alacriter enim Deo et hominibus servitium exhibebat, mortisque compendium parvipendens cœlorum regna ardenter sitiebat. Transactis siquidem septem dierum curriculis, sicuti docuerat patrinus, præmium quod Deus promisit suis fidelibus, accepit [1]. Septimo namque die, quod est quarto Kalendas Julii, expletis missarum solemniis, ad ecclesiam sicuti solebat solitarius perrexit, ibique, ceteris ignorantibus, triduano jam ante jejunio expleto, in pace obdormiens requievit. Advenientes denique fratres invenerunt illum jam mortuum, sed adhuc corpore calidum. Qui statim recordantes mutuæ dilectionis eorum, sancti Mevenni sepulcrum proinde reviserunt. Cujus corporis odoriferam gemmam in dextra parte super sinistrum latus jacentem reperientes, divinitus totum hoc esse credentes, miro ordine cum beato patrino beatum filiolum sepelierunt. Patuit itaque per mortua ossa quantum valuit hujus amor atque peccatorum multitudinem operiens caritas. Quibus siquidem fuit in terris una causa certaminis, illis esse monstratur in cœlis una retributio præmii, per eum pastorem qui pastoribus præesse creditur, Jesum Christum, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

[1] *vox suppleta.*

APPENDIX.

EXCERPTA EX VITA INEDITA S. JUDICAELI S. MEVENNI DISCIPULI,

AB ANONYMO SUPPARI SCRIPTA (1).

Beatus itaque Christi servus Judicaelus, post pacem cum rege Dagoberto factam (2), firma ratione secum decrevit nulla occasione amplius morari in seculo. Unde ad ecclesiam confugiens, sub norma beati Benedicti se divino cultui mancipandum suscipi postulavit... et cum debitæ venerationis officio susceptus est a beato et venerabili patre Mevenno, adhuc superstite, qui religionis merito apud Deum et homines clarus habebatur in illo tempore...

Unde cum hortulanus [1] esset et occasione accepta in custodiam sæpissime pernoctaret, nudus morabatur diutius in aqua, perforata glacie, aut jacebat in pruina, toto prostrato corpore. Sic igitur oppositione contraria curans calida frigidis, tali se atterebat vir beatus genere martyrii. Quadam autem vice, dum S. Mevennus ad oratorium quod juxta hortum situm erat, orationis causa pergeret, stridorem dentium cum planctu aliquo hausit, et statim quid esset non intelligens, sed potius admirans, propius accessit. Nec mora, Christi athletam Judicaelum comperit in agone, quem divino labore fatigatum, latentem in nocte, putabat quieti membra laxare. Qui primo visu, tantæ rei admiratione quasi stupefactus, hæsit; deinde, subito zelo caritatis accensus, accelerat, vestes præparat, et paterno amplexu fovet, induit, secumque ne talia amplius aggrederetur deprecando, inducit [2].

Subsequenti vero tempore, dum septimana sibi proveniente, secundum monachorum consuetudinem (3) in officio culinæ fratribus ministraret, et ollas oleribus plenas super prunas posuisset, ecce per omnia caritati invidens diabolus

[1] *apogr.* ortolanus. — [2] *apogr.* induit.

(1) Cfr. supra, præfationem et num. 11. — (2) Anno Christi 636 vel 637. — (3) Sic ordinat S. Benedictus in Regula, cap. 35.

illo paulatim abscedente affuit, qui se in ollas, ut beato viro molestiam afferret, latenter immisit. Cum haud [1] multo post Judicaelus, quondam rex, modo coquus, ad officium sibi injunctum remeasset, et juxta ollas ignem plurimum accendere jam cœpisset, aquis ebullientibus vi maxima atque undis crepitando prosilientibus super prunas, dolus inimici virum spiritualem latere non potuit, quem quasi balneantem in ollis fluctuare cognovit. Tunc vir miræ simplicitatis et innocentiæ, hostem quem spiritaliter vicerat, æstimans se corporaliter vincere posse, vectem quo culinæ ostium obserari solebat arripuit, moxque in illum vasto impetu irruit. Qui ollas effringere et aquas effundere tantum potuit : nam qui conteri putabatur, latro evasit. Verum licet vecte non posset contingi, tamen contritus virtute Domini, non sine sui magna confusione fugiens, vestigia fœda reliquit.

Postea autem coquus humilis, videns se ollas confregisse et fratrum pulmentaria effudisse, doluit, quoniam hoc esse damnum fratribus recognovit. Unde veniam petiturus ad sanctum Mevennum, abbatem suum, confestim rediit, et quæ sibi evenerant humiliter enarravit. Qui abbas prudenter (nolebat enim sanctum hominem virtute extolli) : *Magnam*, inquit, *frater, culpam incurristi, quia hodie fratribus tuis cibum incaute abstulisti. Perge ergo ad proximum monasterium, nihil cibi vel potus sumens, donec illuc perveneris et fratribus nostris qui in illo regulariter monasterio degunt, gestæ rei ordinem narraveris.* Deinde aliis imperavit ut perdita in coquina restaurarent, cibos citius præparantes qui hora prandii necessarii fuerant.

Vir autem venerabilis Judicaelus, ut erat Deo devotus, caritatis obedientia admodum repletus, fatigatus itinere et jejunii [2] maceratus austeritate, quo magister præceperat tandem pervenit, et quæ sibi injuncta fuerant discipulus obediens adimplevit. Sic ergo sapienti consilio et bono viro de virtute virtus excrevit pluribusque ad præcavendas inimici insidias exemplum tale profuit.

[1] *apogr.* haud cum. — [2] *apogr.* jejunii et.

VITA
S. LONOCHILI
PRESBYTERI
ET
S. AGNOFLEDÆ
VIRGINIS
ex codice Sangallensi seculi VIII.

Norunt eruditi quam paucæ sint Vitæ sanctorum ævi merovingici quæ certo a coævis conscriptæ sint. Itaque gratum admodum nos iisdem facturos existimavimus si Vitam S. Lonochili ex codice Sangallensi 567, quem seculo VIII exaratum esse constat (1), inter *Analecta* nostra vulgaverimus: cujus antiquitatem et ipsa codicis vetustas et mira styli simplicitas et candor commendant. Hujus nonnisi textum interpolatum et retractatum ediderunt majores nostri ad diem 13 Januarii (2), ubi sanctus ex more recentiorum Lenogisilus seu Lonegisius nuncupatur. Sincerum et primigenium textum ex supra dicto codice ad usum PP. Bollandianorum maxima cura exscripsit cl. Fr. Ed. Buchegger, et novissime jam prelo expressum a nobis rogatus cum eodem codice iterum sedulo contulit eximius et doctissimus vir, Dr Idtensohn, hodiernus bibliothecæ Sangallensis custos, qui et variantes lectiones adjecit ex ejusdem bibliothecæ codice 577, descripto partim seculo IX, partim seculo X.

Propter antiquitatem codicis, orthographiæ rationem servandam duximus ad amussim.

In Dei nomine incipit vita sancti Lonochilii sacerdotis [1].
Incipit prologus.

1. Denique in primis divinae clementiae postulamus auxilium, ut digni mereamur effici indagare vitam sancti Lonochilii et Agnofledis, Deo sacratae virginis, ad profectum

[1] *cod. 577 add.* Pridie Kl. Septb.

(1) *Verzeichniss der HH. der Stiftsbibl. von St. G.*, p. 182. — (2) In Appendice ad tomum I Januarii.

populi christiani : quia hominem imperitum plus exempla erudiunt quam predicamenta. Sancti viri in hoc mundo cur non accipiunt caelestem potestatem, qui terrena despiciunt et nihil inde ambiunt? Cor et mens illorum fixum in conditore ponuntur. Vere dignum et justum est nobis petere per intercessionem eorum redemptorem nostrum, ut exempla et vestigia consequamur et in bonis operibus fructificemus, quatenus ad aeternam patriam pervenire mereamur; quia valde terribile est quod in evangelio Veritas recitavit : *Quid proficit homini, si lucretur universum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* Maxime cavendum est unicuique homini, ut conversationem suam cum magna cura prævideat, ne Domino displiceant opera sua, et dum virtute boni operis flagrat non suis meritis hoc deputet, sed potius ut Deus in hoc laudetur in populis ; ut de agrorum floribus rosarumque pulchritudine sanctæ ecclesiæ suave redoleat, sicut apostolus dixit : *Christi bonus odor sumus Deo.* Nunc autem ad ordinem rei redeamus, et studeamus thesaurum absconditum in publico manifestare, quia ipse Dominus dixit in evangelio : *Thesaurus absconditus et sapientia occulta, quæ utilitas in utrisque ?*

Incipit vita sancti Lonochilii sacerdotis et sanctæ Agnofledæ virginis.

2. Nunc igitur qualis iste sanctus venerabilis vir Lonochilius fuerit, vel quæ miracula Deus per illum ostenderit, in quantum parvitas nostra audivit ac per veraces homines didicit, ostendere conabor. Ex genere Alamannorum oriundus fuit, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis. Superna gratia dispensante, ab ipsis cunabulis et ablactatu matris suæ, dedit ei Dominus sensum et intellectum ad agnoscendum Deum verum qui creavit cælum et terram. Mox itaque puer Domino serviturum se vovebat ; jam cupiebat baptismum accipere : parentes vero ejus in illis temporibus pagani erant et idola adorabant, Deum caeli minime cognoscentes. Qui cum vidissent puerolum juvenem remo-

tum de vanitatibus et de idolatria illorum, displicuit illis conversatio ejus. Vir autem Domini plus desiderans caelestem patriam quam terrenam possessionem, parentibus suis innotuit in caelo se habere Deum suum. Tunc latenter exivit et oravit cum lacrimis ad Dominum suum, petens ut auxilium ei dare dignaretur. Reliquit patriam et cognationem suam; implevit quod in evangelio Veritas dixit: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me.* Pergens itaque supradictus puerolus solus terrarum spatium quasi peregrinus, Domino moderante pervenit in Equitaniam ad civitatem quæ vocatur Alvernia, ibique semetipsum fortiter stringebat in jejuniis, in vigiliis, et orationibus vacans die noctuque. Tantummodo Dominum [1] rogabat, ut meruisset venire ad baptismum. Statim vero cuncti in civitate commanentes cognoscentes quod ex toto corde Deum diligebat, interrogaverunt eum ex qua regione esset, et ob quam causam propriam patriam dereliquisset et advena fuisset [2]. At ille conpulsus per ordinem omnia eis narravit: *Volo salvare animam meam.* Illi autem gaudentes laudaverunt Christum, qui omnes homines salvos fieri vult. Mox autem ibidem humiliter conversabatur. Fuit cathecizatus et baptizatus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Postea ad imbuendum litteris studiose certabat adolescens, et in lege Domini meditabatur die noctuque, et infra moenia urbis Alvernii consedit, opinioque ejus longe lateque jam in populo crescebat cottidie.

3. Quod cum vidisset episcopus illius civitatis promptum et dignum esse ad Dei servitium, una cum petente populo ad onus sacerdotii eum ordinavit. Postea jam plus crescens et proficiebat sapientia, videruntque exempla et facta illius, ædificaverunt se plurimi a pravitatibus suis. Erat autem ille pulcher aspectu, acutus eloquio, fervens in amore Domini. Scriptura sacra jam bene ex parte doctus, cunctis fratribus vita sua placebat. Cum jam multa tempora in hac urbe consedisset, magis ac magis in Dei servitio pollebat; et cum

[1] Deum. — [2] (et a. f.) et advenisset.

Dominus dirigere eum vellet in alias partes, ut clarescerent exempla sua, vidit demum multos deviasse et graviter deliquisse in supradicta urbe, et ei minime consensissent ad melioris vitæ habitum converti. Conpunctus videlicet corde fecit sicut apostolus dixit: *Date locum ire.* Perrexit inde solus cum baculo suo quousque pervenit ad Cinomanicense, in pago Sagonense, ad villam quandam quae vocatür Falangas.

4. In tempore illo, regnante Clothario rege Franchorum, inspirante divina clementia, adhuc nuper fuit quod Galliarum provintiam inlustrasset fides catholica. Cum autem sanctus Lonochilius resedisset in Buxiaco, invenit ibi oratorium parvum. Veniente autem ad eum multitudine infirmantium, imposuit eis manus et sanavit eos. Deinceps, Deo largiente, manifestatus est mundo Dei famulus. Cui Dominus ostendere dignatus est multa miracula. Propterea per girum commanentes obnixe petierunt eum ut apud illos habitare non dedignaretur, ac spoponderunt ei ut multis divitiis ditarent eum. At ille ut cognovit voluntatem eorum, promisit se in eodem loco mansurum.

5. Servus autem Domini solita consuetudine ingressus oratorium, nocturnas celebrare, pavore perterritus fuit. Qua de re recognovit quod antea synagoga esset, nec claras reliquias habuisset. Idcirco arcessere fecit principes quorum possessiones possedit. et postulabat ut ei darent benedictionem, atque innotuit eis quod Romam pergere desiderasset, quod ita et fecit. Pergebat itaque ad limina sanctorum Petri et Pauli, ibique diutius morabatur, petens apostolicum reliquias. Minime autem consequi valens petitionem suam, jam tristis et dubitans effectus est. Miro modo ipsa nocte qua crastina die revertere decrevit in animo suo, venit ad eum angelus Domini in visu noctis, et dixit: *Lonochille, quid in animo tuo perpendis et turbatus es? Vade occulte ad altare sancti Petri, et quod reperies suprapositum reporta tecum.* Ille autem evigilans quasi ex gravi somno, fecit sicut ei præcepit, et invenit anellum unum sancti Petri. Servus ergo Domini protinus jam lætus et gaudens remeavit ad propria, ad supradictum Buxiacum. At ubi viderunt eum venientem,

gratulabantur toti vicini loci illius, quia difficultas erat eis jam umquam virum venerabilem ut videre meruissent. Tunc unusquisque præbuerunt ei adjutorium. Ille autem inchoavit monasterium ædificare, perpendens jam in corde suo ut ulterius inde non exisset, sed ibidem [1] devota mente cursum vitæ suæ perimplesset.

6. Neque silendum est de sancta Agnoflede virgine, de qua superius in præfatione memoravi. Cum pater ejus et parentes vellent eam ad thalamum conjungere, illa fortiter reluctabat in animo suo et meruit habere sponsum in cælo. Idcirco enim fuga lapsa, venit latenter in silvam quandam nuncupatam Covarno, et abscondit se in arbore cava, et ibi in animo suo volvebat quid egisset vel ubi confugisset. Tunc igitur memorata est qualiter jam dudum audivit famam sancti Lonochilii, Deo providente, qui omnia gubernat et non negat veniam sperantibus in se. At ubi venit ibi, invenit armentarium patris sui. Illa autem vocavit illum, et rogabat blandis sermonibus ut iret ad hominem Dei et flagitasset ut dignasset [2] venire ad eam [3]. Ille autem renuit, et protinus illa adjunxit dicens: *Vade et ego restituam tibi mercedem tuam; unum vitulum de armentario patris mei dabo tibi.* Quod cum audisset adquievit. Ambulans itaque pervenit ad hominem Dei et nuntiavit quæque facta erant. Statim ergo servus Domini cursu rapidissimo perrexit ad eam et invenit illam adhuc absconsam in arbore cava, hæsitante animo. Tunc ille sciscitabatur quid agere vellet vel qualiter pensatum habuisset erga cor suum. Illa autem ordine rei omnia narravit : *Volo mundum derelinquere et Deo me tradere*. Quod cum audisset servus Domini, hæc verba scilicet, eduxit eam secum ad cellulam suam et velamen imposuit capiti ejus. Et postea simul studuerunt totis nisibus crescere in servitio Domini.

7. E contra diabolus unde bonos videt enitescere ad gloriam, inde acrius sævit, ut homines trahat ad pœnam. Jam autem Dominus voluit exaltare eos et manifestare merita illorum, sicut alibi dixit : *Superbis Deus resistit, humilibus autem*

[1] ibi. — [2] ut d. *om.* — [3] *ita cod. 577 secunda manu ; prius et item cod. 566* eum.

dat gratiam. Instigante vero adversario, ipse homo qui debebat in matrimonium sumere sanctam Agnofledem, perrexit partibus palatii, et dixit Clothario regi quod peregrinus quidam, vocabulo Lonochilius, abstulisset ei sponsam suam per artem magicam, et modo insimul nefandis et inlicitis utuntur. Præcepit ergo [1] rex Clotharius misso suo ut cum vi utrosque duceret ante conspectum suum. Missus vero fecit sicut ei mandatum fuit, et duxit illos ad palatium. Quibus venientibus ad propositum locum, rex in venatione fuit. Et erat tunc hiemis tempus. Servus autem Domini dixit ad ancillam Domini : *Vade et adfer mihi ignem, ut calefaciam pedes meos.* Perrexit illa ad fornacem, ubi solebant coquere panes ad opus regis, petens pistorem ut ei daret ignem. Quod cum ille pistor audiret, quasi deridens dixit : *Præbe linteolum tuum.* Illa continuo tetendit, et ille apprehendit quasi duabus vicibus plenam palam carbonibus, et misit ante illam. Illa autem stringens quasi aliam causam, asportavit ad hominem Dei. Illo autem satis calefaciente se, illa iterum reportabat ad fornacem carbones ardentes et jactabat ad terram. Cunctis videntibus, contigit res mirabilis : linteolum non erat ustum, nec videre homo potuit ut ignem tetigisset, nec læsum erat quicquam, sed quasi rosatum fuisset. Sic, adjuvante Domino, aperta erat falsitas accusatoris. Veniente rege nuntiatum ei fuerat signum mirabile quod Dominus ostendere dignatus est pro famulo et famula sua. Tunc rex prosternens [2] se pedibus eorum, veniam postulabat, se reum esse testatus, ut tantas tribulationes nescienter ei ingereret. Tunc promisit daturum ei beneficium. Ille nequaquam pretio consensit. Responditque quod divitias seculi minime habere curaret : *Tantummodo peto ut defensorem cellulae meæ te habere suggeram.* Rex autem ut audivit verba illius, honorificavit eum mirifice, et spopondit annis singulis argentum daturum quasi libras .x. ad stipendia sua. Ille autem gratias referens Deo suo, revertebatur ad propria. Et de ipso argento comparavit terram et quaeque necessaria erant monasterium construendi.

[1] *om.* — [2] prostravit.

8. Dominus autem fecit iterum aliud signum, quod silere non debemus. Cum enim filius Clotharii, nomine Dagobertus, graviter febre correptus jaceret, et multi medici eum sanare certarent et nihil ei proficeret [1], jamque membrorum officiis pene destitutus, dubium inerat si evasisset [2] ab hac infirmitate an non, quia plus minus perpessus est languorem quam annum medium, tunc rex transmisit [3] viro venerabili calicem et patenam de argento fabricatam, quæ usque hodie in ipso monasterio adesse videntur. Quod cum missus pergeret, adhuc in medio itinere non fuit et reliquit eum febris. Jam autem meritis exigentibus venerabatur Dei famulus a rege, sicut bene congruit.

9. Multis quoque temporibus in sancto habitu simul conversatis, servus Domini et ancilla Christi, repleti bonis operibus; et cum Dominus ab hujus mundi tempestatibus eam vellet liberare et ad gaudia sempiterna perducere, superveniente die vocationis ejus migravit ad Dominum, in loco qui dicitur Verno, vico publico. Quo audito, vir sanctus festinanter cucurrit cum omni honore et silentio, ut corpus ejus ad monasterium deferret; levaveruntque illud in feretrum, et portabant quousque venerunt ad villam quæ vocatur Mamerto. Deposuerunt itaque eam, ut requiescerent paulisper. Qui cum surrexissent et vellent eam levare, movere eam nullo modo potuerunt. Servus autem Domini, ad modicum tristis et iratus, dixit : *Et si hinc te movere non possum, forsitan dimittam te in isto agro jacere.* Revertebatur iterum ad sobrietatem mentis. Custodes deputavit, qui ibi vigilassent ipsa nocte. Ille autem regrediens ad monasterium totam noctem in vigiliis et orationibus Domino vacabat, ut eam de loco illo movere potuisset. Crastina die perrexit ibidem cum cruce et omni honore, et sic celeriter levaverunt eam quasi si [4] minime pondus sensissent. Deferebatur ad monasterium cum omni silentio et timore Domini, sepelieruntque eam in ipsa ecclesia.

10. Beatus quoque vir postea prolixius vivebat, plenus

[1] profecisset. — [2] evadisset. — [3] misit. — [4] *om.*

dierum. Desiderabat jam valde aulam caelestium ingredi. Cum subito coepit destitui corpus ejus : in labore tamen semper gratias referebat Deo suo pro his quæ erga eum erant. Obiit feliciter .IIII. Nonas Aprilis. Cum omni honore et timore Domini sepultus est autem in ipso monasterio Buxiaco, in ecclesia quam ipse construxit, et angeli conlocaverunt animam ejus [1] in aulam caelestem.

Explicit vita sancti Lonochilii presbyteri et sanctæ Agnofledæ Deo sacratae virginis pridie Kal. Septemp.

[1] *om.*

CATALOGUS
CODICUM HAGIOGRAPHICORUM
BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ
CIVITATIS ET ACADEMIÆ
GANDAVENSIS.

Duplex prodiit catalogus generalis codicum mss. Bibliothecæ publicæ Gandavensis : alterum anno 1816 vulgavit J. Walwein de Tervliet, alterum contexuit vir optime de re litteraria meritus, baro Julius de Saint-Genois, eumque inscripsit : *Catalogue méthodique et raisonné des Manuscrits de la bibliothèque de la Ville et de l'Université de Gand* (1849-1852). Sed. quod mireris, neuter codices iis numeris designavit quibus in ipsa bibliotheca jam dudum notati sunt et ab eruditis passim citati. His autem numeris in materia hagiographica ejusdem bibliothecæ distinctius describenda nobis omnino inhærendum duximus, simul tamen indicantes quinam iis respondeant in catalogis editis.

Ceterum recolat lector velimus Monitum Generale præmissum Catalogo nostro codicum hagiographicorum Namurcensium (1).

I. Codex signatus n° 165 (W. 57 Suppl. ; St-G. 170).

Chartaceus, paginarum 270, præter titulum, formæ mediæ ($0^m,33 \times 0,21$), exaratus seculo XVII. — Fuit olim musei Bollandiani : quod manifeste indicant notæ in pagina tituli adscriptæ, quales legi solent in aliis codicibus permultis antiqui musei Bollandiani, qui hodie in Bibliotheca regia Bruxellensi vel apud nos servantur. Inter has notas hæ præcipue advertendæ sunt :

Ex Ms'o Nazarethano.

Scriptum erat initio libri Ms'i : Liber ecclesiæ B. Mariæ monasterii de Nazareth prope Lyram Ordinis Cistertiensis.

Coll. cum Ms. codice Corsendoncano in cor. fl. cum claustris parvo fol. inscripto : Quarta pars diversarum legendarum.

(1) *Analect. Bolland.*, tom. I, pag. 484. — Adde notam ad pag. 503.

Nihil autem aliud continetur in eo codice (p. 7-276) quam quod indicat titulus, videlicet :

Vita B[ae] Beatricis, Ordinis Cisterciensis, priorissæ in Nazareth prope Liram, ab ipsa flandrice vel gallice conscripta, interprete anonymo.

Edita, sed non paucis hinc inde omissis, apud Chrysostomum Henriquez in opusculo cui titulus est : *Quinque Prudentes virgines*, (Antverpiæ 1630) p. 1-167. Prologum, qui apud Henriquez non legitur, edidit anno 1870 R. D. Bets, parochus in Neerlinter, in *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique*, tom. VII, p. 80-82.

II. Codex signatus nº 224 (W. 213; St-G. 149).

Membraneus, foliorum 75 (præter tria vacua in fine) (1), formæ minoris (0^m,205 × 0,13), lineis plenis stylo obtuso ductis, exaratus post medium seculum IX (2), præter folium 70, quod tribuendum videtur manui seculi X, et quatuor ultima folia, extremi seculi XI.

In primo folio vacuo ad calcem voluminis verso adscripta est manu extremi seculi XII hæc notula : *Liber sancti Petri Gandensis sive Blandiniensis ecclesie.*

Præter tabulas paschales annorum 741-911, quas exhibent fol. 65^v-69^v, nulla alia documenta continet nisi quæ spectent ad historiam S. Amandi. Horum tituli litteris capitalibus expressi sunt, per alternas lineas rubro et viridi distinctis. Foliis 1^r et 5^r, scilicet initio Prologi in Vitam S. Amandi et exordio ipsius Vitæ, conspicitur ingens littera initialis variis coloribus multo studio, sed non adeo insigni arte depicta. Ceteræ litteræ initiales tantummodo uno colore, alternis vicibus rubro et viridi, distinguuntur.

Præclaro illo codice usus est Henschenius in edendis Actis S. Amandi ad diem 6 Februarii.

(1) Advertendum autem a recentiore qui numeros foliorum notavit, post folium 14 prætermissum esse sequens, ita ut quod numero 16 signandum erat, numerum 15 præ se ferat, et sic deinceps usque ad finem codicis. Quod hoc loco lectorem monuisse sufficiat : in descriptione enim codicis sequemur notationem foliorum quam codex nunc exhibet. — (2) Seculo VIII codicem assignavit doctissimus Anselmus Berthod, præsertim propter formam majuscularum litterarum in quibusdam titulis, quæ re vera scriptione sua tantam antiquitatem sibi videntur vindicare. Verum in eodem leguntur quædam a Milone Elnonensi conscripta, qui floruit seculo IX, et præsertim *Sermo de elevatione corporis beati Amandi*, quæ certo facta est anno 809, neque alteram manum prodit hic locus ab ea quæ reliquum codicem descripsit.

1° Vita S. Amandi [auctore Baudemundo] (fol. 1r-19r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Febr., tom. I, p. 848-854, et inde apud Ghesquière, *Act. SS. Belgii*, tom. IV, p. 244-258. — Sed in utraque editione prætermissus est index capitulorum qui legitur in codice (fol. 2r-3v), sequente (fol. 4r) et indice eorum omnium quæ infra recensebimus (2°-9°), sic inscripto : *Sequuntur tituli sermonum de gestis et laude ipsius quæ Milo monachus addidit.*

2° Suppletio quæ addita est libello Vitæ sancti Amandi a Milone monacho et sacerdote cœnobii ipsius (fol. 19r-22v).

Hujus supplementi meminit Henschenius (*Act. SS.*, tom. cit., p. 843, num. 130, et inde Ghesquière, tom. cit., p. 232) ; sed neque ipse neque alius, ut videtur, illud edidit. Vid. Append.

3° Exemplar epistolæ Martini papæ [ad S. Amandum] (fol. 22v-26v).

Edita ap. Ghesquière, tom. cit., p. 185 sqq. — Sed hæ variantes lectiones notandæ. Scilicet, pro *suscipiente, animus noster relevari cognoscitur* (ed. p. 185, lin. 2-3), legitur in codice *suscipientes, animos nostros relevare cognoscitur ;* pro Domini Dei nostri (ib., lin. 4) cod. *Domino Deo nostro ;* pro *certum* (ib., lin. 5) cod. *certa ;* pro *patienter* (ib., lin. 26) cod. *patiuntur.*

Deinde ubi in edito exemplari legitur

p. 186, l.	3, *quibusque se,*	cod.	*quibusve ;*
„ „	6, *exhibeas,*	„	*exhibeat ;*
„ „	8, *quoad vixerit,*	„	*quousque advixerit ;*
„ „	20, *emolumenta,*	„	*emolumento ;*
„ „	27, *tuæ,*	„	*vestræ ;*
p. 187, l.	7, *Et non solum,*	„	add. *quia ;*
„ „	14, *culpa,*	„	*culpæ ;*
p. 189, l.	32, *fungi,*	„	*fungere.*

4° Titulus de obitu beati Amandi (fol. 26v).

Editus in *Act. SS.*, tom. cit., p. 839 *a*, *b*, et ap. Ghesquière, tom. cit., p. 178.

5° Argumentum quo tempore beatus Christi confessor Amandus vel natus vel defunctus sit (fol. 26v-29v).

Editum in *Act. SS.*, tom. cit., p. 838-839.

6° Sermo legendus in transitu sive depositione ter beati atque gloriosi pontificis Christi Amandi : celebratur ipsa sollemnitas depositionis præfati patris VIII idus februarii (fol. 29v-45r).

Hunc sermonem, quum nihil contineat quod ad historiam S. Amandi illustrandam juvare possit, sed fere in sensus mysticos et anagogicos se diffundat, edendum non censuerunt Henschenius et Ghesquierus, neque nobis hic describendus videtur.

7° Qualiter corpus beati Amandi in loco quo nunc requiescit fuerit translatum, et de dedicatione basilicæ ac de ordinatione episcopatus ipsius : celebratur VII Kal. novembris (fol. 45^r-53^v).

Editum ibid., p. 889-891.

8° Sermo de elevatione corporis beati Amandi, quæ facta est a Hlothario custode anno ab incarnatione Domini octingentesimo nono, a transitu vero prædicti patris centesimo quinquagesimo, die vigesimo mensis septembris (fol. 53^v-60^r).

Editum ibid., p. 891-893 (Cap. I).

9° De igne cælesti in memoriam beati Amandi divina virtute mirabiliter accenso (fol. 60^r-63^r).

Editum ibid., p. 893 (Cap. II).

10° Exemplar petitionis seu conjurationis sancti Amandi de corpore suo (fol. 63^v-65^r).

Testamentum S. Amandi, de quo Henschenius, *Act. SS.*, tom. cit., p. 837, num. 106. Edit. ap. Ghesquière, *Act. SS. Belgii*, tom. IV, p. 191-192.

11° [Brevis notitia de fundatione cœnobii Blandiniensis] (fol. 69^v-70^r).

Ineditum, ut videtur. Vide Append.

12° Visio quo sancta Aldegundis eum ad cælestia transire cognovit, et commemoratio sepulturæ, translationis atque etiam elevationis, sed et memoria quorumdam discipulorum ipsius (fol. 71^r-74^v).

Editum in *Act. SS.*, tom. cit., p. 894-895.

III. Codex signatus n° 244 (W. 79bis Suppl.; St-G. 155).

Codex non unus, sed potius collectio codicum qui diversis temporibus scripti postea in unum compacti sunt. Isti codices omnes membranei sunt, formæ minoris (fere $0^m,25 \times 0,15$), satis ineleganter exarati, frequenti usu attriti et subinde laceri. Folia universa numerantur 69.

Diversis, ut monuimus, manibus et temporibus exscripti sunt, videlicet Passiones SS. Christophori, Eustachii et Firmini seculo X ; Vita S. Leonardi seculi XII, Vita S. Eleutherii ineunte XIII ; ceteræ vero seculo XI. Lineæ plenæ, stylo ferreo ductæ, præterquam in Vita S. Eleutherii, cujus scriptor stylo plumbeo usus est. Hæc eadem inscriptione caret. Ceterarum tituli litteris capitalibus et fere rubris.

Minio item efficta littera initialis Vitarum singularum, nullis ornamentis nisi admodum sobrie in littera initiali Vitæ S. Eleutherii.

1° Passio S. Christofori martyris (fol. 1r-8r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Julii, t. VI, p. 146-149. — Num. 15 ultima phrasis omissa est. Num. 16 legitur *quatuor* et *quindecim* pro *octo* et *undecim*, ac post verba *passionem meam* codex ita explicit:

Passus est sanctus Christoforus VIII Kl. Augusti in Samon civitate, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria et honor in secula seculorum. Amen.

Post B. Christophori Passionem sequuntur, fol. 8, signis musicis notata hæc responsoria, versiculi et antiphonæ :

Bonus athleta Christoforus laudans Deum suum, orabat dicens : Gloria tibi, Deus omnipotens, qui errantes ad viam veritatis convertis. Tu concede mihi gratiam erroneum ad te convertendi populum, ut per me credentes in te magnificent nomen sanctum tuum. ℟. Egregius Christi miles Christoforus, genere Cananeus, de tenebris errorum ad lucem fidei commutatus, sacrosancti baptismi gratiam et doctrinæ sapientiam consecutus est cœlitus. ℣. Divina vocatione præventus, ex servitute diaboli in libertatem filiorum Dei ad multorum credentium : Sacrosancti. ℟. Christoforus Christum ferens in pectore, cum eum* constanter confiteretur ore, jussu regis manibus ligatis et pedibus, virgis cæditur ferreis, atque super caput ejus ignita ponitur cassis. ℣. Invictus belliger Domini, constitutus in agonia martyrii. Virgis. ℟. Triumphator divinus Christoforus gravissimis suppliciis maceratus, sic regem alloquitur : Rex stulte, cognosce quia pro hac temporali pœna vita mihi et gloria confertur æterna. ℣. Istæ enim amaritudines super mel et favum mihi sunt dulciores; unde majora adhibe tormenta. Quia. ℟. Dum complesset beatus Christophorus sanctam orationem, a Domino cœlitus facta voce reconfortatus et sic capite plexus gloriosum consummavit martyrium. ℣. Triumphator divinus Christoforus gravissimis suppliciis maceratus et sic capite.

* *cod.* eo.

A. Orante et signa faciente beato Christoforo, in Deum credidit et baptizata est maxima populi multitudo. — A. Cum retruderetur Christoforus in carcerem, benedicebat Deum voce incessabili. — A. Sanctus martyr constanter regi dixit : Dii tui vani sunt, nec tibi nec sibi possunt auxiliari. — A. Jussu regis Dagni in carcerem retruditur Christoforus, athleta Christi ; ubi orans Deum benedicebat voce incessabili. —

A. In sanctis suis laudemus Dominum, qui athletam suum Christoforum a telis protexit pius sagittarum.

In Evangelium. A. Expleta oratione, martyr Dei Christoforus ab impio tyranno gladio decollatus cum gloriæ triumpho cœlos est ingressus. A. Insignis martyr Christoforus dum sanctam implesset orationem, a Domino cœlitus facta voce confortatus et sic capite plexus, beatum consummavit martyrium, percipiens a Christo coronam gloriæ in æternum. Oravit Christoforus: Domine, qui me invocaverint, præsta ut salvi fiant.

Sequitur rubrica: *Explicit Passio sancti Cristofori.*

2° Passio S. Eustachii M. (fol. 9r-24v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Sept., t. VI, p. 123-135. — Prologus deest. Præterea non semel in codice prætermissa sunt quæ in Actis leguntur uncinis inclusa. — Num. 9 ita incipit: *In illis diebus omni populo celebrante festivitatem quæ ab imperatore facta fuerat, oportebat...* Sub finem num. 15 in codice legitur: *omnes considerans taxavit in humeris* pro *innumeris.*

3° Passio S. Firmini martyris atque pontificis (fol. 25r-32v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Sept., t. VII, p. 51-55. — Sed incipit prout indicatur tom. cit., p. 52, annot. *c*. Præterea notandæ hæ lectiones variantes: Num. 5. *Septimo decimo fere die ad Pampilonensem* (cfr. annot. *p*). Num. 7, *Firminus tantum nominatur* (cfr. annot. *t*). Num. 8, *suburbanas civitates* (cfr. annot. *u*). Num. 10, *Agnensem* (cfr. annot. *c*, p. 55), *Eustachii* (cfr. annot. *d*). Num. 11, *Ligeram, ad Auxilium Andigavinæ* (cfr. annot. *h*). Num. 12, *Auxentii* suppresso *Hylarii*, et *Attiliam Agripini clarissimam* suppresso *quondam*. Num. 15, *gente Romanus* (cfr. annot. *t*) *civis Pampilonis*. Ad finem num. 16, post verbum *coleretur*, annectitur phrasis quæ legitur annot. *w*, p. 56. Num. 17 omissus est. Num. 18, omissis primis verbis, incipit: *Faustinianus vero... aromatibus et linteaminibus pretiosissimis sepelivit. In quo loco multas et innumerabiles virtutes usque in hodiernum diem Dominus operari dignatus est; cui gloria virtus et potestas est per infinita secula seculorum. Amen.* Et omissis reliquis numm. 18 et 19, additur epilogus ut editus est annot. *z*, p. 56, nisi quod in codice legitur *a militibus Belvacensis*, et ultima linea *a populo honarifice sepultus* pro *conditur*, ac *sub die Kalendas* pro *sub die decima Kalendarum.*

4° Vita S. Leonardi confessoris Christi (fol. 33r-38v).

Edita apud Arbellot, *Vie de S. Léonard, solitaire en Limousin* (Paris. 1863), p. 277-289. — Omissæ in codice quatuor primæ lineæ num. xii. Post Vitam exhibet codex quæ edita sunt tom. cit., pp. 289 et 290 (cap. ii, § 1), præmisso titulo: *Incipiunt miracula ejusdem*, et miraculum apud prædictum auctorem gallica tantum versione editum (pp. 56, 57), quod et legitur apud Surium ad d. 6 Nov., num. ix.

5° [Vita S. Eleutherii] (fol. 39v-43r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Feb., t. III, p. 187-189. — Sed prætermissi sunt in codice num. 7 ex parte (cfr. annot. *i*) et num. 8. Titulus antem de quo num. 12 ita refertur :

> Hic sepelitur filia virgo a patre suo tribuno, a qua Blandinium ignorastis nuncupatum. Sed postquam miseri raptores reliquias meas invaserunt, et mihi tessaurum meum eripuerunt, ne ab aliquibus sanctus viderer, titulum puellæ deleverunt, et insuper opera mea igni dederunt.

Vitæ subjunguntur eadem manu descripta quæ leges tom. cit., p. 189, annot. *l*. Ad finem folii 43r, alia manu rursus exscripta sunt (forte exercitii ergo) tria priora e capitulis (de miraculis) quæ leguntur in pagina superiori, adjectis his verbis : *Hæc sunt miracula beati Eleutherii servus* (sic) *servorum Dei.*

6° Vita S. Cassiani episcopi (fol. 44r-46v).

Inc. Egregium summeque utilitatis precipuum sanctorum vitas describere...

Des. et pro nobis et pro hac plebe attentius intercede ad cummunem D. N. J. C. qui, etc.

Verbis quidem, sed non rebus narratis, discrepans ab edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Aug., tom. II, p. 64-65. Vid. Append.

7° Vita S. Eusebii Vercellensis episcopi (fol. 46v-55r).

Edita apud Ughellum, *Italia sacra*, t. IV, p. 749-761. — At in codice pro *collecto jam concilio episcoporum decem reperit B. Eusebium Vercellensem* (tom. cit., p. 754 c extr.), legitur : *collecto jam concilio episcoporum deesse repperit B. E. V.* ; pro *numero quadraginta et octo* (p. 755 c extr.), *numero quadraginta* ; pro *domum Nicam* (p. 757 c init.), *domum Nisan* ; pro *oblationes capillorum* (p. 761 A init.), *ablutiones capillorum.* Tandem ultimæ lineæ (*Præcepit enim,* etc. p. 761 A) in codice desunt.

8° Vita Stæ Benedictæ (fol. 55r-55v).

In fine mutila. Fragmentum hoc constat numm. 1, 2, 3, 4, et num. 5, præter sex ultimas lineas, Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., t. IV, p. 219 sqq.

9° Vita S. Evurtii episcopi et confessoris (fol. 56r-64r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Sept., t. III, p. 52-58. — Sed num. 2 in codice legitur *Acassia* (cfr. tom. cit., p. 54, annot. *f*).

10° Sermo de adventu S. Aniani episcopi ad S. Evurtium (fol. 64r-65v).

Editus apud Hubert, *Antiquitez historiques de l'église royale de Saint-Aignan d'Orléans*, Preuves, pp. 4, 5. — Codex quemdam initio prologum præmittit : *Nec illud silere debemus*, etc., prout legitur in editione Sermonis de quo hic agimus, adornata ab A. Theiner, in opusculo *Saint Aignan et le siège d'Orléans*, (Paris 1832) p. 34. Item addit codex clausulam : *Ipsis sanctis intercedentibus*, etc., quæ legitur apud eumdem Theiner in fine, p. 37.

11° Item sermo de virtutibus ejusdem S. Aniani (fol. 65v-66v).

Venit hic sub hac rubrica Narratio de civitate Aurelianensi precibus B. Aniani liberata, de qua narratione egimus in Append. ad catalogum codd. Namurc. (1), his tamen in codice Gandavensi variantibus:

Attila vero, Hunorum rex *(ita incipit, cod.)* a Mettensi urbe egrediens, cum multas Galliarum civitates opprimeret, Aurelianis adgreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta urbe episcopus, vir eximiæ prudentiæ ac laudabilis sanctitate. Cujus virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur. Cumque inclusi populi suo pontifici quid agerent adclamarent, ille fidus in Domino monet omnes in oratione prosterni et cum lacrimis adfuturum sibi semper in necessitatibus suis Domini auxilium implorare. Denique his ut præceperat deprecantibus ait sacerdos: Aspicite *(cfr. editionem citatam Aug. Theiner, p. 23, lin. 4)* de muro civitatis si Dei misericordia succurrat. Suspicabatur enim per Domini misericordiam Agecium advenire, ad quem et Arelatum prius abierat et digno honore ab eo susceptus fuerat. Aspicientes autem ... Dominus enim liberabit... tertio: Si fideliter petitis, Dominus velociter aderit. At ... Exacta ... viderunt a longe ... Quod renuntiantes, ait sacerdos: Domini ... ruituris. Ecce Agetius et Theodorus .. ac Thorismodus cum exercitibus suis ad civitatem adcurrunt, adversumque hostem ejiciunt repelluntque. Itaque liberata obtenti *(sic)* ... se præcinxit ad bellum. Quod hi audientes ... præparant. His diebus ... atque ut virum ... non est agnitus. De nocte vero consurgens, elucentibus per tota ædis spatia lignis *(sic pro* lychnis*)* ... quærit. Verum ... pulsat ... duas personas se invicem ... diutius sustinere non patior: petit enim ... incolumen *(sic)* ... obtinui apud Dei immensam ... et ecce nunc illuc propero viventem eum exinde reducturus. Verumtamen ... ne pereat ... inlucescente ... pandit. Expletis ... Atthilam confligit. At ille ... suum cernens exercitum ... Chunorum exercitum obtentu ... delevit. Expletoque ... germano patris regno ... Similiter et Francorum regem fugavit. Illis autem recedentibus .. spoliato campo ... victor in patriam cum grandi est reversus spolia *(sic)*. Attila vero cum paucis regressus est. Nec multo post Aquileia ab Chunis capta, incensa atque diruta. Italia per-

(1) Cod. 15, 43° *(Analect. Boll.,* t. II, p. 139 sq.).

vagata atque subversa est. Thorismodus cujus supra meminimus, Alanos edomuit. Ipse deinceps post multas lites et bella a fratribus oppressus ac jugulatus interiit.

12° Inventio et translatio B. Firmini episcopi et martyris, quæ celebratur octavo Epiphaniæ Domini (fol. 66v-69r).

Edita apud Le Cointe, *Annales ecclesiastici Francorum*, ad an. 687, t. IV, p. 182-184. Cfr. *Act. SS.*, ad d. 25 Sept., t. VII, pp. 34 et 35, — Hic ex codice supplemus quæ signo *et cetera* (p. 182) compendiavit Le Cointe :

Siquidem, ut multorum patrum testimonia luce clarius demonstravit, multa et inaudita miracula ab ipsius tempore in hac urbe visa sunt, ut de tanto beneficio et collatis tot sanctorum martyrum et confessorum miraculis illustrata, Romæ assimilari evidentissime manifestetur. Scriptum quippe est de Christo : *Venio iterum* (quod dixerit Dominus Petro) *Romam crucifigi.* Romæ in membris suis iterum crucifixus est Christus, et in hac civitate infra murum ubi hodie gemina templa constructa habentur, in honore beatæ Mariæ virginis et sancti Martini confessoris, mirabile miraculum operatus est. Quia ibidem nudus resedit, et a suo milite, beato Martino, partem sui vestimenti in specie pauperis suscepit.

Omnia qui propriis vestit nascentia donis,
Atque aliis largus, sibi tantum constat egenus.

Ipse enim hujus martyris triumphum in passione fecit esse fortissimum et in inventione clarissimum. Quoque Domini et salvatoris nostri, primus beatus Firminus tradente se proprium corpus suum, a cultura idolorum hanc urbem ...

Præterea pro *temporibus nefandorum imperatorum* (p. 182) codex supplet : *temporibus Maximiani et Diocletiani nefandorum imperatorum ;* et pro *Noviomensium* (p. 183) legitur in codice *Noviomagensium.*

13° Vita S. Audomari episcopi et confessoris (fol. 69r-69v).

Constat hoc fragmentum præfatione in Vitam alteram S. Audomari editam in *Act. SS.*, ad d. 9 Sept., t. III, p. 402, cui subnexa est continno præfatio in Vitam priorem ibidem editam, p. 396, adjecta hac phrasi :

Quia igitur sancti viri loca regiminis sui discreta habuerunt honeste gubernantes, sanctus videlicet Audomarus episcopatum Tarvennæ, sanctus autem Bertinus cœnobium suum proprium Sithiu, de eorum vita et virtutibus singulatim pauca nobis sunt expedienda.

Conjunctis itaque hoc loco et paulo superius, ubi Audomari nomen primum

occurrit, Audomaro et Bertino, jam in plurali numero efferuntur quæ inde ab istis verbis *Unde Deus omnipotens* in præfatione edita leguntur numero singulari.

IV. Codex signatus n° 245 (W. 79 Suppl.; St-G. 158).

Codex membraneus, foliorum 149, formæ minoris (0m, 215 × 0,135), lineis plenis graphide ductis, diversis manibus seculi XII et XIII descriptus. Tituli et litteræ initiales singulorum capitulorum minio exarati; ceterum ornamenta nulla.

Fol. 1r° (quod non pertinet ad codicem sequentem, sed a compactore adjectum est), exhibentur versiculi quadraginta et unus de computo ecclesiastico.

Ad finem vero codicis, ubi signantur pag. 287-298, seu fol. 144-145 quædam leguntur Fragmenta exegetica, non una manu conscripta.

Primæ manus sunt: 1° Ex epistola S. Hieronymi ad Damasum (apud Migne, epist. 36, Patrol. Lat., t. XXII, p. 452) responsiones ad Damasi quæstiones 1am „ Quid sibi vult quod in Genesi scriptum est: Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet? „), et 5am („ Cur Iaaac, vir justus et Deo carus, non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore, benedixit? „); 2° Expositiones in Isaiæ prophetæ quinque priora capita (ex Haimonis præsertim Halberstadiensis in Isaiam commentariis excerptæ, additis aliunde perpaucis). Vide Patrol. lat., t. CXVI, p. 715 sq. — Reliqua, quæ varia manu exarata sunt, breves multorum S. Scripturæ locorum expositiones, præsertim allegoricas, continent, undique corrasas, ex Rabano videlicet, Beda, Augustino, Hieronymo, Ambrosio, etc. Intertexuntur pauca de tropis, et de antichristo.

1° Vita et passio Stæ Katerinæ (p. 3-48).

Edita in libro de quo actum in nostro Catalogo codd. Namurc. (*Analect. Boll.*, tom. I, p. 502), cod. 15, 69°. — Prologus deest.

2° De sancta Katherina (p. 48-64).

Ex parte editum in Breviario Trajectensi anni 1512, excuso in Delft. — At quum in codice primum nocturnum sex antiphonas et quatuor lectiones habeat, tres priores antiphonæ præfiguntur in citato breviario tribus psalmis primi nocturni, posteriores vero psalmis secundi nocturni. Responsorium autem quartæ lectionis in breviario edito omittitur. Est autem:

> Angelus interea descendens: Virgo beata, ne timeas, inquit, non te pia gratia linquit. ℣. Confortans teneram Michael splendore puellam. Ne timeas. Gloria.

Secundum nocturnum, haud secus quam primum, habet in codice sex antiphonas cum quatuor lectionibus. Tres priores antiphonæ præponuntur in breviario edito psalmis tertii nocturni, omissis aliis, quæ sic leguntur in cod.:

> A. Quia devotis laudibus tui memoriam, virgo, recolimus, o beata Katherina, ora pro nobis, quæsumus. — A. Vox de

cœlis insonuit : Veni, dilecta mea, veni intra thalamum sponsi tui ; qui te laudant salvi fiant, impetrasti. — A. Mater amabilis, insuperabilis, ad meliora nos prece dirige, factaque corrige.

Omittitur etiam responsorium ad lectionem quæ tertia est in codice. Quod sic conceptum est :

Horrendo subdenda rotarum machinamento, virgo Deum clamat; e cœlis angelus astat : ecce repentinam dant plebsque rotæque ruinam. ℣. Tanquam Caldeis quondam fornax Babylonis. Ecce.

In tertio nocturno legitur in codice una antiphona cum quatuor lectionibus. Hæc est antiphona :

Ave, virgo speciosa, clarior sideribus, cujus vultum ac decorem concupivit Dominus ; funde preces Creatori pro tuis supplicibus.

Omittitur hæc in editis cum responsorio quod in codice est primæ lectionis, quodque sic legitur :

Percussa gladio dat lac pro sanguine collo. Quam manus angelica sepelivit vertice Syna. ℣. Membris virgineis olei fluit unda salubris. Quam.

Capitulum ad Laudes cum antiphona ad Benedictus et hymnis requiras in Append.

3° Qualiter antiquitatum miraculis per Christum configurata sit gloriosa inventio ejus sanctæ Crucis (p. 65-139).

Quæ sub hoc titulo leguntur in codice, exhibent opus Berengosi, abbatis S. Maximini Trevirensis, *De laude et inventione S. Crucis*, editum apud Migne, P. L., tom. CLX, p. 935 sqq., ita tamen ut quæ dat codex p. 65-81, reperiantur, non paucis tamen omissis, in lib. I editionis citatæ, p. 935-952. Dein quæ in cod. p. 81-115, veniunt apud Migne lib. III (p. 965-982); quæ p. 115-139 inveniuntur ibid. lib. I (p. 953-964). — Animadvertatur insuper ad finem capitis V lib. II editionis Mignianæ, p. 957, ex codice hæc esse addenda (cod. pag. 123) :

Interim reginarum fidelissima per Spiritum ammonita, accersito Jherosolimorum episcopo, morum honestate præclaro, sanctitate per omnia prædito, nomine et religione Machario, quod ex græco interpretatur beatus, quia erga Deum se beavit bonis omnibus, narravitque ei quæ jam cum judaica perfidia exegerat. Ille autem his attonitus, admodum in Deo exhilaratus, quod in priscam meditationem suam sit excitatus, oportune importune instabat, quo hæc perfectionum instantia studeat, seque spondet omni vigilantia precum cum

universo clero fore secum. His verbis sacri pontificis confortata regina fidelissima, convocans...

Deinde iis quæ finem efficiunt capitis VII libri II (p. 958), hæc adduntur in cod. (p. 127):

Sed et præsul venerandus erumpens in Dei laudibus, universos exhilaravit his sermonibus...

Tandem clausula lib. II (p. 964, lin. 12 a fine) post verbum *implevit*, in hanc commutatur:

Præterea vero si honoranda est illa quæ inventrix erat crucis, multo magis honorandus ille qui auctor est lucis; quia minus valde est quod mulier visibilis invisibilem invenerat crucem, quam quod invisibilis visibilem creaverat lucem. Sciendum est quippe quia quantum duæ cruces latronum a Dominica differunt cruce, tantum lux ista temporalis ab æterna discrepat luce, quoniam, sicut utriusque lucis proprietas testatur, una illuminat et alia illuminatur.

4° [Officium de B. Helena imperatrice] (p. 140-149).

Editum præter unam alteramve antiphonam in *Breviario secundum morem et consuetudinem sacrosanctæ ecclesiæ Coloniensis majoris*, anno 1498 (1).

5° Presenti serie de gestis patris Helenæ (pp. 152, 153).

Brevis enarratio desumpta, ut videtur, ex Galfride Monumetensi.

6° [De sancta Katherina] (p. 154).

Hymnus his verbis conceptus:

Ave, Katherina,
martir et regina,
virgo Deo digna,
mitis ac benigna.

Costi regis nata,
Christo regi grata,
vera sponsa Christi,
Christum induisti.

Victrix sapientum,
dum solvis tormentum,
Cæsa lacte fluis.
Syna sepeliris.

Monstra vitæ viam,
ut philosophiam
mundi transeamus,
veram inquiramus.

(1) Additur hæc in honorem S. Joannis Baptistæ antiphona:
Johannes, major homine, par angelis, legis summa, evangelii satio, apostolorum vox, silentium prophetarum, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis: hic tantus datur incestui, traditur adulteræ, addicitur saltatrici.
De S. Helena ad Missam (pp. 150, 151).
Tres ibi sunt conscriptæ orationes in Missa dicendæ. Et addita sunt capitula cum oratione semper diversa ad Sextam et Nonam.

Quæ te spopondisti
sponsam fore Christi,
sponsa sponso gratos
fac nos et acceptos.

Præsta et inclina
nobis verum Syna,
ut intremus chorum
tecum angelorum.

Sit laus, etc.

7° Confessio S. Cipriani, quam Bartholomæus cantor hujus ecclesiæ conscribi jussit (p. 155-179).

Alia versio latina Confessionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 26 Sept., tom. VII, p. 222-241. — In cod. nonnulla sunt omissa, nonnulla mutata.

8° Passio SS. Cipriani et Justinæ (p. 180-197).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Sept., tom. VII, p. 217-219 et 242-245. — In codice parti primæ continuo annectitur pars tertia (cfr. tom. cit., p. 219, annot. *bb*). Deinde num. 1 primæ partis et deinceps diaconus ille qui B. Justinam convertit, *Pelius* nuncupatur. Pars vero III versionem exhibet diversam ab ea quæ legitur in *Actis*. Præterea num. 1, Cyprianus dicitur *episcopus*; num. 3 sancta Justina non in domo *Terentii*, sed in domo cujusdam matronæ nomine *Terentinæ* inclusa fertur; num. 5, in titulo litterarum quæ imperatori dantur, omittitur nomen *Diocletiani*, ac sancti martyres ex imperatoris edicto *Nycomediam* transmitti dicuntur; tandem num. 6 de sanctorum martyrum morte hæc narrantur:

Theognitus autem quidam christianus de peregrino veniens, vidit sanctum Cyprianum quia ducitur decollari. Ferinus autem quidam, cognatus regis, vidit Theognitum osculantem Cyprianum, et iratus jussit eum decollari. Consummati vero in Domino, consummaverunt martyrium Cyprianus, Justina et Theognitus. Ferinus vero jussit corpora eorum canibus projici. Jacuerunt vero corpora eorum diebus sex, et non tetigerunt eos ullæ bestiæ. Nautæ vero fideles ex provincia Theogniti, nocte venientes, sanctorum corpora furati sunt.

9° Passio S. Longini (p. 198-203).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384-386. — In cod. pro *Idibus martii* (num. 10), legitur: *Kalendis decembris*.

10° Vita S. Remacli episcopi (p. 204-213).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692-695. — Prologus deest.

11° Vita S. Lutwini episcopi Trevirorum (p. 214-228).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Sept., tom. VIII, p. 172-176. — Ex codice verbum quod editor legere non potuit num. 9, ann. *f*, est: *in evum*.

12° Passio SS. Cosmæ et Damiani (p. 229-239).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474-478. — In cod. pro *vigesimo septimo* (num. 13 extr.), legitur *vigesima*.

13° Libellus miraculorum Dei genitricis Mariæ perpetuæ virginis (p. 243-283).

Hic libellus ex parte convenit cum libro de miraculis sanctæ Dei Genitricis Mariæ quem sec. XII scripsit Potho, presbyter et monachus cœnobii Prunveningensis O. S. B., et Bernardus Pez, ejusdem Ordinis alumnus, in lucem dedit Viennæ 1731. Etenim prologum et miracula quæ leguntur in cod. (p. 243-261), edita reperies in citato libro, p. 305-337, lin. 3 a fin., seu capp. I — XVII. Dein pag. 261-262 codicis narratur historia trium militum qui ob homicidium in ecclesia B. Virgini sacra perpetratum miserabiliter combusti, mortem tamen, invocato S. Mariæ nomine evaserunt. His ad episcopum deductis impositum est ut armis quibus facinus admiserant, ad nudum accincti peregrinarentur. " E quibus unus, cum venisset ad quamdam nuncupatam Ansfridi villam, secus fluvium Itonam sitam, accessit ad cujusdam mulieris, quæ Emma vocabatur, domum; ubi forte tunc eramus causa petendi eleemosynam. Is itaque narravit nobis seriatim quæ ei contigisse suisque sociis supra retulimus. „ Pagg. 262-263 refertur quomodo propitiante B. Virgine nobili matronæ collatum sit quod ei ad regem Britonum honeste excipiendum deerat. Pagg. 263-264 agitur de instituto festo Conceptionis B. V. M. sub Gulielmo Conquæstore (P. L., t. CLIX, p. 319); nomen abbatis hic scribitur *Elsinnus*. Pag. 266 agitur de miraculo quo die Assumptionis Toletæ reperta est in domo cujusdam judæi imago beatæ Virginis cui ibidem congregati judæi conviciabantur. Quæ leguntur deinde pag. 266-269, edita sunt apud Pothonem, p. 338-340 (cap. XVIII) et p. 414-417 (cap. XXXIX); sed ad finem hujus capitis additur clausula quæ in libro edito desideratur. P. 269-270 refertur miraculum de puero judæo quod ibidem, verbis tamen mutatis, leges p. 373 (cap. XXXI). Pag. 271-283 narrantur miracula quæ reperies inter Opera Guiberti, abbatis S. Mariæ de Novigento, P. L., tom. LVI, col. 564-668 (cap. X), col. 573-574 (cap. XII), col. 568-572 (cap. XI). His omnibus absolutis, scriptor hæc addidit:

O Mater Christi, quæ corpore summa petisti,
Nos relevare velis felix et reddere cœlis.

Subsequentibus paginis 284-285, facta mentione dedicationis templi Pantheon in honorem B. M. V. et Sanctorum omnium a Bonifacio IV, summo pontifice, enarratur mirabile quod ad confutandos judæos perpetuam Dei genitricis Mariæ virginitatem impugnantes Romæ sub hæc tempora contigit. Hanc narrationem proferemus in Append. tanquam notulam adjiciendam Actis hujus pontificis de quibus in *Act. SS.*, ad d. 25 Maii, tom. VI, p. 75-77.

V. Codex signatus n° 289 (St-G. 662).

Membraneus, foliorum 136, formæ mediæ (0^m, 243 × 0, 155), lineis plenis graphide plumbea ductis, exaratus extremo seculo XII. Tituli minio designati; litteræ initiales aliæ rubro, aliæ cæruleo, aliæ viridi colore; quædam satis rudi arte ornatæ.

In folii 2 recti margine inferiori manu seculi XVI legitur hæc nota : *Liber beate Marie de Camberone*. Advertit cl. v. J. F. Nolte, adnotatione ipsius manu in capite codicis apposita, hinc exscriptum videri codicem 2493 bibliothecæ regiæ Bruxellensis et ad eamdem familiam etiam pertinere ejusdem bibliothecæ codicem 5398.

1° Epistola Severi ad Desiderium (p. 4).

Edita in collectione quæ inscribitur *Corpus Scriptorum ecclesiasticorum Latinorum* (Vindobonæ 1866) tom. I, p. 109-110.

2° De vita et miraculis S. Martini episcopi (p. 5-31).

Post indicem capitulorum venit prologus ejusdem Sulpicii Severi (pp. 6, 7), editus tom. cit., pp. 110, 111 (num. 1); dein Vita S. Martini (p. 7-31), edita ibid., p. 111-137 (num. 2 sqq.).

3° Epistola Severi ad Eusebium presbyterum postea episcopum (p. 31-34).

Edita ibid., p. 138-141.

4° Alia ejusdem ad Aurelium diaconum (p. 34-37).

Edita ibid., p. 142-145.

5° Epistola Severi Sulpicii ad socrum suam Bassulam qualiter de hoc mundo sanctus Martinus recesserit, (p. 37-42).

Edita ibid., p. 146-151.

6° Dialogus Severi primus (p. 43-71).

Post elenchum capitulorum (pp. 42, 43), leguntur in cod. quæ edita sunt tom. cit., p. 152-180.

7° Dialogus secundus (p. 72-90).

Post elenchum capitulorum (pp. 71, 72), sequuntur edita tom. cit., p. 180-198.

8° Dialogus tercius (p. 91-109).

Elenchus (pp. 90, 91), dein quæ edita tom. cit., p. 198-216.

9° De obitu S. Martini episcopi et confessoris (pp. 109, 110).

Desumptum ex *Historia Francorum* auctore Gregorio Turonensi, scilicet

cap. XLIII libri I (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184-186). — Sed in cod. obiisse dicitur S. Martinus Arcadii et Honorii *quinto imperii anno*, non *secundo*.

10° Versiculus de transitu S. Martini (pp. 110, 111).

Est caput IV libri I de Miraculis S. Martini auctore Gregorio Turonensi (P. L., tom. cit., p. 918).

11° Item de transitu S. Martini episcopi (pp. 111, 112).

Est caput V ejusdem operis (tom. cit., p. 918-919).

12° Narratio de translatione S. Martini antistitis (p. 112-114).

In margine inferiore scriptum est : *Si vis legere ad mensam, hic incipe : Anno sexagesimo.*

Est caput VI operis citati (tom. cit., p. 919-920), cui annexa est Laus Sulpicii Severi, auctore Gennadio in libro *De Scriptoribus ecclesiasticis*, cap. XIX (Migne P. L., tom. LVIII, p. 1072).

13° Sermo S. Martini de Trinitate (pp. 115, 116).

Editus apud Migne, P. L., tom. XVIII, pp. 11, 12.

14° Sermo Abbini de miraculis S. Martini episcopi et confessoris (p. 116-121).

Editus apud Migne inter Opera Alcuini (P. L., tom. CI, p. 657-662).

15° Incipiunt versus in foribus primæ cellæ S. Martini (p. 121).

Editum apud Ed. Le Blant, *Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, tom. I, p. 228, num. 166. — In primo versu *ne* pro *nemo ;* in tertio *sonat* om., in quarto *dormi* pro *Domini ;* in nono *tu nos sed* pro *sed tu nos.*

16° Item in alia cella (p. 121).

Editum ibid., p. 229, num. 167.

17° Item in cella interiore (p. 122).

Editum ibid., p. 229, num. 168. — In versu tertio in cod. *completo quoniam ;* in ultimo *Et* pro *Ut ;* sed sub lin. scriptum est *vel ut.*

18° Item illic super locum lecti ejus (p. 122).

Editum ibid., p. 230, num. 169.

In primo versu *oistic* pro *sint isthic ;* in quarto *et* pro *ut ;* in septimo *sellula* pro *sedula ;* in octavo *hic* om.

19° Versus basilicæ. Item primus in turre a parte orientis (p. 122).

Editum ibid., pp. 231, 232, num. 170. — In versu quarto *venerere* pro *venerare.*

20° Item alii (pp. 122, 123).

Editum ibid., p. 233, numm. 171, 172. — Sed in primo versu num. 171 : *veneransque* pro *venerantes*, et num. 172 in versu tertio : *vacillare* pro *titulare ;* in quinto *fide* pro *fides.*

21° Historia picta viduæ super ostium in introitu a parte occidentis (p. 123).

Editum ibid., pp. 234, 235, num. 173. — Sed in versu decimo *cupit* pro *capit;* in undecimo *et* pro *vel ;* in quarto decimo *sublime* pro *sublimem.*

22° Item versus super ostium a parte Ligeris (pp. 123, 124).

Editum ibid., p. 235-238, numm. 174, 175, 176. — Num. 175, *fundaverunt* pro *fundaverant.* Versu primo num. 176 *tumidaque* pro *humidaque ;* in quinto *tanta* pro *tantas ;* in sexto *ipsa* om. ; in decimo *pange* pro *scande* et *æthere* pro *æthera ;* insuper *angelicum* om. ; in decimo octavo *semper* pro *sancti ;* in decimo nono *et* om. ; in vigesimo secundo *advenit* pro *adfuerit.*

23° Item super arcum absidæ in altare (p. 124).

Editum ibid., p. 239, num. 177. — Verbum *est* om.

24° Item circa tumulum ab uno latere (p. 124).

Editum ibid., p. 240, num. 178.

25° Item in alio latere (p. 124).

Editum ibid., p. 240, num. 179.

26° Item desuper (pp. 124, 125).

Editum ibid., p. 240, num. 180.

27° Item in absida (p. 125).

Editum ibid., p. 241, num. 181. — Sed in versu nono *penetrare* pro *penetrale ;* in duodecimo *spatio* pro *spatiis* et *sedis* pro *ædes;* in tertio decimo *potest* pro *potis est ;* in quinto decimo *sic* pro *si ;* in decimo nono *cum* pro *dum.*

28° Depositio S. Martini (p. 125).

Editum ibid., p. 242, num. 181. — Sed in cod. post *media* add. *finivit.*

29° Item in absida memoria Sanctorum (pp. 125, 126).

Editum ibid., p. 242-244, numm. 182, 183. — Sed in versu secundo num. 182 : *legas* pro *relegas,* et *noscis* pro *noscas ;* in septimo *cuncti* pro *juncti ;* in nono *perpetui* pro *perpetuis.* In primo versu num. 183 : *Quæ sebi sit* pro *si ;* in ultimo *laudes* om.

30° De numero basilicæ (p. 126).

Editum ibid., p. 245 : *Basilica S. Martini,* etc.

31° Item sollempnitates ipsius basilicæ (p. 126).

Editum ibid., p. 246 : *III Idus,* etc.

Ad finem additur in cod. : *Finit omnis narratio de sancto Martino.*

32° Historia S. Silvestri papæ et confessoris (p. 127-177).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed in cod. in fine prologi add. :

Nam et certus quod in hoc transferendi studio si quid vitupe-

rationis extiterit, meæ erit audaciæ, tuæ vero orationis si evasero culpam ...

Deinde cod. habet quæcumque notata sunt ad cod. Bruxellensem 64 (1). Insuper ex cod. congregatio Judæorum facta est *die iduum.*

33° Vita S. Nicholai archiepiscopi et confessoris (p. 178-219).

Vita auctore Joanne, diacono ecclesiæ S. Januarii, edita apud Carminium Falconium, *S. Nicolai Acta primigenia*, p. 112 sqq. — Sed om. num. v ab his verbis : *Tandem aliquantisper* (p. 115, col. 2, lin. 6). Num. vi ita in cod. : ... *succubuisset. Oravit autem ... indicaret auctorem. Noluit autem* ... Num. vii ab his verbis : *Mira prorsus, mira et stupenda* (p. 117, col. 1, lin. 17) om. Num. viii ita in cod : ... *fugiebat. Viduarum ... propria. Si quem forte* ... Num. x ultima phrasis *(His aliisque...)* om. Num. xii *Aytacisila* pro *Aitaiphala.* Immo quæ leguntur his numm. xii et xiii referuntur ex lectione quæ edita est apud Mombritium, tom. II, p. 9, col. 1, lin. 16 a fin. — p. 13, col. 2, lin. 8 a fin. *(Præterea cum in Phrygiæ — remearunt ad propria).* Inde subsequitur in cod. num. xiv (p. 126) ; deinde num. xiv (p. 122) cum sequentibus usque ad num. xix. Animadvertatur num. xviii legi :

Quinta decima indictione, imperante christianissimo et Dei cultore imperatore Justiniano, anno trecentesimo et nono a passione Domini, sanctissimo ...

Eodem num., pro *qui sub Licinio imperatore passi sunt,* legitur *sub Licio passi sunt.* Num. xx om., et ejus loco narrantur miracula quæ in cod. Namurcensi 15, 58° (2). Sequuntur numm. xxi, xxii ; quibus add. num. xv (p. 126).

34° Incipit proœmium translationis corporis beati Nicholai, Myrreorum Lichyæ archipræsulis, quem Nichoforus, Barrensis civitatis clericus, composuit (p. 219-261).

Sub hac rubrica venit historia translationis quæ protrahitur usque ad p. 261. Hæc narratio habens quidem certam affinitatem cum textu edito apud Surium, ad 8 Maii, et apud Carminium Falconium, tom. modo cit., ita tamen et stylo et temporum adjunctis ab his differt ut inedita dici possit. Edetur itaque in Appendice, omissis nonnullis quæ apud Carminium fere ad verbum leguntur.

35° Miraculum de cantu ejusdem beati viri (p. 261-263).

Narratur apud Vincentium Bellovacensem, *Speculum Historiale,* lib. xiv, cap. lxxxi, sed stylo mutato et hoc addito prologo :

Inter innumera virtutum insignia quibus beatus Nicholaus inter spiritales patres velut lucifer inter astra fulgida cœli luminis singularis effulsit, nostris quoque temporibus quan-

(1) Catalogus codicum hagiographic. Bibl. reg. Bruxellensis, p. 5, 7°. — (2) Cfr. *Analect. Boll.*, t. I, p. 501, et t. II, p. 151-156.

tum sibi devote famulantibus favere, quantum suo famulatui obtrectantibus indignari consuevit, ostendere dignatus est. Qualiter autem res gesta contigerit, paucis explicare curabo.

36° Item miraculum (p. 263-270).

Prolixa narratio miraculi quod operatus est S. Nicolaus ut e servitute Agarenorum quemdam puerum liberaret. Vide Append. et cfr. cod. Namurc. 15, 56° (*Anal. Boll.*, tom. I, p. 501).

37° Liber purgatorii S. Patricii episcopi et Hybernensium apostoli (p. 270-272).

1° Legitur hic sub hac rubrica Prologus auctore Henrico Salteriensi, editus apud Migne, P. L., tom. CLXXX, p. 975-978. 2° Fragmentum libri Purgatorii. — Lectio codicis multis passim additis propior accedit ad illam quam habes apud Matthæum Parisiensem, *Chronica majora*, tom. II, p. 193 sqq. (edit. Henrici Luard, Londin. 1874).

VI. Codex signatus n° 305 (St-G. 442).

Membraneus, foliorum 103, formæ mediæ (0^{m},24 × 0,15) lineis plenis exaratus seculo XIII diversis manibus. Multæ litteræ initiales minio designatæ, sed nullo ornatu.

Præter Vitas Sanctorum infra recensendas, continet Expositionem (S. Gregorii) in Cantica Canticorum, sermones *de cœlesti pane* et sermones de B. Virgine.

In primo folio insiticio quod juxta priorem partem cooperculi agglutinatum fuit, descripta est Prosa in Dedicatione ecclesiæ: " Psallat Ecclesia mater. " Edita est hæc prosa apud Judocum Clichtoveum, *Elucidatorium ecclesiasticum,* (Basileæ 1517) fol. 184^{r}. Et simul Prosa de nativitate beatæ Virginis : " Verbum bonum et suave, " edita ibid., fol. 216^{v}.

Eodem folio verso :

Quicumque dicit hanc orationem quotidie, visum oculorum nunquam amittit. Protende nobis, Domine, misericordiam tuam, et intercedente beato confessore tuo mihi peccatori propitiatus visum oculorum meorum stabilem serva. Per Christum Dominum nostrum.

Decem precepta. Est Deus, est nomen, sunt sabbata, suntque parentes. Mors, mechus, fures, testes, mulier, domus et res.

Margareta

.... Andriet

Non vivit homo sub celo qui faciat te secundum in corde Gertrudis.

Tandem folio insiticio ad calcem codicis, seu pag. 206 :

Si quis has triginta missas sicut in texto continentur pro se vel alio amico vel qualibet necessitate aut tribulatione aut infirmitate celebraverit vel cantari fecerit, infra dies x absque dubio liberabitur. Res probata est. Prima missa de Adventu

Domini, *Ad te levavi*, cum tribus candelis. II. *Puer natus* cum tribus candelis. III. *Ecce advenit* cum tribus candelis. IIII^ta *Circumdederunt me* cum una candela. V^ta. *Domine, ne longe* cum quinque candelis. VI^ta. *Resurrexi* cum octo candelis. VII^ta. *Viri Galilei* cum duabus candelis. VIII. *Spiritus Domini* cum VII candelis. Nona. *Benedicam* cum tribus candelis. X^ta. *Nos autem* cum V candelis. Undecima. *Vultum tuum* cum VII candelis. XII. *Benedicite* cum novem candelis. XIII. *Mihi autem* cum duodecim candelis. XIIII. *Os justi* cum IIII^or candelis. XV. *Intret in conspectu* cum I candela. XVI. *Sacerdotes* cum I candela.

1° Relatio de miraculis et passione sancti Andreæ apostoli (p. 145-171).

Edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, (Hamburgi 1719) Part. I, p. 456-508. — Non paucæ sunt lectiones variantes. Præterea num. I editionis citatæ om., et ejus loco hæc leguntur :

Inclita sanctorum apostolorum trophæa nulli credo latere fidelium, quia quædam exinde evangelica dogmata docent, quædam apostolici actus narrant, de quibusdam vero exstant libri in quibus propriæ actiones denotantur : de plerisque enim [1] nihil aliud nisi passionum scripta suscipimus [2]. Nam reperi librum de virtutibus sancti Andreæ, qui propter nimiam verbositatem a nonnullis apocryphus dicebatur. De quo placuit [3] ut retractis enucleatisque tamen [4] virtutibus [5], prætermissis his qui [6] fastidium generabant, uno parvo [7] tamen [8] volumine admiranda [9] miracula clauderentur ; quod et legentibus præstaret gratiam et detrahentium auferret invidiam, quia inviolata fides non exigit multitudinem verbositatis, sed integritatem rationis et puritatem mentis.

Tandem num. XXXIX (p. 508, lin. 3, editionis citatæ), post *assidue audiebat*, abrupta serie narrandorum, adduntur in cod. sequentia sub rubrica : *De passione sancti Apostoli :*

Post hæc comprehensus beatus apostolus [10] ab Egea proconsule, positus est in carcere. Ad quem omnes conveniebant ut [11] audirent [12] verbum salutis. At [13] ille non cessabat prædicare nocte et die verbum Dei. Paucis vero diebus interpositis, eductus de carcere et gravissime cæsus cruci suspensus est. In qua cum per triduum vivens penderet, non cessabat

[1] *Addimus variantes lectiones ex cod. Bruxell. 206, quia in Catalogo nostro Codd. Bibliothecæ regiæ Brux., p. 116 (cod. 206, 51°) ad præsentem codicem Gandavensem 305 (seu 442) remisimus. — Codex ergo Brux. om.* enim. — [2] suscepimus *B.* — [3] mihi *add. B.* — [4] tantum *B.* — [5] *add.* ejus *B.* — [6] quæ *B.* — [7] *om. B.* — [8] tantum *B.* — [9] miranda ipsius *B.* — [10] (b. a.) *om. B.* — [11] *om. B.* — [12] audire *B.* — [13] (At-Dei) *om. B.*

prædicare Dominum salvatorem, donec tertia die populis flentibus spiritum exhalaret, quod lectio passionis ejus plenissime declarat. Cujus beatum corpus Maximilla accipiens conditum aromatibus recondidit in sepulcro, assidue super illud deprecans Dominum, ut ejus beatus apostolus memor esset exorans [1].

Sequitur sub rubrica : *De virtute sepulcri ejus :*

De quo sepulcro manna in modum farinæ et oleum cum odore suavissimo defluit. A quo quæ sit anni præsentis fertilitas, incolis regionis ostenditur.[2] Si exiguum profluit, exiguum terra exhibet fructum. Si vero copiose processerit, magna fructuum opulentia ministratur. Nam fertur hoc oleum usque ad medium basilicæ sanctæ decurrere, sicut in primo miraculorum scripsimus libro. Passionis quoque ejus ita ordinem[3] prosecuti non sumus, quia valde utiliter et eleganter a quodam reperimus fuisse conscriptum [4].

Hæc sunt quæ de virtutibus beati Andreæ apostoli præsumpsi, indignus ore, sermone rusticus, pravus conscientia, propalare, deprecans ejus misericordiam, ut sicut in illius natali processi ex matris utero, ita ob intentum ipsius eruar ab inferno. Et sicut in die passionis ejus sumpsi vitæ hujus exordium, ita me sibi proprium ascire dignetur alumnum. Et quia de majoribus meritis revocat pars magna facinoris, hoc tantum temerarius præsumo petere, ut, cum ille post judicium Dominico corpori conformatus refulget in gloria, saltim obtineat pro immensis criminibus mihi vel veniam.

2° Passio S. Andreæ apostoli (p. 171-174).

Edita in opere modo cit., p. 508-515. — Discrimen est in hoc quod in textu edito inter " virtutes " seu Miracula et ipsam Passionem apostoli nulla fit narrandorum intermissio, dum in cod. incipit Passio sic :

Conversante et docente et prædicante verbum Dei beato Andrea apostolo apud Achaiam, comprehensus est ab Egea proconsule in civitate Patras. Proconsul dixit ad eum : *Tu es Andreas qui destruis templa deorum et persuades hominibus superstitiosam sectam quæ nuper a vobis inventa est colere?* Andreas respondit : *Ego sum* ... (p. 508, lin. 10).

3° Vita beatæ Marthæ hospitæ Christi (p. 174-190).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed omm. quæ apud eum edita sunt inde a lin. 11, col. 2 penultimæ paginæ *(Beatissima igitur Martha...).*

Finita Vita legitur in cod. hæc nota : *Qui me scribebat Johannes nomen habet.*

[1] (ut-exorans) *om. B.* — [2] *add.* et *B.* — [3] (i. o.) o. i. *B.* — [4] conscriptam *B.*

4° Passio S. Herasmi martyris, Antiochenæ civitatis episcopi (p. 191-197).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 213-216.

Incipit : In Antiochia civitate facta est persecutio ...

Desinit : ut qui petierit auxiliatorem sibi esse tecum, recipiat, te Christo favente, gratiam misericordiæ tuæ, et gratulatus tuæ largitatis munere mereatur in præsenti vita humanæ salutis jocunditate lætari et post animæ transitum ad gaudia pervenire sempiterna, ubi tu, Deus, promisisti sanctos tuos possessuros. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

5° Vita S. Patris nostri Basilii archiepiscopi Capadotiæ (p. 197-203).

Stylo mutato ea referuntur quæ edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, in Vita S. Basilii vulgata sub nomine S. Amphilochii, scilicet : 1° a num. 30 extr. tom. cit., p. 943 *(Cum itaque non multo post)* usque ad num. 33 ; deinde a num. 35 usque ad medium num. 39 *(jussit triduo festum agi)*. Tandem a num. 43 usque ad finem num. 48.

VII. Codex signatus n° 308 (W. 210; St-G. 150).

Codex membraneus, foliorum 195 (duo priora in codice numeris notata non sunt), formæ minoris ($0^m,24 \times 0,175$), lineis plenis stylo ferreo ductis, accurate exscriptus diversis manibus seculi X et XI ineuntis, præter ultima folia, quæ (fol. 181^v-192) seculo XII, immo ultimum omnium (fol. 193) seculo XV debentur. Quædam subinde folia vacua relicta sunt.

Conspiciuntur fol. 1^v et fol. 2^r (non notatis in codice), figuræ hominum quæ totam fere paginæ amplitudinem replent, rubrica tantum delineatæ : harum altera videtur exhiberi nuntius caduceum quoddam cum affixa in summo epistola manu dextera ferens, sinistra juxta latus extensa ; altera vero sanctus aliquis sacerdos manu sinistra ante pectus tenens thecam, cui innititur dextera. Præterea fol. 174^v variis coloribus, quibus etiam aurum et argentum intermixta sunt, cernitur ejusdem staturæ sanctus aliquis episcopus quem prædicantem auscultant tres barbari. Conspiciuntur etiam litteræ capitales admodum ornatæ coloribus item variis, auro et argento, præsertim fol. 167^v et 3^r ac denique tituli et primæ lineæ singularum Vitarum fere capitalibus litteris satis magnis et alternis lineis vel etiam vocibus rubro et viridi colore exarata. Sed hæc omnia ambitioso magis quam eleganti opere insignia sunt.

In capite codicis parti interiori tegumenti affixa est schedula hanc notulam exhibens, manu seculi XVII scriptam : ***Jussit hunc venerandæ antiquitatis librum in hanc formam noviter compingi D. Justus Rycquius Canonicus et Bibliothecarius Ecclesiæ Cathedralis Gandavensis Anno Domini 1623.*** Et paulo inferius : Οὐχ' ἡ κτῆσις *(ita corr. ; prius, ut videtur,* χρῆσις) ἀλλ' ἡ χρῆσις.

Præter documenta hagiologica inferius recensita, continet codex :

1° (fol. 21v-22r) Epistolam Otwini, abbatis cœnobii S. Bavonis extremo seculo X (1), ad Adalwinum, abbatem Blandiniensem (2), in qua queritur quod is suum cœnobium in castro Gandavo situm asseruerat. Hanc epistolam nusquam editam reperimus : unde, quum præsertim satis brevis sit, hic lectoribus nostris exhibendam duximus.

Otwinus, abbas ex monasterio sancti Petri et Procurator Gandavi castri, Adalwino, abbati Blandiniensis cœnobii, salutem, pacis concordiæque custodiam. Hæc invenimus in volumine Landonis pœnitentis, qui vos primum adiit, dehinc nobis vestra talia detulit : Adalwinus abbas cum fratribus Blandiniensis cœnobii in castro Gandavo siti causa fraternæ compassionis impertit huic pœnitenti XXX missas cum L psalteriis, ut sublevationis gratiam habeat, LXXX diebus, quam optant ipsi pœnitenti Landoni idem fratres Deo militantes in suprafato Gandavi castri monasterio, quod fundatum est et dicatum in honore Petri et Pauli.

(3) Laudanda devotio pœnitentis et prædicanda caritas vestræ promissionis : quem nos quoque fecimus securum earumdem promissionum. Sed discordiæ vitulamina quæ jam credebamus radicitus ut promisistis excisa, haut modicum nos turbant brevi inscripta. Quibus ne videremur cedere et illata non purgare, falerata jacula verborum fugientes, quippe nil laudis egentes, his paucis et communibus respondemus. Advertite. Nos nescimus neque libris invenimus aliud castrum Gandavum nisi super Scald fluvium, ubi idem amnis Legiæ conjungitur, situm. Aut ostendite aliud, aut cedite responso, et Blandinium fatemini inter Scald et Legiam situm : vel si reniti cupitis, hæc duo flumina aliter cucurrisse dicetis, ut tempore sancti Amandi una civitas, id est castrum, utrumque concluderet locum. Hæc de paucis, quamquam copia multa, sufficiat nobis. Unde propter pacis, caritatis concordiæque custodiam oramus, corrigite vestros, ut utantur his nominibus et verbis quibus usi sunt retro diebus, et satis sint nobis antiqua : non necessaria sunt nova.

2° (fol. 184v-193v) *Versus domni Hildeberti, Cenomannensis episcopi, quomodo repræsententur ritus et sacrificia veteris Testamenti in sacrificio altaris.* Horum prior pars (fol. 184v-192v) edita est apud Migne, P. L., tom. CLXXI, p. 1178-1192 med. ; quæ terminatur in hoc versu : *Cum Patris ad dextram sedet* (non *cedit) et explet opus.* Posterior vero pars (fol. 103r-193v) constat viginti prioribus versibus carminis editi ibid., p. 1193 lin. ult. — 1194 *(Melchisedech Domino-sine vulnere sacrifica-*

(1) An. 982-998 (*Annal. S. Bavonis* in *Mon. Germ.*, Scr. tom. II., p. 188). — (2) An. 986-995 (*Annal. Blandin.* in *Mon. Germ.*, Scr. tom. V, p. 25). — (3) In codice adscribitur hoc loco minio vox *Nota.*

tur), quibus subjuncti sunt octo versus priores qui leguntur ibid. p. 1205 init. *(Sed icet in mensa-membra creamur)*, ac denique hi alii versus octo, variantem exhibentes lectionem eorum qui ibidem editi leguntur, p. 1280 § IV :

Tres partes facte Cristi de corpore signant
Prima suam carnem sanctosque secunda beatos
Aut defunctorum purgatos prima : secunda
Qui purgantur adhuc : venientes *(sic)* tertia : sanguis
Martirium : pars est in sanguine tincta :
Martirii calicem gustant in carne fideles.
Ita beatam Deus mortem gustavit ad horam,
Ut miser eternum vivere posset homo.

Hæc vero exhibentur in codice monumenta de sanctis :

1° Vita S. Bavonis confessoris (fol. 1r-21v).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 1. Octob., t. I, p. 229-235.

2° [Miracula S. Bavonis] (fol. 23r-58r).

Edita ope hujus codicis ibid., p. 293-302.

3° [Vita S. Bavonis metrica] (fol. 60v-81v).

Edita ope hujus codicis ibid., p. 235-242.

4° [Versus in laudem S. Bavonis] (fol. 83r-85v).

Inediti, ut videtur. Vid. Append.

5° Adventus S. Landoaldi archypresbiteri sociorumque ejus in Gandavo castro, qui celebratur VIII Kl. Aprilis (fol. 86r-94r).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 19 Martii, t. III, p. 43-44 (num. 1-11).

6° Annotatio Nodkeri sanctæ Trejectensis vel Leodicensis ecclesiæ præsulis super translatione sancti confessoris Landoaldi archypresbiteri sociorumque ejus (fol. 98v-116r).

Edita ope hujus codicis ibid., p. 35-38 (Prologus et num. 1-12).

7° Qualiter corpus sanctissimæ virginis Landradæ divinitus translatum fuerit a Belisia in Wintreshovum (fol. 116r-119v).

Ineditum, ut videtur. Vid. Append.

8° Qualiter prædictus Lantso reliquias de eodem loco asportare voluerit, sed divinitus sit prohibitus (fol. 119v-132r).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, tom. cit., p. 39-41 (lib. I, num. 13-17 et lib. II num. 1-8, sed hic ultimus num. initio abrumpitur : cfr. ibid. p. 41, annot. *e)*.

9° Passio S. Livini martyris et episcopi (fol. 135v-165r).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. II, p. 450-461. — Sed :

Num. 7, pro *Helimas* legitur in codice *Herimas*.

Num. 9, ad ultimum verbum *(reposuerunt)* subjungitur :

Immo gaudeamus, quia pium pro nobis patronum habemus, pudicitiæ et pietatis splendore a Deo coronatum, angelis comparem, civem patriarcharum, socium apostolorum, coheredem martirum et omnium sanctorum coequalem.

Num. 10 prima phrasis omissa est.

10° [Miracula S. Bavonis facta anno 1010] (fol. 167v-171r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., t. I, pp. 269 et 270 (num. 79-83).

11° Vita S. Macharii Antiocheni (fol. 176r-184v).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 10 Aprilis, t. I, p. 875-877.

VIII. Codex signatus n° 401 (W. 11bis; St-G. 152).

Membraneus, foliorum 21, præter insiticia sex (quorum quatuor chartacea) in capite et ad calcem, formæ minoris (0m,19 × 0,12), exaratus ineunte seculo XI. Nullæ rubricæ vel ornamenta.

Complectitur Vitam S. Brandani, qualis edita est a v. cl. Achille Jubinal, Parisiis anno 1836; at non paucas præbet variantes lectiones notatu dignas, ita ut facile judicari possit textus hujus codicis minus politus edito.

IX. Codex signatus n° 402 (St-G. 151).

Membraneus, foliorum 8, formæ minoris (0m, 20 × 0,13), exaratus ineunte seculo XI. Nullæ rubricæ vel ornamenta. Continet Passionem S. Caloceri, editam in *Act. SS.*, tom. II April., p. 523-526.

Fol. 8v legitur hoc duplex epitaphium :

Mortalis titulo signabar nominis Odo,
Istic pro posse profore nisus ope.
Exsolvi invitus hic ultima fata sepultus,
Et terræ matri terrea membra dedi.
Dilexi Stephanum vivens in carne beatum
Ac spe salvandi do mea meque sibi.
Lector sarcophagi, te posco epigrammate tristi :
Sortem cerne meam ac memorare tui.

Da lacrimas, impende preces, gremioque redibunt
Res tua, si nobis gaudia plena petis.
Sena dies mensis Junii quæ est ante Kalendas
Clausit ab officio ne videant oculos.

Inga, vocante Deo, dedit isti membra sepulcro,
Femina virtutis actibus apta piis.
Fœdere legitimo conjunx copulata marito,
Pauperibus monachis vixit opima bonis.
Quapropter lugubrem, qui præteris, aspice tumbam
Et dic : Summe Deus, da famulæ veniam.
Quæ sevit, Domine, pro vita perpete, redde ;
Incurrit noxam : gratia tollat eam.
Idibus hæc Jani sublata est carcere mundi,
Judicio mortis est sibi clausa dies.

X. Codex signatus n° 405 (W. 8b; St-G. 160).

Nihil aliud est quam celebris *Legenda Aurea* Jacobi de Voragine. Codicem ideo hoc loco præter morem nostrum distincte indicamus, quia baro Julius de Saint-Genois in Catalogo suo codicum Gandavensium, deceptus mendoso titulo quem in capite codicis de quo agimus inscriptum reperit, manu seculi XVI *(Johannes dyaconus hanc legendam compilavit, ut dicitur in legenda beati Gregorii)*, auctorem compilationis signavit *Joannem diaconum.* Sed, quod magis mirum est, adjunxit illud esse martyrologium haud absimile martyrologio Usuardi.

XI. Codex signatus n° 421 (W. 62 Suppl.; St-G. 162).

Chartaceus, foliorum 43, formæ minoris (0m,147 × 0,105), extremo seculo XIV descriptus. Titulus unus in capite fol. 1r et quædam litteræ initiales minio exarata ; ceterum nulla ornamenta.

1° Vita S. Odulphi confessoris (p. 1-17).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Junii, tom. II, p. 592-595, nisi quod in codice Prologus deest. — Num. 2 pro *Ludgis* legitur *Boggis Lodgis ;* num. 6 *Almere* pro *Alechmeer ;* num. 15 *Stauron* pro *Staveren.*

2° De sancto Frederico episcopo (pp. 17, 18).

Versus editi in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 454, num. 7.

3° Qualiter Odbertus sanctum cognovit Fredericum (p. 18-22).

Versus editi ibid., pp. 457, 458, num. 20.

4° Passio S. Frederici (p. 22-86).

Edita ibid., p. 460-470. — Sed in codice num. 31 scriptum est errore amanuensis DCCCCXXXV; num. 35, omissis duabus ultimis phrasibus, desinit his verbis: *ne periret postulavit*, et num. 36, pro *anno regni imperatoris vigesimo primo*, cod. XXV. Passio distributa est in capitula, præpositis titulis.

XII. Codex signatus n° 422 (W. 62 Suppl.; St-G. 161).

Codex partim membraneus, partim chartaceus, foliorum 24, formæ minoris (0m,147 × 0,105), exaratus extremo seculo XIV. Litteræ initiales ornatæ et tituli minio descripti visuntur fol. 1 et 2 rectis.

Totum codicem complent documenta de S. Rumoldo episcopo et martyre; videlicet:

1° Prologus in vita beatissimi Rumoldi (pp. 1, 2).

Hunc leges in *Act. SS.*, ad d. 1 Julii, tom. I, p. 241 (seu num. 1 et duæ priores phrases num. 2, id est usque ad : *cogitatu adæquare*.

2° Felix cursus vitæ sanctissimi Rumoldi (p. 3-28).

Inc. Regnavit in regno Scociæ rex quidam nomine David, in civitate dicta Veerwyc, quæ principalis et capitalis civitas regni existit.

Des. Quia ipse promisit nobis, dicens: Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis.

Ea videtur esse Vita de qua tom. modo cit., p. 178, num. 43 sqq.

3° Passio beatissimi Rumoldi (p. 29-45).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Julii, tom I, p. 242-247, num. 9-20.

Sequentes notæ adjectæ leguntur:

P. 45: Item passio beati Rumoldi martyris et pontificis celebratur prima die Julii.

Item translatio ejusdem ipso die festo sanctum Lucæ evangelistæ.

Item memoria relationis ejusdem in vigilia Symonis et Judæ apostolorum.

Sed hæc relatio apud clerum celebratur etiam in communi apud laicos.

Pag. 46: Ea enim tempestate qua Scitarum furor excanduit et de vagina Datie Getarum gladius erepsit, omnibus ab ipsa maritima ora usque ad Egrippinensem Coloniam vastatis et incensis, hic homo Dei Libertus evasione evadendi periculi in Hasbaniam se transtulit. Quem prosecutum et captum effera gens ante ipsam sancti Trudonis aram fecerat Deo victimam. Corpus ejus, ut ayunt veri viri, periculum ad me non recipio, illic sepultum. De loco autem sepulchri non ambigua fama est.

In pagellula codici annexa, sed cum reliquis foliis non compacta: Festum sive passio beatissimi Rumoldi archiepiscopi Duvelensis venit VIII° Kl. Julii. Sed

ne quid Baptistæ celebritati et officio detraheretur, octava ab hac die, scilicet prima die Julii, solempniter celebratur.

Item translatio ejusdem ipso die festo sancti Lucæ.

Item memoria relationis ejusdem in vigilia Symonis et Judæ apostolorum.

Tandem : Dilectissime Confrater in Christo, si volueritis habere ejus speciale officium misse, dignemini hoc mihi scribere et demandare : pro præsenti non habeo.

XIII. Codex signatus n° 423 (St-G. 157).

Membraneus, foliorum 46, formæ minoris (0m,152 × 0,105), lineis plenis graphide plumbea ductis, exaratus extremo seculo XII. Continetur in eo

[Passio Stæ Catharinæ] (p. 1-91).

Ea de qua actum est in nostro Catalogo codicum Namurcensium (vide *Analect. Boll.*, tom. I, p. 502, ad n. 69). — In fine vero ita :

Passa est autem beata Katherina mense novembrio, xx. va die, feria vi. hora iiii. ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi. Amen.

XIV. Codex signatus n° 477 (W. 215 ; St-G. 153).

Membraneus, foliorum 62, formæ minoris (0m,187 × 0,12), lineis plenis graphide plumbea ductis, exaratus seculo XII. Capitulorum tituli et litteræ initiales minio descripta.

Totum codicem complet

Vita sancti Norberti sub Gregorio XIII canonizati (fol. 1-62r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Junii, tom. I, p. 819-858. — Sed in cod. omm. tum num. 6, tum pars prior num. 7, usque ad hæc verba : *contra se prætendebat.*

In margine inferiori : *B. Norbertus nunc pro sancto colendus est, quia ordinaria authoritate approbatus 1589.*

Adjecta sunt a compactore in capite et ad calcem codicis duo folia membranea ex libro quodam chorali discerpta, quæ lacinias exhibent officii *de dulcissimo nomine Jesu* seculo XV descripti et notis musicis signati, et præterea quatuor folia chartacea. His duodecim foliis continentur documenta varii generis descripta manu Gerulphi Borluut, Canonici Præmonstratensis monasterii Trunciniensis prope Gandavum, videlicet :

Fol. 1r seu pag. 1: *Sum fratris Gerulfi Borluut, monachi, canonici monasterii Trunciniensis, Ordinis sancti Norberti Præmonstratensis, Gandensis diœcesis, pastoris ac magistri in Nevele emeriti, atque utinam religiosi, omniumque confratrum religiosorum. 1585. — Fide ad virtutes.*

Fol. 2r seu pag. 3: *Anno 1549 assumpsi habitum spiritualem.*

Pag. 4: *Calvinistæ acerrimis machinis universam Ecclesiam arietant. 1580.*

Pag. 5: Copia Canonizationis B. Patris Norberti, fundatoris Ordinis Premonstratensis et archiepiscopi Magdenburgensis anno Domini nostri 1120. — Bulla Gregorii XIII, edita apud Miræum, *Ordinis Præmonstratensis Chronicon*, p. 232-235.

Pag. 7-8: Copia bullæ ejusdem pontificis de indulgentiis in festo S. Norberti. Edita ibid., p. 235-236.

Pag. 8-5bis: Synopsis indulgentiarum quas concessit Ordini Præmonstratensi Gregorius XIII, die prima Septembris 1582, ad instantiam R. P. Fratris Hieronimi de Villalnengea procuratoris et religiosi ejusdem Ordinis.

Hæc tria documenta notavit Gerulphus Borluut exscripsisse se typis excusa Romæ " apud heredes Antonii Bladii impressores Camerales. 1582. "

Pag. 6bis-7bis: Bulla data a Gregorio XIII Nonis Maii an. 1578. Edita apud Le Paige, *Bibliotheca Præmonstratensis Ordinis*, parte I, pp. 732, 733.

Pag. 7bis: Decretum latum Præmonstrati 15 Februarii anni 1574 a Joanne de Pruetis, sacræ theologiæ professore, consiliario et eleemosinario christianissimi Francorum regis, de non utendo libris liturgicis nisi a Jacobo Kerver editis, — quod privilegium præfixum est editioni Missalis Præmonstratensis anni 1578, Parisiis.

Pag. 7bis extr.: *Frater Gerulfus Borluut ex Norbertina familia candidissimi Ordinis Præmonstratensis, monachus atque utinam religiosus 1585. Fide ad virtutes.*

Pag. 8bis leguntur sententiæ spirituales, ex S. Bernardo præsertim excerptæ.

In paginis adjectis ad finem codicis:

Pag. 132 leguntur monita spiritualia et hæ quasi orationes:

Miserere, Domine, miseri Gerulfi, indigna agentis et digna patientis, assidue peccantis et tua flagella quotidie sustinentis.

Sancte Norberte, Ordinis candidi patrone, ora pro nobis peccatoribus et pro fratre Gerulfo peccatore.

Pag. 133, quædam effata moralia.

Pag. 134: Stilus noster in obitu fratris alicujus.

Obit x. Calendas Augusti in cœnobio nostro Trunchiniensi Ordinis sancti Norberti Præmonstratensis dilectus confrater noster frater Gerulfus Borluut, ejusdem cœnobii sacerdos et canonicus, pro cujus animæ refrigerio orationum vestrarum devota suffragia ex charitate deposcimus.

Cetera moralia sunt.

Pag. 135-136:

Anno Domini M°C°XIX sub Romano pontifice papa Paschasio Ordo Præmonstratensis florere cœpit, in diœcesi Laudunensi, sub venerabili patre Domino Norberto, Magdenburgensis ecclesiæ archidiacono, qui a beata Maria virgine edoctus est ut ipsum Ordinem a supradicto apostolico pontifice peteret. Et post hæc locum ubi caput Ordinis esset, eadem Virgo eidem præmonstravit : unde et ipse Præmonstratensis nuncupatus est. Est autem hic numerus claustrorum seu cœnobiorum ejusdem Ordinis : MCCC scilicet claustra canonicorum regularium, et CCCC virginum monialium. Sunt autem in præfato Ordine 16 episcopatus, quorum septem sunt archiepiscopatus. Unde provide hoc habito consilio præfati episcopi statuerunt ut omnibus benefactoribus et promotoribus Ordinis et familiaribus, quicumque divino zelo accensi beneficiis suarum facultatum, sani vel infirmi, eleemosynarum suarum subventionibus, consilio vel auxilio quocumque eumdem Ordinem promoveret, vicem iis reddere volentes, omnibus vere confessis et pœnitentibus centum carinas conferant et quinque annos criminalium. Insuper totius Ordinis datur iis fraternitas, et participes facit eos dominus abbas Præmonstrat. omnium bonorum quæ in toto Ordine fiunt. Unde in singulis ecclesiis quotidie specialiter tres missæ celebrantur. Prima pro peccatis, secunda de Domina gloriosa semper virgine Maria, tertia pro defunctis illis specialiter qui Ordinis benefactores et promotores fuerunt, participes sint et amici Ordinis spirituales tam vivi quam mortui. Notandum quoque est quod omnibus majoribus festivitatibus et singulis dominicis diebus quibus processiones fiunt in honorem Domini nostri Jesu Christi et benedictæ matris ejus Mariæ et omnium sanctorum : omnibus fidelibus utriusque sexus qui iisdem iniersunt processionibus in quovis nostri Ordinis cœnobio, dantur mille dies venialium et centum 40 dies criminalium indulgentiæ. Item in quocumque die dominus prælatus loci in cœnobio missam solemniter celebraverit, dantur audientibus illam quingenti dies criminalium et quinque anni venialium. Et hæ indulgentiæ Ordinis Præmonstratensis speciales a sede apostolica specialibus firmatæ sunt privilegiis, quæ in ipsa Præmonstratensi habentur ecclesia. Hæc ex vetustissima quadam tabula in cœnobio Knechtstedensi Ordinis ejusdem, diœcesis Coloniensis, (cui pudor est fidem derogare,) scripta habentur.

Pag. 136 med.:

Statutum est in Ordine nostro ut singuli prælati nostri Ordinis denuncient ter in anno tales esse excommunicatos quales hic sequuntur, videlicet: Qui sunt proprietarii, incendiarii, falsarii litterarum nostri Ordinis. Lusores deciorum. Qui portant cultellos acutos ad nocendum. Apostatæ, et illi qui ad mandatum suorum prælatorum ecclesias parochiales quas tenent, nolunt resignare. Sicut Ordo jubet, nos denunciamus tales excommunicatos, In nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Pag. 137. Effata moralia et nota de jure revocationis, visitationis et correctionis circa Canonicos Præmonstratenses curam animarum exercentes. Citatur Conc. Trid.

Pag. 138. Ex Joanne Roffensi contra Lutherum (scribente).

Pagg. 139 et 140: Effata moralia et inscriptio cerei consecrati in honorem immaculati Agni paschalis, D. N. J. C., B. V., SS. Basini et Gerulphi, et OO. SS. — Sequitur aliquod caput 29 Conc. Chalc. de monasteriis (?).

Pag. 141: *Ego, frater Gerulfus Borluut, ecclesiæ caput pontificem Romanum profiteor, Regnique caput hispaniarum regem Philippum agnosco 1582. — Catholicum regem Philippum, catholicorum defensorem, comitem Flandriæ, adjuvet Deus Optimus Maximus contra omnes inimicos fidei et regni sui. Philippo, magno ac pacifico regi Hispaniarum, vita ac victoria. Salutem Philippi et imperium ejus Deo et intercessioni beatæ Mariæ virginis ac beati Petri, primi pastoris ecclesiæ, omniumque sanctorum commendo. Domine Deus, injicias hostibus sanctæ nostræ religionis, fidei regnique terrorem qui panicus appellatur.*

Pag. 142: Cum pater ad superos animum Norbertus haberet
Et precibus peteret quo se velaret amictu,
Angelus accelerat, cœlo demissus ab alto,
Induit et tunica niveo candore micante.

Sequuntur rursus nonnullæ sententiæ spirituales, itemque pag. 143. Cetera moralia.

XV. Codex signatus n° 487 (W. 211; St-G. 164).

Membraneus, foliorum 76 (quorum tria prima et quatuor ultima vacua relicta sunt), lineis plenis, descriptus seculo XV. Pauci tituli et quædam litteræ initiales minio exarata; quædam aliæ litteræ initiales cæruleo colore depictæ; ceterum ornamenta nulla.

Fol. 1^r hæc leguntur manibus seculi XVI descripta:

Liber ecclesiæ S. Baronis Gande.

Quo simul ac satis usus fuerit D. Surius, restituat D. ac Mgro Guilielmo Coemans ab Horst, D. Gereonis Canonico presbytero, qui remittat Gandavum.

Remissus fuit 2 Junii anno 1576 a dicto Mgro Guilielmo Coloniensi Canonico.

Inventus iterum remissus fuit 22 Januarii anno 1585, a f. Antonio Eduaert, dominicano Gandavensi (vel *Gandavum).*

Sequitur legenda sanctorum hujus loci compendiose, substantialiter tamen recitata, quatinus citius ac levius eorum vita beata memoriæ commendetur. Si quis diffusius materiam inspicere voluerit, ad historiam originalem recurrat.

Hic titulus inscriptus est pag. 1. Sed et pag. 132 in margine inferiori scriptum est: *Explicit legenda sanctorum hujus loci sic breviter compilata per magistrum Oliverium Longi, priorem ejusdem cœnobii.*

1° Vita B. Bavonis hujus ecclesiæ patroni (p. 1-15).

Est Vita auctore Theodorico abbate, edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Octob., tom. I, p. 243-252. — Sed in codice non parum contracta et non paucis variantibus lectionis, ut docent subjectæ notæ :

Numm. 1-4 omm.

Num. 5 ... dicta est. Ingenti ...

Num. 6 incipit : Cum adolevisset ... comitis. Filia ... præelecta, quæ qualisve ... regula. Quæ Deo cooperante ad summæ ... tantum elevabatur ut in ...

Num. 7 ... frequentare. Animo ... viluerat. Jam ad eremum ...

Num. 8 ... militabat, de præsenti ... funus ægre sustinens secunda recusat matrimonia. (*Cetera omittuntur.*)

Num. 9 ita contrahitur : Magno quasi expeditus onere, totum se ad Dei cultum convertit.

Num. 10 ... constitutum. Tradunt ... indidisse. Volunt alii et Hermenricum regem illuc advenisse ... relinquamus. (*Cetera omittuntur.*)

Numm. 11, 12 et 13 ita contracti : Huc beatus Amandus cum venisset ac gentilium corda ad fidem convertisset, ejus fama longe lateque diffusa est. Allowinus animæ suæ consulens (1), per longa viarum dispendia ... anima sua requirit, totum se illi committens. Quem vir ... suscipiens, evangelicam ... erudit. (*Cetera omittuntur.*)

Num. 14 incipit ita : Ille statim ex consultu magistri domum redit, et facta ... peculiare in usus ... humeris bajulans. (*Cetera omittuntur.*)

Num. 15 ... ordinatis ad B. Amandum revertitur. A quo reverenter susceptus ac iterum requisitus super ... Amandus eidem machinamenta diaboli, ascensus gravitatem, timorem casus, initii facilitatem, finis difficilitatem prædicit. Ubi vero videt eum ad ... paratissimum, gratias agens Deo, quasi ... servitii. Nam ante ... clericatum. (*Cetera omm.*)

(1) In margine manu recenti scriptum legitur : *Perperam historiæ quædam aiunt B. Bavonem priusquam ab Amando instrueretur rapinis et latrociniis operam dedisse.*

Num. 16 ... viam, cœpit humilitatem ... caritatis mandatum usque ad inimicum extendere. Creber esse in oratione ... meditatione. Quocumque ... subsequi, ardebat enim igne divino sanctæ ... repleri. (*Cet. omm.*)

Num. 17 incipit : Quoties vero ... opere spiritum ... pugnam provocabat. (*Cet. omm.*)

Num. 18 ... animare, velut apes *(sic)* magni ingenii ... cordis comportans, eremum.

Num. 19 ... loco cedit. (*Cet. omm.*)

Num. 20 ... Medmedung (1) nomine, ingreditur ... ordinasset, ad locum ...

Num. 21 ... Dei cum gaudio recipitur, reditus ... impetrat. (*Cet. omm.*)

Num. 22 incipit : In ædificanda ... Dei, laica ... carricaturus latratu canum cum impediretur, ore ... murmurare cœpit ac maledicta ... diabolus hominem ... mortuum. (*Cet. omm.*)

Num. 23 ... nuntiatum est, dolens et gemens jubet cadaver ... amoveri. Vix .. spatium cum lacrimis orans, orationem necdum terminaverat, Attinus ... laus Dei. (*Cet. omm.*)

Num. 24 incipit : Cum in viri Dei laudem omnis consonaret ... radicem humilitatis, nam domus suæ mentis supra petram Christum fundata erat. (*Cet. omm.*)

Numm. 25 (2), 26, 27 ita contrahuntur : Quadam die ... veniam, forcipem ... Servus hoc facere recusat, peccatum in se commissum ex corde indulget, sed in contumeliam ... suaderi. Sed, dum mira ... supplicium, tandem vincitur ... detundetur ; deinde de hoc suo ... cellula, revivificati hominis miraculo in suæ fundationis principio honorata. Itaque quatuor ... tacebat. Complebat ...

Numm. 28, 29 ... Florberto, macerati ... specum ad... elegerat. Data die ... crucibus universoque... incarnationis, non sine ... admiratione. (*Cet. omm.*)

Num. 30 incipit : Cujus cibus... inspersus, defesso ... cederet, nunquam de carnis molestia dolens, lacrimas largo fonte fudit.

Num. 31 incipit : Caritati incorporatus, animi putredinem pœnitentiæ medicamento ... ad eum populus. Nunquam sine... cellula. (*Cet. omm.*)

Num. 32 incipit : Lapidem (3) qui esset duorum hominum onus, jubet deferri. Hunc inter ... mortificabat. Cum autem quis objiceret ... in nobis. Aerias ... debellavit, cujus ... fuit. (*Cet. omm.*)

Num. 33 incipit : Nam tortuosus ille serpens antiquus cellulam ... scutum orationis opposuit. Aiebat ...

Num. 34 ... evanuit. (*Cet. omm.*)

Num. 35 incipit : Cumque gloriosus ... Allowinus videret ...

Num. 36 ... requievit. Liquefactum ... cogitaret. Cum vero recessisset ... discutiens, majori ... amore. (*Cet. omm.*)

(1) In marg. sup. *Mendonck*, manu recenti. — (2) In marg. manu recenti : *Hæc poterunt prætermitti.* Idem repetitur ad numm. 26 et 27 usque ad *honorata.* — (3) Manu recenti in margine : *Hic lapis adhuc religiose servatur et visitur in parochia de Mendonck.*

Num. 37 incipit: Dum cupit dissolvi ... consolatur. Medio ... coronavit. Meruit autem audire ... cœlo. Cui ille statim occurrit cum jocunditate ac raram ... lætitiam, securus ... Jesu Christi. *(Serie narratorum inversa.)*

Num. 38 incipit: Appropinquante tempore suæ dissolutionis, lectum ægritudinis ... languor; orabat tamen ... consolatur et quasi ... desiderans. Familiarem ... Domitinum ... nesciebat. Adest ... communicavit. (*Cet. omm.*)

Num. 39 incipit: Cum ecce ... locatur. Fit ibidem magnus populi concursus, nec parvo ... interesse. Pauperum turba ... orphana inconsolabili luctu replebatur.

Num. 40 ... necessaria. (*Cet. omm.*)

Num. 41 ... ridendum, non ad afflictionem ... percipiendam. (*Cet. omm.*)

Num. 42 incipit: Migravit ab hoc seculo nequam anno ... pontificatum ...

Numm. 43, 44 (1) ita juncti: Vir et mulier a dæmone obsessi, duris ligati nexibus, virorum tracti manibus, ad sacrum ... contingerent, statim ... benedicitur. Hæc humandum ... indicia. (*Cet. omm.*)

2° De loco in quo beati Bavonis reliquiæ conservantur (p. 17-23).

Contractum ex opusculo cui titulus *Miracula S. Bavonis tribus libris comprehensa,* edito tom. cit., p. 293 sqq., scilicet num. 5-22, p. 294-296 (i. e. *Liber I* sine suo prologo qui deest in cod.).

3° De miraculis beati Bavonis (p. 23-31).

Contractum ex editis ibid., numm. 24, 25, et num. 27-40 *(libri II)*, p. 298-300. — Ad num. 37 codex inserta habet quæ ponuntur p. 301 sub annotato *m.* Series vero horum miraculorum ita concluditur in cod.: *Hæc pauca de miraculis sancti injuriarum suarum vindicantis.*

4° De operibus pietatis (p. 31-37).

Contractum ex editis ibidem, num. 43-54, pp. 301, 302 *(liber III)*; numm. 44-47 ad verbum leguntur in cod.

5° De prima translatione ejusdem sancti (p. 37-40).

Contractum ex iis quæ tom. cit. edita sunt, pp. 269, 270, num. 80-81. — Hæc addita est nota: *Nec silentio supponendum Dominum Jesum sui militis honori mirum in modum providentem, huc ad ejus domicilium civem ad concivem, militem ad commilitonem, nomine Macharium, eodem tempore pie et devote legantem.*

6° De secunda translatione ejusdem sancti (p. 40-49).

Hæc narratio imprimis complectitur ea quæ tom. citato sunt edita, p. 270, num. 85, a lin. 7: *Tempore veritatis...* Deinde numm. 96, 97 (ibid., pp. 272, 273). Postea sequitur:

Dum miles Dei Bavo in Flandria deportatur, navis symistam Dei subvectans erat in mari. Omnes per intemperiem ex

(1) In margine legitur *Omittatur*.

insperato irruentem periclitari cœperunt et de vita desperare. Unus autem ex monachis, divinæ inspirationis contactus impulsu, confisusque ex sancti Bavonis gratia, arrepto gubernaculo navim provexit per ingentes collisiones fluctuum, solum Bavonem in corde habens et in ore. *O,* inquit, *miserrimi, quid timetis? Ad patronum vestrum quem præsentem habetis et cernitis, oculos non elevatis? Vires resumite et confortamini.* Sic monacho, inspirante sibi Deo, proclamante, sedata tempestate ac fugatis tenebris, stellam quam polum vocant sibi in faciem resplendere respiciunt, eamque secuti incolumes portui succedunt. Benedictus Deus, quod suum Bavonem ad sedem suam Gandensis cœnobii reduxit, tanto honore insignitum, egregie translatum, in novumque feretrum decenter relocatum.

His annectuntur quæ leguntur ibidem num. 101, p. 273: *In ipsa gradientem ...;* deinde miraculum edendum in Appendice. Tandem num. 102, p. 273, et num. 103 usque ad *quem invocavit.*

7° Vita seu passio beati Livini martyris eximii, quam scripsit beatus Bonefacius archyepiscopus Maguntinensis (1) ad instantiam, preces ac relationem discipulorum præfati martyris, videlicet Foillani, Heliæ et Kyliani (p. 51-70).

Vita contracta ex ea quæ legitur apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. II, p. 450-461. — Omissus est insuper in cod. prologus; sed quamquam hinc inde valde contracta est narratio, sub finem tamen Vitæ nonnisi pauca omittuntur.

8° Translatio S. Livini de Holtem in Gandavum (p. 70-77).

Edita apud Mabillon, op. cit., Sec. VI, Parte I, p. 65-70. In codice contracta est. Ex notis adjectis in margine, p. 70, prima translatio facta a Theoderico, Cameracensi episcopo, referenda est in diem *IIII^{tum} Kl. Julii anni VIIIcXLII,* et additur: *anno autem M°VII° paravit Henricus rex expeditionem in Gandenses.*

9° Alia translatio S. Livini (p. 77-81).

Edita in *Act. SS. Belgii,* tom. III, pp. 138, 139.

10° De vita, translatione, adventu ac elevatione S. Landoaldi Romanæ ecclesiæ archipresbiteri, legendam scripsit Nodgerus Trajectensis vel Leodicensis ecclesiæ præsul (pp. 81, 82).

Hæc legenda contracta est ex Vita B. Landoaldi edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Martii, tom. III, p. 35 sqq., scilicet ex num. 3-6 (pp. 36, 37).

(1) Add. in margine.

11° De translatione S. Landoaldi sociorumque ejus (p. 82-84).

Contractum ex iis quæ tom. cit. sunt edita, num. 7-11 (pp. 37, 38).

12° Translatio S^tæ Landradæ (pp. 84, 85).

Contractum ex editis ibidem, num. 12 (p. 38).

13° Adventus S. Landoaldi in Gandavo (p. 85-89).

Contractum ex ibidem editis, num. 12-21 (pp. 41, 42).

14° Elevatio S. Landoaldi sociorumque ejus (p. 89-92).

Contractum ex editis ibidem, num. 14-20 (p. 45-47).

15° Vita S. Macharii Anthiochiæ metropolis Siriæ archiepiscopi (p. 92-112).

Contracta ex Vita conscripta jussu Sigeri abbatis, quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 10 April., tom. I, p. 878 sqq., scilicet cap. I-V.

16° De elevatione [ejusdem] (p. 112-117).

Contractum ex iis quæ edita sunt eodem tomo Aprilis, p. 890-892, num. 57-66. Attamen inde a num. 63 nonnisi pauca quædam in cod. omissa sunt.

17° Legenda S^tæ Landradæ virginis quam scripsit Theodericus abbas (p. 118-131).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Julii, tom. II, p. 625-627. — At in codice inter num. 8 et num. 9 ponuntur quæ ibidem sunt edita p. 624, numm. 31, 32. Deinde post Vitam annexum est in codice (p. 131-132 extr.), nonnullis phrasibus omissis, miraculum quod legitur tom. cit., p. 628, num. 1-3.

XVI. Codex signatus n° 488 (W. 204; St-G. 156).

Codex membraneus, foliorum 94, formæ minoris (0^m,257 × 0,17), satis accurate exscriptus seculo XII extremo. Lineæ plenæ, stylo plumbeo ductæ.

Tituli exarati sunt litteris fere minusculis, rubris. Littera initialis singularum Vitarum aliquantum ornata et variis coloribus (rubro, violaceo et viridi) depicta. Minio item fere designatæ sunt litteræ capitales singulorum capitum, eæque in Vitis S. Apollinaris (5°) et S. Laurentii (6°) majores et alternæ rubræ et virides.

In capite codicis (pag. 1) legitur hæc nota manu seculi XVI: *Ex veteri bibliotheca divi Bavonis ;* in margine inferiori pag. 3 manu seculi XIV : *Passio S. Quintini, XI milium virginum, S. Laurencii, Vita Silvestri, Apollinaris episcopi et Sebastiani martyris et Septem dormientium:* quibus conficitur Index omnium Vitarum hujus codicis, quamvis non eo ordine quo in codice dispositæ reperiuntur.

Præter has Vitas in codice exscripta sunt :

Pag. 134-135, sermo S. Maximi in natale S. Laurentii et pag. 135-137 sermo alter de S. Laurentio.

Pag. 153-159, Ritus administrandi sacramenti Extremæ Unctionis.

Pag. 159-162, Litaniæ pro agonizantibus cum duplici oratione. Quæ litaniæ si comparentur cum iis quæ hodiedum apud moribundos recitandæ indicantur, hæc præcipue notanda occurrunt:

Inter patriarchas solus nominatur S. Joannes Baptista, non vero S. Joseph. Apostolis post S. Marcum adjicitur *S. Martialis*. Deinde post sanctos Innocentes invocantur SS. martyres *Stephanus, Livinus, Brictius, Adrianus, Clemens, Marcellus, Laurentius, Vincentius, Quintinus, Georgius, Mauritius cum sociis suis, Dionysius cum sociis suis, Nicasius cum sociis suis, Leodegarius, Sebastianus, Lambertus, Apollinaris, Marcellinus et Petrus;* SS. confessores *Bavo, Landoaldus, Macharius, Amandus, Amantius, Silvester, Hilarius, Martinus, Nicolaus, Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Eligius, Donatianus, Ansbertus, Ulramnus, Gudwalus, Germanus, Remigius, Vedastus, Audomarus, Folquinus, Silvinus, Benedictus,* cujus nomini adjectum est signum II, quo bis invocandus indicatur, *Maurus, Wandregisilus, Bertinus, Bertulfus, Egidius, Winnocus;* sanctæ denique virgines et martyres *Maria Magdalena, Vinciana, Landrada, Barbara, Pharaildis, Felicitas, Perpetua, Agatha, Agnes, Cecilia, Lucia, Anastasia, Catharina, Amalberga, Gertrudis, Scolastica, Fides.*

Pag. 163-169, Ritus in exequiis monachorum servandus.

Pag. 169-170, *Benedictio ad monachum faciendum, ad succurrendum et ad clericum faciendum.*

Pag. 186-187, *Exorcismus salis et aquæ a sacerdote omnibus diebus dominicis agendus.*

Pag. 187-188, Orationes dicendæ ante fores ecclesiæ et in ingrediendo domum infirmorum.

Præterea, pag. 171-178 et pag. 178-185, officia S. Landoaldi et S. Livini pulchre descripta et notis musicis, quæ lineis quatuor (harum secunda rubro, aliæ tres viridi colore ductæ) innituntur, insignita. Utrumque in Appendice ad hunc Catalogum edendum duximus.

1° Passio S. Quintini martyris (pag. 2-9).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 781-783.

2° Inventio corporis ejus prima (pag. 9-11).

Edita ibid., p. 785-786.

3° Item Inventio (secunda) (pag. 11-15).

Edita ibid., p. 740-741, num. 52-55.

4° Vita S. Sebastiani martyris (pag. 15-63).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., t. II, p. 265-278.

5° Passio SS. Septem Dormientium (pag. 63-77).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 252-259. — Sed hinc inde in codice contracta est.

6° Vita S. Silvestri papæ urbis Romæ (pag. 77-110).

Edita apud Mombritium, t. II. — At in codice prior pars Vitæ prolixior est : insertum enim habet additamentum quod edidimus in Catalogo codicum hagiograph. Bibl. regiæ Bruxell., ad codicem 64, 7°. Ad eamdem priorem partem refertur in codice triumphus quem de pestifero dracone divina virtute B. Silvester est consecutus, dum apud Mombritium, non paucis temporum adjunctis immutatis, legitur sub finem Vitæ. In posteriori Vitæ parte disceptatio quam cum magistris Judæorum iniisse fertur sanctus pontifex, contractior exhibetur, et præterea omissum est quidquid in Vita edita sequitur historiam tauri a morte suscitati.

Notandum quoque ex codice Euphrosynum esse episcopum *Pamphiliæ*, Helenam ex *Bethania* ad filium Constantinum litteras dedisse, magnam illam judæorum et christianorum congregationem Romæ *die Iduum Augustarum* obtinuisse eique interfuisse *quadraginta quatuor episcopos* christianos.

7° Passio S. Apollinaris episcopi (pag. 112-126).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Julii, t. V, p. 344-350. — At ut plurimum omissa sunt in codice quæ in edita notantur signo [ ], et præterea num. 10 verba : *civis Classis.*

8° Passio S. Laurentii archydiaconi (pag. 126-133).

Edita apud Mombritium, t. II. — In codice sic incipit : *Milites ergo tenentes beatum Laurentium archydiaconum, duxerunt et tradiderunt eum Artemio tribuno.*

9° Passio sanctarum undecim milia Virginum (pag. 139-152).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., t. IX, p. 157-163. — Sed ultima verba num. 22, videlicet : *Passæ sunt anno 238*, in codice omissa sunt.

XVII. Codex signatus n° 499 (W. 205; St-G. 154).

Codex membraneus, foliorum nunc 126 (1), formæ minoris (0m,258 × 0,18), duplici columna, lineis stylo plumbeo ductis. Diversæ partes fere diversis manibus seculi XII et seculi XIII exaratæ (2). Tituli minio, litteræ initiales etiam rubro colore vel viridi insignes, raris admodum aliis ornamentis, iisque valde sobriis nec elegantibus. Ultimum folium in fine singularum Vitarum passim ex parte vacuum relictum.

(1) Horum 111 priora manu antiqua (sec. XII vel XIII) notata (in singulis foliis versis) reperiuntur. Sequuntur deinde folia manu eadem notata CXIX et CXX, foliis intermediis amissis; deinde continuata est manu recenti et graphide scripta series foliorum usque ad CXXXIII, folio ultimo sine notatione relicto. Alia vero manus recens seriem paginarum summis foliis rectis adscripsit usque ad 251. — (2) Nisi quod miracula S. Gerulphi quæ seculo XIV et XV contigerunt, manibus coævis adjuncta sunt (fol. 110r-111v).

Ultimo folio recto, seu paginæ 251, inscripta est hæc nota manu seculi XVII: *Liber Alti monasterii beatæ Mariæ Trunchiniensis;* exteriori vero involucro in capite codicis in angulo summo ad dextram numerus 205, paulo inferius *Levens ende Mirakelen* ac denique in parte ima *Tom. I.*

Folium 1r exhibet Indicem contentorum et in parte inferiori hanc duplicem annuntiationem, manu seculi XV:

Pridie Ydus Julii. In Tronchinio natalis beati Basini regis et martyris, qui, ut patres nostri veridica, ut credimus, narratione narraverunt nobis, primus fundator Alti monasterii sancte Marie in Trunchinio extitit, similiter et duarum capellarum quarum altera in honore beati Johannis Baptiste, altera in honore beati Petri consecrata est.

VIII° Ydus Octobris. Truncinis adventus sancti Gerulphi martyris.

Folii 56r spatium vacuum repletum est versibus latinis et flandricis manu seculi XVI descriptis, qui et iidem leguntur fol. 133v. Alii versus flandrici quatuor leguntur in ima parte folii ultimi recti, et denique in extrema parte folii 133r antiphona in honorem S. Augustini.

1° Vita S. Nicholai (pag. 2-42) (1).

Hæc Vita qualis in codice legitur partim edita est apud Carminium Falconium, *S. Nicolai Acta primigenia*, partim apud Mombritium, tom. II, partim in *Analectis Bollandianis* (2), hac quidem serie:

Initio leguntur numm. I-XI Vitæ auctore Joanne diacono, apud Carminium editæ (p. 112-119), adjecta prima phrasi num. XII, sed omissis ultima phrasi num. IX et priore parte num. X usque ad hæc verba: *apud regium exactorem.* (Num. XII in codice legitur *Aytacifala* pro *Aitaiphala* et *Aspilionem* pro *Arpilionem*). — Inde incipit narratio eorum omnium mirabilium quæ contigerunt in militia illa de qua dicitur initio numeri XII. Edita est hæc narratio apud Mombritium, t. II; sed pro: *Hoc veredarius et famulus Christi audito,* legitur in codice: *Hoc vero clarius servus Christi audito,* ac pro *Ablavium quem Achivi aparchum,* in codice *Ablasium quem Achivi eparchum.* — His subjunguntur ex iis quæ apud Carminium, p. 126 in nota leguntur sub voce *Admonitio,* scilicet *Qui venientes,* etc. cum num. XIV, ibidem subsequente, deinde numm. XIV-XX (p. 122-124); sed num. XVIII hæ lectiones variantes notentur: *qui est apud hebræos decimus... quinta decima indictione... Justiniano anno trecentesimo et nono a passione Domini.* — Postea leguntur miracula duo quæ edita sunt in *Analect. Bolland.,* in Append.

(1) Quum, ut modo notavimus, notatio seriei foliorum aliquantum perturbata sit ex amissione nonnullorum foliorum, potius sequendam duximus notationem paginarum manu recenti recte omnino adscriptam. — (2) Scilicet in Catalogo codicum hagiographic. Bibl. public. Civit. Namurc.

ad Cod. Namurc. 15, n. 58°. — Tandem apponuntur textus quem edidit Carminius numeri xxi et xxii (p. 124-126), cum num. xv (p. 126). Ante *Explicit vita* (codicis pag. 42) hæc scripta est prosa:

Exultet aula celica,
lætetur mundi machina,
dum refert solis orbita
Nicolai sollempnia.

Qui vagitus infantiæ
decoravit mirifice,
dans virtutum primordia
inter ortus crepundia.

Quarta cum sexta feria
semel sugebat ubera,
jam in ætate tenera
hac usus abstinentia.

Cujus tumba fert oleum
matris olivæ nescium:
quod natura non protulit,
marmor sudando parturit.

O venerande pontifex,
pius nec tardus opifex
cunctis qui corde credulo
te quærunt in periculo:

Aufer mortis dispendia,
confer vitæ stipendia,
quo post carnis exilia
tecum simus in gloria.

Præsta, Pater ingenite,
Jesu cum sacro Flamine,
ut Nicolai precibus
jungamur in cœlestibus.

2° Hujus imitabilis conversionis actuumque et morum vitam et pœnitentiæ magnum virileque certamen venerabilis Mariæ Egyptiacæ qualiter in eremo expleverit tempora vitæ de greco transtulit in latinum Paulus venerabilis ac Deo dignus diaconus sanctæ et gloriosæ Neapolis ecclesiæ (pag. 42-66).

Edita apud Surium ad d. 2 Aprilis. — Sed codex non paucas exhibet lectiones variantes.

3° Translatio S^tæ^ Mariæ Magdalenæ (pag. 66-73).

Titulus hic totam rem non prodit. Nam ipsi Translationi præfigitur Vita una cum prologo, prout edita exstant apud Faillon, *Monuments inédits sur l'apostolat de Ste Marie Madeleine,* tom. II, p. 433-436. Deinde sequitur Translatio, sed textu passim prolixiore quam edita est ibidem, p. 745-752. Vid. Append.

4° Passio S^tæ^ Julianæ (pag. 73-77).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Feb., t. II, p. 873-877. — At in codice contracta exhibetur hocce modo:

Num. 1. *Temporibus Maximiani... puellam nomine... christianorum. Juliana... intelligeret. Eleusius autem transactis...*

Omissi sunt numm. 2, 3. — Num. 4, omissa parte priore, incipit his verbis:

Tunc præfectus jussit eam per capillos... perfundi, et sic eam in carcerem recipi. — Num. 5 om. — Num. 6 incipit : *Ubi oratione facta, dæmon veniens in figura... Juliana mea pessima moriaris. Juliana autem clamavit ad Dominum et dixit.* — Num. 17... *loqui : Ego sum Jopher niger de malis malignus malis, oblectans homicidiis... Patras.* — Num. 8 sic contractus est : *Sancta Juliana dixit : Omnia opera injusta quæ fecisti enarra mihi. Dæmon respondit : Sic ingredimur ad hominem Dei.* — Num. 10 incipit a verbis : *Tunc sancta Juliana ligavit.* — Num. 11 desinit his verbis : *signaculum Christi interfeci, sed reus omnia mala feci.* — Numm. 12 ad 16 omm. — Num. 19 sic contractus : *Audiens autem sancta Juliana, gaudens valde* (Num. 20) *dum appropinquasset finis certa minis ejus, cœpit dicere præsentibus christianis...* — Num. 21 omissa sunt hæc verba : *Sephonia senatrix,* et ultima phrasis ita in codice legitur : *Posita autem beata Juliana miliarium a mare.* — Num. 22 in cod., *triginta quatuor* pro *viginti quatuor.*

5° Passio SS. MM. Crisanti et Dariæ (pag. 77-88).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469-484. — Prologus deest.

6° Vita beatæ Brigidæ (pag. 88-105).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 118-134. — Sed in codice omissi sunt numm. 42, 44-49, 51, 54, 56-58, 60-67, 74-80 ; num. 81 legitur in fine. Præterea omm. numm. 82-89, 91-103, tres priores phrases num. 104, ultima num. 105 cum numm. sqq.

7° [Miracula duo S. Nicolai] (p. 107-109).

Primum editum est apud Vincentium Bellovacensem, *Speculum Historiale,* lib. XIV, cap. LXXXI. Alterum ineditum, ut videtur. Vid. Append.

8° Passio S. Basini regis et martyris, quæ est II Idus Julii (pag. 109-111).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 14 Julii, t. III, pp. 701, 702. — Sed in codice pro *VI Kal. Februarii* (p. 702, num. 10), manu recenti correctum legitur *XII Kl. Julii.*

9° Vita S. Silvestri (pag. 112-137).

Edita apud Mombritium, t. II. — Prologus in codice passim contractus legitur. Ex ipso diceres Eusebium mandasse ut Vita S. Silvestri latine verteretur. Liber I qui continet omnia quæ disputationem cum Judæis antecesserunt, hoc præcipue a Vita edita discrepat quod inserta habet quæ jam edidimus in Catalogo codicum hagiograph. Bibl. regiæ Bruxell., ad codicem 64, 7°. Deinde pro *Propinna Tarquinius* legitur *Porsenna Tarquinius ;* Euphrosynus nuncupatur *episcopus Pamphiliæ ;* Helena, suppresso Bithyniæ nomine, dicitur litteras dedisse ad filium constituta *in partibus Orientis ;* tandem ex cod. facta est congregatio illa judæorum et christianorum *Constantino quarto et Licinio consulibus.* In libro II, qui incipit in codice p. 125, tum disputatio cum Judæis contrahitur, tum ea omnia sunt omissa quæ in Vita edita latam legem de religione christiana ab omnibus amplectenda subsequuntur.

10° De sancto Nicholao (fol. 137-141).

Prolixa narratio miraculi quod operatus est beatus vir ut e servitute Agarenorum quemdam puerum liberaret. Cfr. dicta ad cod. 289 (St-G. 622), 36°.

11° Passio SS. Crispini et Crispiniani, VIII Kal. Nov. (pag. 143-148).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537. — In codice num. 1 legitur *Quintinus, Lucianus ;* num. 2 (p. 536, lin. 9) *Qui adveniens a Maximiano interrogatus ;* et num. 6 *Axona.*

12° Passio sanctæ Cristinæ virginis, quod est VIIII Kal. Augusti (pag. 148-158).

Ea est de qua in *Analect. Bolland.*, tom. I, p. 517, 72°. — Hic in codice desinit in verbis : *imperatore Diocletiano,* ceteris omissis.

13° Translatio corporis beati Nicholai Myrreorum Lichiæ archipresulis (pag. 159-194).

Eadem narratio quæ legitur in codice Gand. 289 (622), 34°, præter quædam minutiora notanda in Appendice ad hunc codicem 289. — Pag. 186, post translati sancti corporis narrationem, subsequuntur sine ulla titulorum distinctione miracula quatuor. Duo priora in Appendice requiras. Tertium est ipsum miraculum de quo priori loco diximus modo ad num. 7°. Quartum idem est de quo item supra ad num. 10°.

14° Passio S. Gerulphi, quæ est undecimo Kal. Octobris (pag. 195-202).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 21 Sept., tom. VI, p. 259-263. -- Prologus deest.

15° Adventus S. Gerulphi (pag. 202-219).

Editus ope hujus codicis ibid., p. 264-269.

16° [Miracula recentiora S. Gerulphi] (pag. 219-222).

Inedita. Vid. Append.

17° Lectiones sex de historia festi Conceptiónis B. Mariæ (pag. 224-226).

In istis lectionibus narratur (cfr. supra ad cod. 245, 13°) quomodo festum hoc institutum fuerit. Et primo quidem tempore Gulielmi Conquæstoris hanc festivitatem celebrari cœpisse refertur prout legitur in *Legenda Aurea* (ed. Coloniensis 1483 fol. 229), quibusdam tamen immutatis ; nam in codice sic incipit narratio (cfr. Migne, P. L., t. CLIX, p. 323) :

Tempore quo Gwillermus, Northmannorum dux potentissimus, prostrato sibi Anglorum rege Geraudo, ipsos Anglicos bello strenue superando sibi subjecerat, erat quidam abbas, Elsinus nomine, in ecclesia apostolorum Petri et Pauli, ubi sancti Augustini ceterorumque archiepiscoporum sibi suc-

cedentium corpora requiescunt. Hic igitur abbas Elsinus certis ex causis in Ramesiensem promotus ecclesiam...

Deinde refertur hanc festivitatem institutam fuisse tempore Caroli, regis Francorum, a quodam clerico, Hungariæ regis germano. Tandem, ut videre est in *Leg. Aurea* (ed. cit. fol. 230), hujus festivitatis auctor canonicus quidam asseritur.

18° Vita S. Augustini (pag. 227-249).

Vita auctore Philippo de Harveng, abbate Bonæ Spei, edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1205-1234. — Per oscitantiam compactoris duo folia ordine inverso transposita sunt, scilicet pag. 243-244, legendæ post pag. 245-246.

XVIII. Codex signatus n° 534 (W. 207; St-G. 159).

Membraneus, foliorum 58, formæ mediocris ($0^m,28 \times 0,225$), columnis binis, exaratus extremo seculo XIII.

Continet Gerardi de Fracheto librum *de Vitis fratrum* partibus quinque, quas ita (post prologum) describit auctor (fol. 1r, col. 2 extr.) : " Libellus iste qui Vitas *(sic)* fratrum intytulari potest, compilatus est de diversis narrationibus quas fratres multi Deum timentes et fide digni conscripserunt fratri Humberto, magistro Ordinis. Habet autem partes V. Prima continet de pertinentibus ad inchoationem Ordinis. Secunda multa *(sic)* de beato Dominico quæ non continentur in ejus legenda. Tertia de magistro Jordane. Quarta de progressu fratrum. Quinta de egressu fratrum de hoc mundo. "

Unicuique parti præmittitur index capitulorum, quorum tituli deinde ante singula repetuntur, minio exarati. Initio prologi et singularum partium littera capitalis major ornata et variis coloribus distincta. Initio capitulorum litteræ capitales minores, alternatim rubræ et cæruleæ.

In margine inferiore folii primi recti adscripta est hæc nota, manu seculi XVI : *Fratrum predicatorum Franckfordie.* Fol. 41r in fine partis quartæ, manu item recentiori : *De Johanne Agno, forsan Lammens Gandensi quondam Priore 1272 in calce hujus libri.* Et revera in fine totius codicis legitur hæc notitia de Joanne Agno :

Alios inter beatos conventus Gandensis reconditus sub dio beatus Johannes Agnus, qui tantæ sanctitatis fuit ut etiam vivens miraculis claruerit. Unde tam celebris olim est habitus ut hodie Insulis et Brugis in tapetibus inter beatos ordinis habeatur et ostendatur. Verum quot et quibus inclaruerit miraculis aut non animadverterunt majores aut annotata devastavit incredulorum barbaries sive rabies. Omnibus tamen notissimum quod in conventus Gandavensis refectorio depictum fuit authentice. Nempe cum tota insula dicta Goess istius conventus terminus esset sive districtus, eoque

soleat concionatores mittere, accidit in parochia dicta Elfdijc esset solennis supplicatio qua crux Domini circumferretur, quæ maximo non abs re habebatur in honore, ut[1] missus eo beatus Joannes Agnus, propter tempestatem nimiam nullus nautarum se freto committere vel auderet vel vellet. Quamobrem modum non alium muneris ad quod missus peragendi superesse ratus, Domino fidens, extimam vestem pullam expandit super iratum mare, stansque super eam cum socio tertiano flectente genua, signo crucis prius edito, trajiciunt inter vorticosos fluctus tranquilli. Dum igitur sic sunt, pastor, custos et æditυus toti hærent in ecclesia compurganda ornandave. Labitur tum vox ad eos hujusmodi : *Honorate vos hunc Deus quem sic glorificat. En, concionator vester venit.* Edito mox signo convocatus populus duobus fratribus pro navi capa utentibus obviam processit crucemque suam addeduxere, huic [2] asserere prodigium hoc conantes, depicta hujus actionis serie ad parietem ecclesiæ. Porro hic beatus obiit anno partus virginei millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, uti habetur in catalogo defunctorum conventus Gandensis, quondam [3] prior circa annum Domini MCCLXXII.

Liber Gerardi a Fracheto de quo diximus modo, prodiit, testibus Echard et Quetif *(Scriptores Ordinis Prædicatorum,* tom. I, p. 260) Duaci 1619, 4° et Valentiæ Aragonum 1657. Tertia pars hujus libri (p. 27-44) in qua describitur Vita B. Jordani, secundi generalis Ordinis Prædicatorum, edita est in *Act. SS.,* ad d. 13 Feb., tom. II, p. 725-734. Et hæ præcipue notandæ veniunt lectiones variantes: scilicet num. 4, lin. 5, om. in cod. hæc verba : *licet non esset multum pecuniosus,* et lin. 7, pro *primo,* cod. *primo mane ;* num. 6, lin. 6, pro *videbat enim in claustro,* cod. *videbat enim in sompnis in claustro ;* num. 7, lin. 3, post *Christo* ita pergit cod. : *Quod adeo sæpe fecit, quod super hoc...* Num. 10 et 11, leguntur in codice nomina locorum *Ursatia* et *Zugir* (cfr. tom. cit., p. 727, annot. *a* et *c*) ; num. 12, pro *Vren,* cod. *Bren ;* num. 15, lin. 3, inter *Bononiæ* et *faciebat* inseritur in codice vox *sæpe ;* num. 19 cod. *in quodam conventu vicino Bononiæ* (cfr. ibid., p. 728, ann. *a*); num. 20 om.; numerus 47 præponitur numero 46; ac tandem omm. numm. 66-77.

Insuper notetur multum discrepare hunc codicem ab exemplari autographico quod in præparationem ad criticam editionem operis Gerardi edidit P. Cormier, Ord. Præd., ex originali, ut videtur, ms. bibliothecæ Chisianæ. Speciminis gratia lectori proponimus ex editione autographica collata cum codice Gandavensi (quem signabimus littera *G*) quod refertur de B. Manne, fratre S. Dominici, a deces-

[1] *sic nunc post corr. ; prius forsan* et. — [2] *sic.* — [3] Quondam *usque ad finem alia manu.*

soribus nostris ad d. 11 Martii inter Prætermissos reposito, sed decreto 26 Aprilis 1834 inter beatos annumerato.

[S. Dominicus] habuit... sed et duos fratres germanos [1] valde perfectos, qui [2] referuntur in vita et post mortem claruisse miraculis... alter vero frater, Mannes dictus, vir contemplativus et sanctus, Deo diu in Ordine serviens bono fine quievit. Hic obiit et quiescit in monasterio quodam monachorum Alborum in Hispania, ubi virtutibus et miraculis claruit. Sanctus ibidem reputatur, et honorabiliter custoditur prope altare, ibidem habens venerabile sepulcrum [3].

XIX. Codex signatus n° 537 (St-G. 596).

Membraneus, foliorum 142, formæ mediæ (0m,30 × 0,18), lineis plenis graphide plumbea ductis, exaratus seculo XII. Tituli et litteræ initiales minio designata; ceterum ornamenta nulla.

Fol. 1r in margine superiori legitur hæc nota, scripta manu seculi XVI : *In hoc volumine continentur sermones legendi in officio matutinali a festo Omnium Sanctorum usque ad diem festum Paschæ.*

Et fol. 3, in margine inferiori : *De Scriptorio abbatis de Cambrone.* Hæc simili modo repetitur singulis tertiis vel quartis foliis usque ad finem codicis.

1° Vita S. Martini episcopi et confessoris (fol. 6r-10v).

Collecta in unum ex variis fragmentis. 1° Ex cap. 2-4 Vitæ S. Martini auctore Sulpicio Severo *(Corpus Scriptorum ecclesiasticorum Latinorum,* Vindobonæ 1866, t. I, p. 111-115). 2° Ex numm. 6 et seqq. epistolæ tertiæ ejusdem auctoris (ibid., p. 147-151) : præbet cod. lectionem quæ notatur p. 149, num. 19. 3° Ex capite XLIII libri I *Historiæ Francorum* auctore Gregorio Turonensi, (apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184-186). Tandem 4° ex capp. IV et V libri I de Miraculis S. Martini (ibid., pp. 918-919).

2° Passio Stæ Cæciliæ virginis (fol. 10v-12r).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. I.

Inc. *Christum Dominum secuti sunt priores* (p. 1, col. 2, lin. 17 a fin.). Desinit vero : *remisit eum ad Ceciliam diligenter instructum* (p. 2, col. 1, lin. 4).

3° Passio S. Clementis martyris (fol. 13r-14r).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. I, scilicet 1° ab initio (ubi tamen cod. refert Clementem quartum præfuisse Romanæ ecclesiæ) usque ad *rationalibus complacebat* (p. 1, col. 2, lin. 12 a fin.). Deinde habentur in cod. quæ tomo

[1] (f. g.) germ. frat. *G., qui et add.* viros. — [2] (qui-miraculis) *om. G.* — [3] (Hic-sepulcrum) *om. G.*

cit., p. 3, col. 1, lin. 4 a fin.: *Tunc comes sacrorum Publius Tarquinius* (cod. *Torquatianus*), usque ad *juxta rationem committat* (p. 3, col. 2, lin 6 a fin.),

4° De S[ta] Felicitate (fol. 14[r]-14[v]).

Desumptum ex homilia S. Gregorii Magni in Evangelium S. Matthæi, cap. xii, vers. 46-50, edita apud Migne, P. L., tom. LXXVI, p. 1086-1088, scilicet num. 1-3, præter ultimam phrasim *(Vicit ergo...)*.

5° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 15[v]-17[r]).

Fragmentum Passionis editæ apud Surium ad d. 30 Nov., scilicet cap. i-vi. — Hoc ultimum caput abrumpitur medium in his verbis: *permanet et immaculatus et vivus*. Præterea desunt priora verba cap. i *(Passionem-vidimus)*.

6° Vita S. Nicolai episcopi et confessoris Christi (fol. 18[v]-21[v]).

Fragmentum Vitæ editæ apud Carminium Falconium, *S. Nicolai Acta Primigenia*, p. 112 sqq., scilicet: duæ priores phrases num. ii (*Nicolaus-incolitur habitatore*); num. iii ab initio usque ad: *tamque ea quæ sunt* (p. 114, col. 2, lin. 14); num. iv ab initio usque ad *lateret quibus fiebat* (p. 115, col. 1, lin. 22); num. xvii, et num. xviii ab initio usque ad: *qui est December* (p. 123, col. 2, lin. 3 a fin.). Manu recentiori addita sunt quædam ex num. v (*Nactus-discessit*. Et *Mane-de inopinata sua exaltatione*), ceteris om. Ex num. vi: *Celebratis-peregit opus*. Et *Ubi vero-succubuisset*. Et *Interea paucis admodum-indicaret auctorem*, ceteris om. Ex num. vii: *His ita transactis-antiquis per omnia comparanda*. Tandem num. viii.

7° Vita S. Autberti episcopi et confessoris (fol. 22[r]-24[r]).

Fragmentum Vitæ auctore Fulberto, editæ in *Act. SS. Belgii*, tom. III, p. 538 sqq., scilicet § 1, num. 1-5. Hic numerus sub finem desinit in his verbis: *nullo solus exercuit*.

8° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 25[r]-26[r]).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II, scilicet ab initio usque ad hæc verba: *convivas advocabat* (p. 2, col. 1, lin. 6 a fine).

9° In natali S. Joannis apostoli et evangelistæ (fol. 52[r]-54[r]).

Hujus sermonis priori parte exhibetur brevis historia S. Joannis ex traditionibus vulgo receptis, etiam apocryphorum, quam tamen hisce verbis expressam nusquam reperimus, ac proinde in Appendice describendam duximus; posteriori vero parte longe fusius historia illa de juvene converso quæ legitur apud Eusebium, *Hist. Eccl.* lib. iii, cap. 24.

10° Passio S. Marcelli papæ (fol. 84[v]-86[v]).

Fragmentum Passionis auctore Ursione, abbate Altimontensi, editæ in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan, tom. II, p. 9 sqq., scilicet num 5-8 ac num. 15-19; sed prima phrasis num. 15 om.

11° Passio S. Sebastiani et comitum ejus, qui passi sunt Romæ XIII Kl. Febr. (fol. 86v-88v).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, add. 20 Jan., tom. II, p. 265 sqq., scilicet num. 1-9, sed desunt ultimæ lineæ num. 9 *(cujus quamvis sæva-parvulorum)*.

12° Passio S^tæ^ Agnetis virginis (fol. 89r-91r).

Fragmentum Passionis auctore S. Ambrosio, editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351 sqq., scilicet num. 1-7; sed om. ultima phrasis num. 7 *(Sicut enim illi igne ...)*.

13° Passio S. Vincentii archidiaconi et martyris (fol. 91r-93r).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394 sqq., scilicet num. 1-10; hic numerus desinit in *esse profiteor*, reliqua om.

14° Vita beatæ Aldegundis virginis (fol. 96r-97v).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 30 Jan., tom. II, p. 1035-1040, scilicet num. 2-5. Desinit in his verbis num. 5: *quam filium Dei.*

15° Passio S^tæ^ Agathæ virginis et martyris. Quod est Nonas Februarii (fol. 101v-102v).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615 sqq., scilicet num. 2-6. Abrumpitur numerus 6 medius in his verbis: *tormenta despiciam.*

16° Vita S. Ansberti pontificis Rotomagensis (fol. 104v-106r).

Fragmentum Vitæ auctore Aigrado, editæ in *Act. SS.*, ad d. 9 Feb., tom. II, p. 347 sqq., scilicet num. 2-7.

17° Vita beati Gregorii urbis Romæ pontificis (fol. 111r-112r).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130-137, scilicet num. 1-4.

18° Vita S. Benedicti abbatis et confessoris (fol. 113r-114r).

Fragmentum Vitæ auctore S. Gregorio Magno, editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 277 sqq., scilicet initium usque ad hæc verba: *congruentibus ministrare non desiit.*

19° [Prosa de S. Martino] (fol. 141v).

Edita apud Lecoy de la Marche, *Saint Martin* (Tours 1881), pp. 687, 688.

20° [Prosa de] Spiritu sancto (fol. 141v).

Laudes Deo devotas
dulci voce ac sonora
plebs resultet catholica

Spiritu sancti gratia
apostolis die hodierna
in igneis linguis est infusa

Paracliti presentia
emundet nos a peccati macula
pura sibi aptans habitacula
carismatum ac munera
pectoribus nostris pius infundat
vita nostra eis ut complaceat
per seculorum secula
dum cantemus alleluia
sit Deo laus, potestas,
honor, virtus et gloria. Amen.

XX. Codex signatus n° 562 (St-G. 169).

Chartaceus, foliorum 104, formæ minoris (0m,132 × 0,92), nitide exaratus manu seculi XVI.

1° Prologus Nicholai canonici ecclesiæ beatæ Mariæ et sancti Lamberti quæ est in Leodio in vitam et passionem beati Lamberti martyris (fol. 2r-6v).

Editus in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, pp 602, 603, nisi quod in codice num. 3 Godescalcus non *diaconus*, sed *ejusdem ecclesiæ decanus* dicitur.

2° Inde sequitur vita (fol. 6v-74r).

Edita ibid., p. 603-617.

3° De quibusdam miraculis et malo exitu sacrilegi Dodonis et sociorum ejus (fol. 74r-76r).

Constat num. 57 edit. tom. cit., p. 600, num. 58 *(His augebatur recens-transfixus fuit)*, numm. 27 et 28 (p. 579), sed cum nonnullis variantibus lectionibus, adjectis quæ leguntur de Dodone in prima phrasi num. 56 (p. 600) ac de Alpaide (pagg. sqq.). Alpaidis secundum codicem pœnitentiam egit et monasterium construxit in quo se pœnitentem reclusit.

4° De translatione S. Lamberti a Trajecto ad Leodium ubi nunc devote ab omnibus adoratur (fol. 76r-82v).

Incipit :

Nunc suffragante Deo narrare voluimus de translatione corporis sancti Lamberti præsulis et martyris ad locum passionis ejus. Anno namque ordinationis beati Huberti episcopi duodecimo crebras prodidit prolatas beatus iste confessor Christi Hubertus sub noctis quiete visiones, quibus se dicebat commonitum uti corpus sancti Lamberti a Trajectensi oppido levaret et in locum quo celebratam ejus passionem nosset, transferret. Beatus etiam Lambertus cuidam alteri venerabili viro... *(pergit ut tom. cit., num. 29, p. 580)*... sonitu *(num. 30)* concinens, sanctum corpus prosequebatur. Refo-

cillata *(num. 31)*... qui dicitur Vinella contigit... sani efficiuntur *(num. 32)*, et aliis diversis *(num. 33)*... revertuntur.

Fuit in pago Taxandriæ quem præstante Deo idem pretiosus martyr et pontifex Lambertus dum adviveret ab idolatria primus ad fidem catholicam converterat, fuit, inquam, virgo nobilis et ingenua, sancta Oda, magnarum divitiarum et possessionis non modicæ, sed occulto Dei judicio a multis jam annis oculorum privata officio. Hæc audita opinione beati Lamberti, primi suæ patriæ apostoli, quomodo videlicet per gratiam in curandis infirmis et ceteris virtutibus ac miraculis excelleret, desiderio desiderabat sepulcrum attingere, si forte Deo placeret et beato martyri tantorum eam beneficiorum participem fieri. Vocatis itaque suis, votum consiliumque suum eis aperuit, nec in longum quin perficerentur quæ cogitabat distulit. Iter agebat, nondum tamen ad locum usque destinatum pervenerat, cum ecce clivum montis subiit, unde eminus in prospectu subtus in valle ad quam tendebat, videri ecclesia beati Lamberti poterat. Hic paululum substitit descendensque de vehiculo tendebat si quomodo posset pervenire pedibus eo gestiebat animus prius; tum quoqueversum circumferens oculos, ut mirarentur qui aderant quæ non videret quomodo sic omnia oculis percurreret. Cum subito, quod mirabile dictu est, a circumstantibus quærebat essetne ecclesia beati Lamberti quam eminus prospiceret digitoque in valle subtus *(cod.* subditus) ostenderet. Stupebant primo qui aderant, intuentes ne forte in amentiam incidisset, eo quod non videret et tamen verbis modisque ut erant omnia describeret. Non quod id amentia valeat, sicut nec mustum efficiebat ut variis linguis loquerentur quos in Actibus apostolorum Spiritus sanctus repleverat, sed *(cod.* si) vulgaris ac popularis talis et sermo est et opinio. Vulgariter itaque et populariter sic frementibus his, instabat illa nihilominus quod considerat quærens, et quæ cæca servorum manibus advecta fuerat viam capiebat, nec viæ ducem ulterius requirebat, ut jam non sequeretur sed comites ipsa suos præcederet, donec recto itinere pede inoffenso una cum populi frequentia magnaque laudum hymnorumque consonantia diu desideratum sancti martyris sepulcrum contingeret. Ubi etsi non quantas voluit ac debuit, tamen quantas potuit gratiarum actiones Deo beatoque martyri Lamberto pro beneficio sibi divinitus exhibito reddidit.

Inde, post narrata quæ leguntur tom. cit., num. 61, p. 601: *Hic sanctus martyr...*

morte, subsequitur num. 63 (tom. cit., p. 601), usque ad hæc verba : *vel post eum inter Francorum reges major fuit.* — Et additur statim :

Sed quia longum est et tædiosum singula sancti Lamberti miracula enarrare, plurimum Dei per eum operantis potentiam laudemus universaliter. Amen.

5° Excidium urbis Leodinorum authore Jacobo Picolo primo Cardinali Papiensi (fol. 83).

Si titulus ille verum refert auctorem, probabiliter edita est narratio in libro cui titulus : *Jacobi cardinalis Papiensis Commentariorum libri VII*, Mediolani 1506, apud Alexandrum Minutianum ; nam ibi fol. 1v legitur : *Eam* (urbis ruinam) *ego non abs re censui quarto huic libro mandandam, quo nostris pontificibus esse documento possit.* — Incipit :

Inter plurima acta gestorum Italiæ lacrimabile interim nuntium Romam affertur, quo animi omnium non mediocriter sunt contristati. Significatum est enim civitatem Leodiensem, magnitudine atque opibus claram, quæ in omni casu Ecclesiæ fidem Romanæ sedis erat secuta, ferro atque igni ad internitionem deletam.

DE CULTU S. MARTINI

apud Turonenses extr. sec. XII

EPISTOLÆ QUATUOR.

Inter opera Guiberti Gemblacensis in codice bibliothecæ regiæ Bruxellensis 5527-5534, exarato manu ineuntis seculi XIII (1), itemque in codice 428-442, extremi seculi XV, quinque leguntur epistolæ ad Philippum archiepiscopum Coloniensem (an. 1167-1191) de cultu S. Martini apud Turones, quarum una tantum, ab ipso Guiberto Turonibus (2) missa, edita prostat apud Martene et Durand (3). Ceterarum prima debetur Herveo, abbati Majoris Monasterii, secunda et tertia Rainaldo, thesaurario capituli basilicæ Sancti Martini, quarta rursus ipsi Guiberto. Nonnulla ex hac ultima excerpta vulgavit v. cl. Dom. Franciscus Chamard O. S. B. in opusculo suo de S. Martino ejusque Ligugiacensi cœnobio (4). Integras illas ex utroque prædicto codice (5) inserere visum est *Analectis* nostris, quippe quæ non solum, quamvis præcipue, supplendis iis quæ in jam editis in opere nostro Actis et Commentariis desiderentur, sed etiam præparandis quæ aliquando edentur, intenta sint.

1. Venerabili patri et domino Philippo, Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, fratres capituli Majoris Monasterii et eorum humilis minister, frater Herveus, fungi sacerdotio et habere laudem in nomine ipsius qui sacerdos existens et hostia, sanctorum est gloria sacerdotum. — Beatitudinis vestræ litteras, pater sancte, vidimus, legimus, gavisi sumus, salutationis vestræ gratiam nobis esse salutis occasionem credentes. Immensas itaque Deo nostro referimus gratias cui in nobis licet immeritis ita nomini suo dare gloriam placuit, ut austro flante et perflante Martini hortum, sic fluant aromata [1] ut bonæ opinionis

[1] *add.* illius 2.

(1) De quo cfr. *Anal. Bolland.*, tom. I, p. 598. — (2) Guibertus ibidem versabatur anno 1181. Cfr. *Précis historiques*, an. 1881, pp. 25, 26. — (3) *Thes. Nov. Anecdotorum*, tom. I, p. 617. — (4) *Saint Martin et son monastère de Ligugé* (Poitiers 1873), p. 390. — (5) Singulos in variantibus lectionibus annotandis distinximus secundum ordinem antiquitatis numeris 1 et 2.

odor suavissimus etiam ad notitiam pervenerit aquilonis. Vos enim sub aquilone positi sed mirum in modum fidei calore, devotionis fervore, etiam in ipsa frigiditate flagrantes [1], æmulamini charismata meliora. Nos vero, nomen habentes quod vivamus et mortui existentes, licet [2] alas nostras ad austrum expanderimus, torporis tamen et negligentiæ, proh dolor, frigoribus congelamur [3]. Unde non ex meritorum nostrorum floribus spirat redolentis famæ suavis opinio quam piis avidæ mentis naribus attraxistis; sed revera vernant apud nos fragrantiæ [4] spiritalis lilium et amœnitatis incomparabilis rosa, quorum alterum in virgineo Martini corpore, alterum in ipsius ineffabili caritate intelligimus, cujus sumus, si gloriari oportet, præsentia nobiles, advocatione muniti, miraculis confirmati, eruditi doctrina, securi patrocinio, beneficiis locupletes. Et nunc qualescumque sumus, vestri sumus, et hic sumus orantes pro vobis, idipsum a beatitudine vestra pari vicissitudine caritate media postulantes. Caritatis nimirum uniuntur compagine quos longe disjungit ab invicem locorum diversitas; oculisque interioribus mutua contemplatione se feliciter conspiciunt animi, ubi nihil conceditur de intuitu corporali.

2. Verum, quoniam ex litteris vestris et maxime ex dilecti filii vestri Guiberti relatione didicimus vos inter alia virtutum insignia etiam Martini nostri veneratorem esse devotissimum, quædam quæ ad augmentum devotionis in ipsum faciant et quæ fortassis altitudinem vestram latuerant hactenus, eodem suggerente Guiberto vestræ dignum duximus scribere sanctitati.

3. Severus Sulpicius, totius Aquitaniæ nobilissimus, primo quidem discipulus sancti Martini, postea Bituricæ civitatis archiepiscopus, cum beati viri vitam scriberet nativitatis ejus locum commemorans de genere ipsius pauca conscripsit. Quod itaque de genealogia ejus prætermisit ille, conscripserunt alii. Inter quos sanctus Gregorius, Turonensis archiepiscopus, librum edidit in quo et ex quibus ortus sit parentibus plenius scribitur et Septem Dormientium qui apud nos sunt historia continetur. Verum, cum hanc historiam Guibertus vester et [5] legerit et transcripserit, de rei veritate ab ipso vestra poterit [6] dignatio diligentius edoceri.

4. Ceterum apud nos sunt tres nobilissimæ ecclesiæ quæ usque hodie Martini gloriam prædicant et de ejus gloria gloriosius gloriantur. Est igitur prima archiepiscopalis, in qua sedem sanctus antistes habuit, quam et beatorum martyrum Mauritii sociorumque [7] ejus sanguine, de Agaunensi loco allato precibusque e [8] terra elicito, consecravit. Verum quoniam de hac re cum minime vobis constaret, in

[1] fraglantes 1, 2. — [2] lices 2. — [3] congelatiuir 1. — [4] flagrantiæ 1, 2. — [5] *om.* 2. — [6] (v. p.) p. v. 2. — [7] sociorum 2. — [8] de 2.

epistola vestra quæsistis, inquisitioni vestræ satisfaciunt litteræ his subscriptæ dominorum et confratrum nostrorum canonicorum Castri Novi. Nam et ipsis nobiscum scripsistis qui specialiter ad ejus reverendi corporis venerandas excubant reliquias et gloriosis ipsius frequenter jocundari merentur miraculis.

5. Ipsorum siquidem secunda est ecclesia, etsi tempore prima posterior, divitiis tamen et gloria multo sublimior, non longe ab illa, secus Ligerim fluvium sicut et illa posita, in oppido scilicet civitati adhærente cunctisque fere oppidis non magnitudine sed opibus et pulchritudine incomparabili, ut in præsenti cernere est, quod et Castrum Novum dicitur; in qua videlicet prædicta ecclesia sacratissimum Martini corpus cum maximo honore reconditum jacet: quippe qui auream habeat sepulturam, pretiosis lapidibus insignitam. Tanta est enim ecclesiæ hujus nobilitas ut non solum prærogativa singulari patroni præsentis emineat, sed et [1] prædiis amplissimæ possessionis et privilegio libertatis. Soli enim Romanæ subjecta ecclesiæ, nulli alii est vel terrenæ vel ecclesiasticæ obnoxia potestati.

6. In qua et illud quod quæsistis omni anno geritur, quia advesperascente die, clausis et obseratis januis, nemine interius remanente, nemine usque in crastinum ingredi præsumente, soli Deo tota ecclesia relinquitur et committitur, cum nemo mortalium vel scire valeat [2] vel explorare audeat quid secreti interius per totam noctem annuæ dedicationis agatur. Unde pia opinione, quibusdam ante dies nostros confirmata indiciis, ubique terrarum vulgatum est ecclesiam illam nocte illa visitari divinitus Martinumque ipsum cum sanctorum collegio sacras ibi excubias celebrare.

7. Sane cum multi inde multa [3] loquantur, quidquid super hac re dictum fuerit, præter illa quæ in antedicta eorumdem canonicorum epistola continentur, non dubitaveritis fabulosum. De ipius vero epistolæ veritate nulla prorsus nec vobis nec [4] alicui incurrat ambiguitas, quoniam nec subrepticia est nec latenter scripta, sed cum diligenti deliberatione et attestatione totius capituli. Et, quod ei magnæ certitudinis robur attribuat, aderat tunc temporis præsens vir sapiens et multæ reverentiæ vitæque laudabilis quem bene nostis, domnus Petrus Papiensis, Tusculani cardinalis episcopus et apostolicæ sedis legatus. Comperta nobis referentibus dilecti filii vestri prædicti Guiberti adventus causa et devotione, multum ei complacuit, lectisque per semetipsum litteris vestræ sublimitatis, vehementi admiratione permotus plurima in laudibus vestræ dignitatis prosecutus est, intentionem vestram comprobans. Adjungensque humillime sollicitudinem suam inquisitioni vestræ, et dicens domnum Magunti-

[1] *om.* 2. — [2] (v. s. v.) *add. ex* 2; *deest in* 1. — [3] (i. m.) m. i. 2. — [4] (n. v. n.) neque 2.

num et vos summas totius imperii esse personas et proinde ingentem eis lætitiam debere parere quod ad honorem Dei et laudem pii patroni sui hæc vobis tam sedulo placuisset inquirere et scribi deposceretis exactissime, ac si in hoc pars legationis suæ esset, tam precibus quam præceptis eos urgere cœpit ut, in præsentia sua communiter discussa rerum veritate, correcta reprehensibili negligentia sua, quod de tam insignibus miraculis nihil hactenus scripsissent, epistolæ quam ad nos simul et ad ipsos miseratis quamque prius in capitulo legi jusserat probabile et competens æque per epistolam redderetur responsum. Quod et factum est. Quæ cum ita se habeant, submota omni hæsitatione, fidem rescripti pio et vos et legentes universos complecti animo dignum esse arbitramur.

8. Jam vero de tertia Martini plantatione vobis scriberemus aliquid, nisi prolixitatis onerosæ fastidium vitaremus. Verumtamen, si prolixiori paginæ non negetur venia, hoc solum de Majori Monasterio dicere liceat quod, cum multa sit ejus nobilitas in ædificiis, infinitas in expensis, districtio in fervore ordinis, non tamen industria hominum regitur, non providentia dispensatur, sed unita Deo Martini misericordia locum suæ solitudinis non potest negligere quem in corpore vivens tanto studio cognoscitur coluisse. Hujus plane ascribimus beatitudini si quam in nobis habemus religionis virtutem, nostri monasterii famam, rerum temporalium sufficientiam, sperantes etiam ejus interventu majora nos assequi, nihil prorsus de meritis nostris quæ vel nulla vel rara sunt, præsumentes.

9. Ceterum de dilectissimo filio vestro, immo jam nostro, quem ad nos misistis, nos, quia [1] vobis remittimus, viro honestæ et modestæ conversationis, multa haberemus dicere et testificari, nisi quod [2], ut speramus, bene nostis hominem. De cujus nos adventu, cognitione et industria gloriati sumus plurimum, et secundum petitionem vestram et devotionem suam caritatis officium impendentes. Hic itaque cum socio suo quem secum adduxit in multa humilitate et religione mansit apud nos, non quanto tempore voluit : vellet enim, ut asserit ipse, semper, si liceret, sed donec his propter quæ venerat, idonee sibi satisfecisse arbitraretur, de locis, reliquiis et miraculis sancti pontificis pia curiositate inquirens quæ minus noverat, et secundum ea libellum quem insigni laude præferendum de ipsius vita, animi virtute et signis scripserat nobis jubentibus (nec enim alium qui affectuosius vel studiosius faceret inveniremus), quibus oporteret locis corrigens. Quid plura ? Pia et humili adeo conversatione commendato, debitæ et nos commendationis testimonium perhibentes, tantam illum apud nos procul dubio gratiam invenisse testamur, ut, quod inter multos rarum

[1] que 2. — [2] quod *om.* 2.

est, nullum in congregatione nostra licet ampla putemus esse qui non eum diligat ex affectu; et, si ex sui licentia abbatis fieri posset, nostro eum incorporari conventui unione individua optaremus. Super quo sanctam paternitatem vestram obnixe deposcimus, quatinus, si expedire adjudicaveritis, emancipatum nobis et liberum quasi pro magno munere illum remittatis. Jam in gratia Spiritus et tanti sacerdotis, Martini scilicet, nomine vobis æque sacerdoti valefacientes, sub protectione Dei ejus [1] patrocinio vos commendamus, super hoc veniam postulantes quod tanti patris oculos tantis debitos in nostro multiloquio diutius præsumpsimus [2] detinere. Valete.

Decanus et canonici Castri Novi Philippo archiepiscopo.

1. Amantissimo patri et domino venerabili Philippo, Dei gratia Coloniensium archiepiscopo, Philippus decanus, Rainaldus thesaurarius totumque capitulum beati Martini Turonensis, salutem ipsumque Martinum in gloria sanctorum facie ad faciem videre, quem hic pio prosequitur desiderio et [3] veneratione. — Omnipotentis Jesu Christi, Filii Dei, misericordia humilitatis et patientiæ suæ [4] æmulatorem Martinum considerans, qui martyr esse voluit et [5] potuit, si adeo persecutionis malitia incrudesceret, sicut in diebus ejus amatores sanctitatis ipsius illi contulit, sic et post excessum ejus voluit ut pro patribus vestris [6] nascerentur [7] paternæ pietatis et virtutis imitatores et dilectionis coheredes; et sicut per eum signa et prodigia operatus est ut mirificaret agentem in humanis et illustraret miraculis vivum, ita in eo munifice perpetuavit charismata gratiæ, ut sanctorum patrum et attolleret laudibus et obsequiis commendaret jam defunctum. Inde factum est ut post laudabilem vitam in morte beatum haberet Ambrosium Mediolanensem ad exequias funerandi corporis sui in spiritu deservientem, sanctum quoque Severinum, antecessorem vestrum. ascendentis animæ, angelorum eam cum cœlesti concentu ad sidereas sedes deducentium pium auditorem et testem idoneum.

2. Et o Martini nostri pauperis et divitis, humilis et excelsi, singularis in hac etiam parte gratia et incomparabilis gloria : cujus opera cœlis narrantibus declarantur, cujus virtutes nubibus dulciflue rorantibus ubique terrarum diffunduntur, dum, instar quatuor evangelistarum Christi facta prædicantium, ea nihilominus quæ per eum Deus adhuc viventem operari dignatus [8] est, a beato Severo Sulpicio, suo primum discipulo dein Bituricensi archiepiscopo, egregio stilo tribus libris explicantur et miracula ad sepulcrum ejus ostensa a sancto

[1] ejusdem 2. — [2] præsumimus 2. — [3] ex 2. — [4] suæ *add. ex* 2; *deest in* 1. — [5] *add.* non 2. - [6] *om.* 2. — [7] *add.* filii 2. — [8] (o. d.) operatus 2.

Gregorio, Turonensi æque archiepiscopo, quatuor voluminibus propalantur, et hæc et illa a venerabilibus episcopis Paulino Nolano et Fortunato Pictaviensi, quorum utrique, vivus illi, isti mortuus, lumina reddiderat, ab altero sex, ab altero quatuor libris versibus heroicis, varietate splendida [1] contexta replicantur. Nec ab istorum nobis collegio sequestrandus est, quamvis et tempore posterior et auctoritate minor, sed nullo in sanctum devotione tepidior, reverentissimus Cluniacensis abbas Odo, qui mirabilem ejus triumphum de barbaris et relationem sacri ipsius corporis de Burgundia eximiis prosecutam miraculis uno eodemque insigni volumine comprehendit. Merito igitur viri hujus memoria in benedictione est super terram; jure nomen ejus requiritur a generatione in generationem et justitiæ ejus oblivionem non acceperunt; merito sapientiam ejus mundus collaudat et laudes nuntiat ecclesia; digne merita ejus credibilia facta sunt nimis et exempla universis proponuntur ad imitandum, tantis commendata auctoribus, tantis corroborata testibus.

3. Divinæ itaque, ut credimus, factum est dono gratiæ ut in vestri quoque non deficeret loco regiminis tantorum patrum heres caritatis, ut, pia eorum in beato Martino [2] sequentes vestigia, dignationis vestræ sit de constitutione, amplificatione et gloria loci in quo nunc innumeris coruscans miraculorum prodigiis humatus requiescit inquirere, et maxime de sanguine Thebæorum martyrum quod ex auditu solo dicitis vos percepisse, sed ex scriptis an verum sit velle certificari, quomodo illum, post passionem eorum longa temporum serie evoluta, de arido terræ [3] abdito precibus obtinuerit et secum attulerit, et de quadam tam mirabili quam singulari consuetudine quæ apud nos in nocte ordinationis ejus [4] seu translationis [5] celeberrima habetur poscatis edoceri. Pium ergo sollicitudinis vestræ studium commendantes et inde gratias referentes vosque in Christo plurimum amplectentes, petitioni vestræ in eis quæ fidelius audivimus et quibusdam quæ multi ex fratribus nostris viderunt, satisfacere curavimus.

4. Et primum quidem dignationem excellentiæ vestræ scire cupimus quoniam, Deo ad auctorizandum verbum quasi aperto vigilante [6] oculo, dum inter nos et dilectum vestrum Guibertum, causæ ejus executorem, super negotio ageretur, nutu gratiæ ejus vir magnificus, domnus Petrus Papiensis, apostolicæ sedis legatus, affuit, lacteamque et splendidam dulcedinis vestræ prior ipse legens epistolam, cum intentionem vestram plurimis extulisset laudibus, humiliter petiit et præcepit ut et in capitulo nostro legeretur et quod ex communi consilio illic deliberatum esset ad se plenius ventilandum referretur, quatinus

[1] (v. s.) s. veritate 2. — [2] *omissa forsan a libr. vox* colendo. — [3] *ita* 2; sit. 1. — [4] *add. ex* 2; *deest in* 1. — [5] *add.* ejusdem 2. — [6] *codd.* vigilantem.

nihil mendacio fermentatum, sed sicut in intuitu summæ veritatis sincerissime vobis ad inquisita rescriberetur. Et factum est sic, et secundum quod et prius in communi [1] capitulo et postea coram ipso tractatum et definitum est de verbo, in neutram declinantes partem ecce jam vobis respondemus. Et de eo quidem quod primum [2] gestum est et vos quoque primum quæsistis, hæc accipite. Dum beatus Martinus cum paucis admodum comitibus sub habitu peregrini (1)....... dare prorsus negaverunt, non forte caritatis fonte in eis exhausto, sed verentes ne homini incognito et advenæ aliquid de tanto credentes thesauro offensam incurrerent, maxime autem Deo in hac repulsa id providente ut solem paupertatis amictum cilicio, occultationis abstersa nube, revelaret et claritatis ejus radios per regionis illius spatia diffunderet, quisque vel quantus esset Martinus coruscatione mirabili [3] illius partis orbi terræ illucesceret. Abjectus... sacerdos, ut semper et hic patientiam amplectens, nihil motus ad divinum... oravit, cui nec capillus de capite nostro perit, ut, qui in die... reparaturus est... consecravit.

5. Cujus... Maiarum die alio ejusdem pii patris [4] protectoris nostri miraculo, minus quidem mirabili, sed magis necessario, eodem die duplicatæ [5] nobis pariente festivitatis lætitiam [6], ex recordatione scilicet triumphi illius celeberrimi et subventionis misericordissimæ, qua, cum non multa abhinc tempestate a Danis et a Suedis sub Hastingo duce obsideretur civitas, ex præsentia sacratissimi corporis ejus, ad assultum murorum necessitate periculi imminentis a clericis allati, terrore nimio hostibus incusso et fuga celeri vitæ consulentibus, ope tanti defensoris liberata simul et immenso gaudio lætificata est Turonis, civibus excluso [7] metu et angustia mortis propulsa ultra spem confortatis, urbe erumpentibus, persequentibus, proterentibus, de interitu et spoliis quærentium animam eorum exultantibus, corpusque patroni ineffabili mentium jubilo et dignis præconiorum laudibus post victoriam in sedem beneplacitæ sibi mansionis reportantibus.

6. In tantum autem prædictorum... perciperet. Hanc nostris modo temporibus ex occulto secretario quod sub arca corporis ejus est, inventam et ex capsa argentea quæ aliis duabus, altera æque argentea, alterea lignea, ambiebatur prolatam omnes pene vidimus, populis salutandam et osculandam longo tempore exhibuimus, et in eminentiori post hæc ecclesiæ loco cum eadem capsa loris argenteis clave aurea et firmatura munita decenter cum aliis sanctorum reliquiis

[1] omni 2. — [2] primo. — [3] miraculi 2. — [4] *add.* et 2. — [5] *ita* 2; duplicare 1. — [6] *ita* 2; lætitia 1. — [7] est diverso 2; ed veriso 1. *Prius* exterso ? excusso ?

(1) Supple hic ex editis in *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, p. 384 sq. (numm. 180, 181, 182).

exaltavimus. Cultellus autem viri sancti et ea pars sanguinis quam Agauni reliquerat, ut sæpe auditum est, viris devotis per locum illum transeuntibus, si expetant, adhuc ad testimonium tantæ virtutis ostenditur et multi nostrum ante paucos annos in ecclesia viderunt nostra [1], aliquibus ex canonicis ejusdem loci qui monachis substituti sunt, dum ad colligendas fidelium eleemosynas [2] pro reparatione ecclesiæ suæ nuper adustæ exissent et ad nos quoque divertissent, utrumque nobis ostendentibus et his quæ supra retulimus fideliter astipulantibus. Et hæc quidem primæ inquisitioni vestræ sufficiant. Nunc, si placet, ad secundam et vos auditum et nos stilum convertamus.

7. Beatus Martinus dissolutionem sui corporis per Spiritum sibi sentiens imminere obitumque suum fratribus denuntians, sicut humilitatis amator semper extitit, sic humilitatem in finem [3] non deseruit, et publicum polyandrum in usu pauperum ante concessum pauper elegit, ut, sicut in paupertate se continuerat in vita, paupesceret in sepultura. Sed quanto unicæ claritatis sol sub humilitatis nube latere voluit, tanto, illum [4] Deo illustrante, diffusius erumpens, plurima specularia reseravit et mirificis virtutum signis coruscavit mundo, jam dives factus in cœlo qui pauper inter pauperes latere voluit in sepulcro. In argumentum ergo glorificationis quæ per miracula potuit, quod Martinus dives esset in cœlo, adeo Dominus loculum ejus exaltavit et decoravit incultum, ut in artificio domuum, fastigiis turrium, appareant esse in loco et atria principum et palatia regum, dum, quando pauper ille ibi humatus est, nihil esset illi [5] nisi nuda humus, sequestrata in sepulturam pauperum et peregrinorum. Igitur Deo lucernam inter pauperes, ut dictum est, latentem miraculorum radiis clarificare [6] inchoante, primo super tumulum ejus, instante beato Brictio fundata est a civibus basilica, eleganti opere, amplitudinis non immensæ et mausoleata superius crustatis argento [7] parietibus, columnis deauratis, basibus auro et gemmis decoratis, ut ubique rumor percrebresceret auream esse Turonis basilicam invidiamque multis gentibus quibus rapto vivere erat non minimam incitaret.

8. In circuitu vero ad jactum lapidis postea ædificatæ sunt septem abbatiolæ in ministerium ecclesiæ majoris; quarum fratribus horis competentibus ad illam convenientibus et alternis vicibus ordine suo psallentibus, nulla vacabat hora diei vel noctis quin psalleretur ad laudem Jesu Christi et honorem confessoris. Sed, cum propter innumera et inaudita quæ in ea [8] fiebant miracula illa eadem prior basilica multitudinem ex diversis orbis terræ partibus confluentium ferre non posset, sanctus Perpetuus, ab ipso beato Martino quartus episcopus,

[1] (v. n.) n. v. 2. — [2] *ita* 2; animas 1. — [3] fine 2. — [4] eum 2. — [5] ibi 2. — [6] ***add. ex*** 2; *om.* 1. — [7] argenti 2. — [8] (i. e.) ibi 2.

illa a fundamentis eruta, aliam mirifico opere amplitudinis immensæ et elegantioris artificii devotissime fundavit et feliciter consummavit; quæ tunc temporis inter ceteras regni ecclesias fastuosum in quinque turrium eminentiis tollens apicem quadam [1] singulari dignitate appareret domus Dei et porta cœli. Cujus mirabilem elegantiam immensamque structuram in Historia Francorum describit Gregorius, Turonensis archiepiscopus. Post cujus consummationem idem Perpetuus corpus sacratissimum beati Martini a loco prioris sepulturæ ablatum et in freda aurea decenter compositum anno a transitu ejus sexagesimo IIII^{to} in loco quo nunc excolitur solemnissima celebritate, episcopis et [2] abbatibus aliisque personis ecclesiasticæ dignitatis astantibus eo ordine quo in Libro virtutum ejus primo ab eodem refertur Gregorio, die quo annua ordinationis ejus agebatur festivitas transtulit, ipsoque nihilominus die eamdem postmodum ecclesiam dedicavit.

9. Multis posthæc annis evolutis mutationem et ordinis et [3] consuetudinis passa est, et pro monachis vel propter inertiam vel propter frequentantium inquietudinem regulam suam integre non prosequentibus canonici a principibus terræ substituti sunt, trecentis quæ tunc temporis erant præbendis ad numerum centum quinquaginta restrictis; et ad temperandum laborem illum fastidiosum et intolerabilem juges illæ et interminabiles psallentium alternationes ad certas et discretas sicut in aliis fit ecclesiis horas distinctæ sunt. De reditibus autem et thesauris ecclesiæ ipsius pars maxima decisa est, de qua tres congregationes quæ ad canonicorum arbitrium subservirent [4] constructæ et dicatæ [5] sunt. Quæ omnia hodieque in Christi nomine constant. Hæc autem non tam humano sensu quam divina ordinatione videntur esse disposita, ut Martinus, omnium decus ordinum, qui in laicali miles, in religioso monachus, in clericali archiepiscopus, multis auctus meritis, Deo [6] gradu perfecte servierat, ipso Deo servitium ejus recompensante [7] ab omni æque gradu in civitate sua multimodam et perpetuam venerationem haberet [8]; et, ut [9] modicum quid gloriemur, non in nobis, quia non expedit, sed in gratia beneficiorum Dei, si de amore patroni, quod tamen absit, non fallimur, libere asserimus quod nulla civitas alicui sancto affectuosius quam Turonis Martino suo deserviat, nullus sanctus Martino sedulius, ut experientia docente addiscimus, civitatem suam visitet et defendat; itemque quod in nulla urbe christiani orbis quilibet sanctorum unus tam divites et [10] nobiles duas simul habeat ecclesias, quarum altera est Majus Mona-

[1] quam 2. — [2] *om.* 2. — [3] *om.* 2. — [4] subvenirent 2. — [5] ditatæ 2. — [6] *supplendum forsan* in omni. — [7] *add.* et 2. — [8] *ita* 2; haberent 1. — [9] cum 2. — [10] quam 2; *ita etiam librarius in* 1; *sed statim correxit punctis delentibus.*

sterium, florigera monachorum fovens collegia, altera ista nostra, claro cleri conventu spectabilis, quæ ad distinctionem aliarum minorum nominis ejus in circuitu nostro positarum Sancti Martini Divitis in Castro Novo appellatur : illa religione et pauperum eleemosynis, hæc signorum privilegio et divitiarum gloria, sicut vos [1] quoque in epistola vestra benivolentissime attestamini, incomparabilis. Gratias agimus gratiæ Dei in caritate vestra super tali testimonio.

10. [P]ostquam vero area ecclesiæ circa oras et inter medium Ligeris et Sequanæ divinæ ultionis et flagello triturata et ventilabro permundata est, jam fero illo et singulari illius ævi apro qui suffoderat vineam Dei, Rollone scilicet Normannorum duce, a venatoribus Christi venabulis fidei salubriter confesso, jam illaqueatis bestiis illis [2] frendentibus quæ hortum deliciarum paradisi Dei depastæ fuerant, id est sæva gente Normannici exercitus christianæ prædicationis retibus conclusis, post horridos terrorum turbines pacis tranquillitas Christo propitio refulsit. E vestigio et reverendum beati Martini corpus quod propter crebras paganorum irruptiones cum multo mœrore in Burgundiam asportatum fuerat, cum splendido episcoporum et baronum totius terræ comitatu et infinita utriusque sexus multitudine tandem a longo tricennalis exilii postliminio Turonim relatum et in sede sua repositum est, ultra solitum toto exilii sui tempore et in hoc maxime regressu suo inauditis fulgurans miraculis, quæ sanctus Odo Cluniacensis abbas egregio, ut supra dictum est, uno comprehendit volumine. Tunc sub pii pastoris protectione ovibus quæ luporum dentes evaserant confugientibus, consilio et auxilio principum Franciæ circa ejus templum antea nudum et ab urbe longo centum quinquaginta fere passuum interstitio distans, nobile hoc et multi decoris oppidum construentes usque ad civitatis ambitum dilatavere ; densissimisque [3] ingentibus confertum ædificiis muris et portis cinxerunt in gyro, ut, temporalem patroni [4] domum contra hostium visibilium impetus materialibus munientes obstaculis, spirituali ejus defensione ab infestationibus hostium invisibilium liberari [5] et in aula cœlesti a Deo recipi mererentur. Ex tunc et deinceps tanti intercessoris precibus confortavit Dominus seras portarum Syon nostræ et benedixit filiis ejus in ea et posuit fines ipsius pacem.

11. Dein parvo succedentium annorum elabente circuitu, circa Verbi humanati millesimum tertium, vel secundum quosdam sextum, domnus Herveus, superbi sanguinis altitudine, reditibus et divitiis gloriosus [6] et, quod amplius est, pia religiosi animi Deo

[1] nos 2. — [2] (b. i.) i. b. 2. — [3] *ita* 2 ; dentissimisque 1. — [4] *add.* sui 2. — [5] *ita* 2 ; liberati 1. — [6] *ita* 2 ; gloriosius 1.

sanctoque pontifici obligatus, et aulæ ejus archiclavus, eamdem aulam longo senio et crebris barbarorum concussionibus incendiisque et imbrium infusionibus jam fatiscentem, jactans in Domino cogitatum suum, a fundamentis eruit et magnis impendiis, Francorum primoribus certatim se juvantibus, in hunc qui hactenus perduravit statum incomparabili secundum ædificia quæ tunc temporis flebant, venustate infra vicennium consummavit, et anno ab incarnatione Domini MCXIIII^to, tempore incliti et in Deum piissimi regis Roberti a domno Hugone, venerabili Turonensium archipræsule, adstantibus totius regni episcopis et principibus in magna gloria, eo die quo[1] et prior dedicata fuerat, consecrari fecit. Qua scilicet consecratione festive completa, ante missarum solemnia corpus patroni cum arca sua gemmata[2] et aurea a capella claustrali in qua per illos viginti annos jacuerat eductum[3] in novam basilicam cum multa reverentia introduxit et in loco quo cernitur sub ciborio argenteo decenter composuit. Sed et hos limites tanti hujus operis nostra et civium excessit[4] devotio, et idem archiconfessoris[5] palatium, quibusdam in locis manentibus, quibusdam in locis evulsis prioribus fundamentis, in hanc fastigiorum celsitudinem quæ hodie præ oculis est, Deo nos per ejus merita juvante extulimus.

12. Jam ut consuetudinem illam mirabilem de qua quæsistis paucis expediamus, non omnino qualem audistis, sed qualem nunc vobis eam describimus esse noveritis. In vigilia triplicis ejus[6] solemnitatis, scilicet ordinationis episcopatus, et translationis corporis et dedicationis basilicæ ejus, dicta nona, statim classico resonante, vesperos decantamus et, completorio intermisso, brevi convallo omnem cursum vigiliarum qui nocte sequenti explicandus esset celebriter persolvimus; moxque, omnibus tam civibus quam peregrinis diligenti cura eliminatis, eamdem basilicam, cereis super coronas fulgentibus radiantem et pluribus coruscantem lampadibus, Deo beatoque ejus possessori[7] et sanctis aliis concedimus, insignioribus personis conventus nostri, decano videlicet, thesaurario, archicantore, scholarum magistro et cellerario, singulis templi januis ex proprio satellitio duobus[8] excubitoribus[8] ex debito assignantibus, præter illos XII qui ex instituto seni et seni alternis vicibus perenniter templi ejusdem solvunt custodiam. Apparatum vero missæ necessarium altari, ut quæritis, nullum apponimus, spiritus et animas sanctorum in divinis obsequiis his scientes non indigere. Sacras tamen vestes quibus sacerdos magnus in diebus suis[9] in celebratione sacramentorum utebatur, in loco secreto et paucis cognito juxta mausoleum ejus scimus esse reconditas.

[1] *codd.* qua. — [2] *ita* 2; geminata 1. — [3] *ita* 2; eductam 1. — [4] *ita* 2; erexit 1. — [5] archipræsulis 2. — [6] hujus 2. — [7] (e. p.) p. e. 2. — [8] *sic codd.* — [9] *add. ex* 2; *om.* 1.

13. Quibus autem de causis vel quo tempore aut a quibus personis hæc consuetudo statuta sit, quia diversa diversorum opinio est, nos [1] propter incertitudinem super hoc certum aliquid definire non audemus, cum tamen hoc idem, non spe cujuslibet quæstus (nihil enim terreni unquam emolumenti hinc excepimus vel excepturos [2] speramus), sed magnæ causa rationis hoc ipsum institutum nullo modo dubitemus : præsertim cum et signis et visionibus manifestis approbatam [3] et roboratam pro constanti teneamus. De quibus, prætermissis pluribus, tria tantum ponere decrevimus. Nam in ipsa nocte qua postremæ hujus quam nunc celebramus dedicationis peragendæ sequebatur dies, sanctæ memoriæ Herveo ejus procuratori, magnis ut hoc mereretur insistenti precibus [4], sanctus, cujus mira fervebat devotione antistes cum multa hilaritatis suavitate apparuit, ejus comprobans studium laboremque, et opus sibi dicens acceptum; et sicut loci secundum corpus habitatorem perpetuum, ita ejus ex spiritu visitatorem se esse significavit frequentissimum.

14. Superiori quoque valde tempore, cum quidam corporea sanitate destitutus ad vitream absidem basilicæ sancti Albini Andegavis deportatus, opem efflagitans jaceret, in visione audivit ut, cum signum ad cursum horæ tertiæ insonaret, ipse basilicam intraret, et quod petebat acciperet, eo quod eadem hora beatus Martinus cum compræsule Albino illo adveniens, facta oratione, Turonis ad ejus solemnitatem (quod de hac intelligimus) accedere deberent. Intravit ille oratorium qua monitus fuerat hora, et ex recepta sanitate nihil se vel vidisse vel dixisse frivoli comprobavit.

15. Sed ut aliquid evidentissimum jam ponamus [5] : nuperrimis [6] et nostris [7] fere diebus, in annua solemnitatis hujus nocte, clausis post vigilias de more ostiis, latibulis et angulis ecclesiæ prius diligenter perscrutatis, exterius ad januas et vitreas terræ propinquiores deputatis custodibus, matriculariis, etiam ipsius basilicæ senioribus ad septentrionalem plagam [8] in capitulum ad debitas sedentibus [9] excubias, contigit [10] ut unus, Hildebertus nomine, cui cognomen Paganus, oblitus pulvilli quem capiti supponere solebat, ad portam regionis illius, ceteris remissius se agens, cum sociis resideret ; cumque se tardior noctis hora protraheret et hic dormitans et pigritans per pavimentum ac si truncus fatigatus ob soli duritiam lateribus versaretur, nihil habens fulcimenti præter lapides unde saltem vel tempora somno gravata solari posset, paululum [11] experrectus, reclamantibus sodalibus et eum temeræ præsumptionis redarguentibus, aperto celeriter

[1] *ita* 2; vos 1. — [2] *add.* nos 2. — [3] *sic codd.* — [4] *om.* 2. — [5] *add.* et 2. — [6] *ita* 2; nuperrimus 1. — [7] nostre 2. — [8] partem 2. — [9] *codd.* cedentibus. — [10] (ad d. c. e.) c. e. a. d. 2; *præterea supplendum duximus* contigit. — [11] paulum 2.

ostio, per mediam templi aream versus plagam australem, pulvillum [1] sibi tulturus [2] ad arculam cucurrit.

16. Quo sublato, cum in arca [3] obseranda moratur, retro aspiciens et regredi meditans jam interclusum paulo ante expeditiorem sibi exitum invenit, intermeantibus ad altare et sepulcrum pretiosi antistitis longæ processionis ex chorea altari et sepulcro circumducta exeuntis, reverendo archipræsulum et episcoporum comitatu ultra omnem æstimationem miræ pulchritudinis ornatu fulgentium. Qui dum oculis [4] ad fulgorem insolitum mente consternatus et obrigescens corpore staret, ab uno ex illa processione præclara ad ipsum [5] paululum digrediente asperæ invectionis increpatione [6] correptus [7] est, quod ausu temerario præsumpsisset sanctuarium irrumpere, ea præsertim nocte qua, etsi nollet ipse præ cordis stultitia credere, credi tamen et dici ab aliis non ignoraret dominum et possessorem loci Martinum eadem nocte cum consortibus suis, cœlestis patriæ civibus, visitare templum suum et in laudem Jesu Christi corporis sui reliquias, ut tribulationis sic et glorificationis quandoque participes, interim adventus sui et sanctorum præsentia honorare, et Spiritus sancti consolationem in unitate fraternitatis ministris suis in eodem loco relinquere. Consuetudinem illam non esse frivolam nec vano a majoribus institutam. Sciretque quod non suo merito, cum ad tanta idoneus non esset, sed pro certificandis his qui audituri erant, ista intueri permitteretur. At ille, tremens licet et palpitans, veniam precatur; prætendit necessitatem et ex argumento pulvilli quem manu tenebat temeritatis notam excusat. Et audens aliquid, quisnam [8] ipse majestatis tantæ et claritatis a quo corriperetur, qui et ceteri qui eum bini et bini præcederent, supplex inquirit. Respondit se [9] esse ipsum cujus causa [10] convenerint [11] reliqui, Martinum illius aulæ dominum. Præcedentes non solum successores suos Turonicæ sedis [12] episcopos, sed et nonnullos aliarum urbium episcopos [13], qui causa officii ad se confluxissent, eumque qui sibi collateralis obambularet Evurtium, Aurelianorum antistitem, quamvis mundo non valde cognitum, magni tamen meriti apud Deum. Severaque interminatione monens æditum ne aliquatenus ultra quidquam tale attentaret, ipse sanctorum agmini redditus est, et ille quasi per capillos sublatus et in alteram partem chori subito impetu deportatus in medio capituli projectus est. Qui ac si nesciens quid sibi accidisset, cum diu attonitus jacuisset, tandem mente et corpore sese recipiens, Deum et in sanctis suis mirabilem et misericordem in peccatoribus qua potuit laude extulit, et quæ viderat

[1] pulvim 2. — [2] tolliturus 2. — [3] (c. i. a.) *add. ex* 2; *om.* 1. — [4] *sic.* — [5] (a. i.) *om.* 2. — [6] correptionis invectione 2. — [7] increpatus 2. — [8] *add.* sit 2. — [9] *om.* 2. — [10] gratia 2. — [11] convenerunt 2. — [12] civitatis 2. — [13] præsules 2.

et[1] tunc præsentibus et quo ad vixit[2] deinceps quærentibus frequenter narravit. Viderunt hunc et convixerunt ei plures[3] ex matriculariis ecclesiæ qui ex ore ejus audita memoriter tenentes hæc narrarent[4] generationi alteræ, et maxime adolescens quidam, Robertus, cognomento Ruffus, qui in longum vitam ducens senium nonnullis ex fratribus qui ad nostra usque perducti sunt tempora, hæc eadem, cum horum memoria incidisset, sub testimonio veritatis referre consueverat.

17. Ista, reverende pater, inter nebulas longævæ antiquitatis diligenti intuitu rimantes, morosiori fortasse quam debemus[5] sermone duabus inquisitionibus respondimus, alia quædam, sed non aliena adjicientes, quibus et horum notitia et loci nostri magnificentia illustretur et pauperis, immo jam divitis Martini gloria commendetur. Sed[6] date, obsecramus, veniam nobis vobis integre satisfacere nitentibus et ex abundantia cordis ore loquente dulcissimis laudibus patroni urgente dilectione desideranter immorantibus. Qui intercessione piissima imitatorem sui factum et electorum vos sacerdotum consortem et gloriæ sempiternæ obtineat esse participem. Sanctitatem vestram pro nobis orantem, quibus possumus Deo precibus[7] commendantes, plurimum in Christo semper optamus[8] valere,

Decanus et thesaurarius Castri Novi Philippo archiepiscopo.

1. Sincerissimæ nobis dilectionis affectu semper amplectendo patri Philippo, superna gratia[9] Coloniensis sedis archiepiscopo, Philippus decanus, Rainaldus thesaurarius omnesque canonici ecclesiæ beati Martini Turonensis interpretationem nominis sui, quod est os lampadis, et virtute animi et claritate sanctorum operum salubriter obtinere. — Quod de miraculo pretiosi martyrum Thebæorum sanguinis et de[10] consuetudine illa singulari quæ[11] apud nos in nocte festi ordinationis seu translationis gloriosissimi patroni nostri inquisitionibus vestris, reverende pater, ex scriptis majorum ista proferendo satisfacere nequivimus, hoc procul dubio aut eorum negligentia effecit, quam et ex ipsorum ignavia et ex signorum assiduitate, quæ etiam pretiosa nullius momenti reddit, emersisse arbitramur. Unde factum est ut omnia quæ a diebus beati Gregorii, Turonensis archiepiscopi, usque ad nostra tempora ad tumbam antistitis, nunquam fere mira operari desistentis, per quingentos et plus quam quinquaginta annos ostensa sunt miracula, oblitterarit oblivio, præter pauca quæ in ejus

[1] *om.* 2. — [2] *codd.* quo advixit. — [3] plurimi 2. — [4] *sic* 1 ; narrat 2. — [5] deberemus 2. — [6] (Sed date-participem) *om.* 2. — [7] *om.* 2. — [8] oramus 2. — [9] *add.* sanctæ 2. — [10] *om.* 2. — [11] *add.* fit 2.

reversione [1] illa celebri de Autisiodoro sanctus Odo, Cluniacensium abbas, descripsit, his tantum quæ a transitu ipsius usque ad decessum prædicti Gregorii per centum fere et nonaginta annos facta sunt, in libris quatuor ab illo digestis. Sed quid anteriorum quos gravia præ hostium irruptionibus involverunt discrimina negligentiam arguimus, qui pacis tranquillitate perfruentes multo reprehensibiliores [2] invenimur, dum quæ sub oculis omnium hic sæpius adhuc fieri conspicimus, inertiæ et otio dediti damnabili, proh pudor, silentio abscondimus?

2. Igitur quoniam dilectus vester [3] in Christo filius et noster ex paternitate Martini frater amantissimus, cum dilectione nominandus Guibertus, divino, uti conjicimus nutu, ad excitandum teporem nostrum a vobis ad nos directus, vehementer desidiæ nos in hoc dumtaxat redarguens, instat ut saltem visa ad laudem Dei et confessoris honorem vobis exaremus miracula, nos pii fervoris ejus instantiam nec audentes despicere nec declinare valentes, pauca de pluribus et ea tantum quæ quasi tractaverunt manus nostræ et revera viderunt oculi nostri, non seriatim propter fastidium, sed capitulatim solummodo perstringimus.

3. Vir quidam exter tibiarum ita destitutus officio, ut prorsus stare aut incedere non valens, cum extrema et inevitabilis urgeret necessitas, baculorum adminiculo subvehendus [4] uteretur et tardissimus gemebundusque viator ex passione sua intuentibus compassionem incuteret, memoriam beati Martini [5] suffragio fidei fretus adiit. Qui paucis diebus humillimis precibus insistens, præsulis patrocinio restituta sibi desideratæ sanitatis fortitudine misericordiam et gloriam Dei in ejus gratia alacri laudum relatione prædicavit; et cum multis diebus in ecclesia nostra resedisset [6] ad exhibendum populo virtutis in se factæ testimonium [7], tandem lætus abscessit.

4. Alius, sed civis et cæmentarius, more artificum civitati notissimus, cum ex muro altissimo ecclesiæ beati Mauritii cui ædificandæ et exaltandæ instabat, per infortunium deorsum ruens et in terram elisus, quomodo vitam retinuerit miraculo omnibus [8] fuit. Sed tamen ita [9] confractus est [10] ut nunquam posset erigi, sed negata sibi omni recreatione standi, sedendi, ambulandi, erat [11] in curvum ut [12] quasi quadrupedem necesse esset permanere, et, sicubi procedere vellet, non incedendo sed reptando eum commeare oporteret. Hic quoque post multum ruinæ et contritionis suæ tempus, cum a multis argueretur cur non gratia recuperandæ sanitatis sepulcrum signipotentis Martini

[1] *ita* 2; conversione 1. — [2] negligentiores 2. — [3] *ita* 2 *supra lin.*; *in* 1 *scriptum videtur* noster (nr). — [4] *ita* 2; subvendus 1. — [5] viri 2. — [6] *om.* 2. — [7] *add.* resedisset 2. — [8] (m. o.) o. m. 2. — [9] *add.* contritus est et 2. — [10] *om.* 2. — [11] *om.* 2. — [12] et 2.

adiret, tandem adiit; et, deductis ibi in vigiliis paucis noctibus, meritorum ejus obtentu dissolutis confracturæ suæ ligaturis erectus est, et sospes factus, sine quovis adminiculo [1] per ecclesiam et totam civitatem ambulans, cunctis videntibus [2] ad diem obitus sui miraculum sacerdotis magis effectu quam effatu [3] prædicavit. Sed et mulier aliqua cum manus suæ usum et officium perdidisset, inter preces perfusa est ex liquore lampadis quæ inter duos [4] maximos radiantes cereos ante arcam confessoris dependens perlucido et viventi olivo perenniter accensa resplendet, eamdemque scilicet manum, cum clausa et contracta esset antea, statim post [5] inunctionem aperiens, gratias et auctori Deo et obtentori sanitatis [6] Martino referens nobis intuentibus pristinam incolumitatem recepit.

5. Nec præclarum illud et insolitum inserere narrationi prætermittamus [7] miraculum, quod peregrini sexaginta ferme a sepulcro beatæ Mariæ Magdalenæ, quod est in Viceliaco, redeuntes, dum Aurelianis per Ligeris alveum descensuri navim intrarent sancti quoque tumbam pontificis [8] se adituros devoverunt, Deoque et ipsi propter metum periculorum quæ sæpius navigantes incurrunt sedula intentione se [9] commiserunt. Et licet tunc vehementer, ut sui moris est, Ligeris fluvius intumuisset et ripas excedens in modum maris dilatatus circumjacentia occupasset, prospero tamen cursu usque ad quartum pene urbis Turonicæ milliarium perlapsi sunt. Quo in loco contigit ut unus ex eis, curiositate nescio an necessitate, super limbum navis ascendens, dum non cavet et pendulo gressu incedit [10] vacillans pedibus in aquam corrueret. Quem ex aliqua parte cappæ quodam sociorum ejus velociter apprehendente et nitente extrahere, cappa quidem de collo mersi [11] evulsa trahenti in manibus remansit; sed ille pondere suo ad fundum vergens [12], nihil de vita sua nisi quod Deus disponeret sperans, beatum tamen Martinum cujus venerandam adibat sepulturam ad adjuvandum se festinare in corde suo deprecans, celeriter prævolante [13] nave vastis aquarum gurgitibus penitus absorptus est. At [14] socii ejulantes et ut mortuum ex integro deflentes, contra amnis impetum quo valuere conatu navi regyrata ad inveniendum saltem defuncti corpus studium converterunt. Cumque laborantes nullus sequeretur effectus [15], tandem, navi ad cursum directa dimersi corpus et animam misericordiæ Dei commendantes et voluntati relinquentes, ad templum præsulis ut cœperant iter maturare non destiterunt.

6. Absorptus autem ille quem extremum mortis discrimen vallaverat, ne frustratus labor ejus veniendi ad Martinum et spes devotio-

[1] (q. a.) a. q. — [2] *add.* usque 2. — [3] affectu 2. — [4] *add.* illos 2. — [5] per 2. — [6] *om.* 2. — [7] omittemus 2. — [8] *om.* 2. — [9] *om.* 2. — [10] incidit 2. — [11] emersi 2. — [12] *add.* et 2. — [13] prætervolante 2. — [14] ac 2. — [15] *om.* 2.

nis cassata videretur et minus in fide firmis fierit in ruinam, clementia Dei subveniente vidit virum quemdam per aquas sub molibus gurgitum in sacerdotali et honorifico habitu ad se venientem et arreptum se [1] per dexteram blando ductu de profundis abyssi illius educentem ad ripam alteram, et ostendentem viam quæ ducit ad pontem lapideum qui est super Ligerim, et dicentem sibi : *Vade nunc securus in nomine Domini Jesu Christi, liberatoris tui, ad sepulcrum Martini antistitis, suffragatoris tui, gratias utrique super salute tua relaturus.* Quibus dictis, persona quæ loquebatur evanuit. At ille, ac si de ventre inferi et de lacu novissimo sub momento erutus, et velut cum Jona propheta exultans et proclamans : *Fluctus tui super me transierunt ; abyssus* [2] *vallavit me, pelagus operuit caput meum : verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum,* socios suos præveniens et super pontem prædictum siccis et capillis et vestibus eos subtus transituros opperiens, ut adventantes homines [3] vidit applaudens et salutans inclamat se gratia Dei et auxilio sacerdotis expetiti [4] salvum esse, et appulsis ad portum sub ecclesia sancti Juliani martyris comitem se [5] ut erat itineris reddens et deosculans singulos, stupentibus se et pene in extasi factis aggregavit, narrans quomodo Martino dexteram ejus tenente et cum misericordia deducente salvus esset factus ; cappamque suam sibi reddi [6] exigens, aulam archiconfessoris ingressus coram arca ejus procidens et grates [7] cum pietatis fervore rependens, ad altare beati Brictii missam cum ceteris audivit. Qua finita, sacerdotem et concanonicum ecclesiæ nostræ qui divina peregerat, humiliter exposita causa attestantibus sociis rogavit, quatinus astantibus et clero et populo ingens hoc et prædicabile miraculum ad excitandam eorum devotionem et cumulum laudis Dei et Martini publice annuntiaret. Quo facto, qui aderant mirabilem Deum in sanctis suis in jubilo cordium et vocum præconiis glorificant. Et hæc intra septimum annum facta sunt.

7. Illud præterea non minoris censemus admirationis, quod puer quidam a genibus deorsum tibias et pedes proferens [8] sine ossibus natus est. Cujus mater per visionem a quodam admonita est ut in festivitate beati Martini quæ in Maio de triumpho barbarorum et liberatione civitatis excolitur, ad horam missæ quam annuatim nobiscum solemniter celebrant monachi Majoris Monasterii puerum jam decennem ante altare patroni deferret et Dei subventionem per illius intercessionem fideliter expectaret. Quod illa gratanter peragens, cum puerum inibi super genua teneret, puer ipse mira agilitate a matris manibus se [9] expedivit et usque ad mausoleum antistitis pii, quod

[1] *om.* 2. — [2] (abyssus-tuum) *om.* 2. — [3] eminus 2. — [4] (s. e.) *om.* 2. — [5] se *add. ex* 2; *om.* 1. — [6] (s. r.) *om.* 2. — [7] gratias 2. — [8] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [9] sese 2.

natura negaverat gratia indulgente, restauratis tibiis et pedibus quos ad ventrem ipsius pueri mater zona subligare consueverat, cucurrit, monachis et clericis qui aderant intuentibus et Deum in Martino cum quanta poterant devotionis alacritate [1] laudantibus.

8. Ad hæc autem et illud apponamus quod, Gerardo de Castellione septimario [2] adhuc vivente et missam dominicam ad altare [3] pontificis celebrante, quidam a nativitate cæcus a suis adductus est ad hoc ipsum de quo tanta emanat sanitatum [4] copia sepulcrum confessoris gloriosi, et ibi sub expectatione miserationis divinæ relictus [5]. Cui quasi dormitanti et somnolento idem ipse beatus pater visus est oculos tangere et signo crucis imposito aperire. Qui et continuo evigilans et [6] surgens, clamare cœpit: *En video, en video, qui cæcus natus sum.* Et cum quæreretur ab eo quomodo vidisset, dicebat: *Quidam* [7] *oculos meos aperuit, qui* [8] *post redditum mihi lumen me vidente capsam istam* [9] *grandem et speciosam intravit.* Et manu protensa capsam et quo intrare illum viderat gratulabundus demonstrabat. Nec poterant astantes pietatis ingenti fervore vel a lacrimis vel a laudibus Christi et [10] operantis in Christo Martini [11] se cohibere.

9. Sed nec illud a tantorum insignium est catalogo nobis subtrahendum quod in festivitate beati Brictii, quæ tertio die a transitu sacerdotis magni celebratur, quidam miles Matheus nomine, qui hodieque superstes est [12], maceriam struens, cum circa operarios suos ne remisse se haberent sollicitus pluere utpote in hieme ad impedimentum operis [13] justo molestius ferret, in cœlo posuit os suum sanctumque Brictium cum festo suo cœpit detestari et maledicere. Nec mora, lingua procax et blasphema [14] effrenationis suæ subacta [15] supplicio non solum injurioso sed omni necessario divinitus compressa carere coacta est eloquio. Mutus [16] ergo sub momento factus et pœna compellente sero culpam intelligens (vexatio enim sola intellectum stultorum dat auditui), cum clientum nulli verbis posset imperare, ad sternendum sibi [17] equum per seipsum quantocius ipse [18] festinans [19] acceleransque, mirante et stupente familia, ad ecclesiam pontificis venit et ante altare ejusdem beati Brictii se projiciens, quia verbis non poterat, cum gemitu et lacrimis misericordiam Dei sub invocatione confessorum præcordialiter [20] implorabat.

10. Nec statim curatus est, ut et temeritas punita corrigeretur et ex mora subventionis clementia gratior fieret et auctoratior redderetur.

[1] (d. a.) devotione 2. — [2] septimanario 2. — [3] aram 2. — [4] suavitatum 2. — [5] derelictus 2. — [6] (ev. et) *om.* 2. — [7] Qui 2, *et ita etiam* 1 *ante corr. man. recentiori.* — [8] quidam episcopus; et quidam *in* 1 *ante corr.* — [9] *om.* 2. — [10] vel 2. — [11] *ita* 2, *et etiam* 1 *ante corr.; post corr.* et operantis in Martino 1. — [12] (s. e.) superest 2. — [13] *add.* sui 2. — [14] *ita* 2; blasphema 1. — [15] subacto 2. — [16] *ita* 2; murus 1. — [17] *om.* 2. — [18] *om.* 2. — [19] festinavit 2. — [20] præcorditer 2.

Proinde deductis ibidem in orationibus et jejuniis cum crebro singultu multis noctibus [1], cum venisset tempus miserendi ejus, beato Brictio cui peccaverat et ante cujus procumbebat altare curationem et honorem curationis cedente domino et patri suo Martino, dum quadam vice orans (ibat enim sæpius de altero ad alterum), sepulcro sacerdotis magni oraturus se repræsentare vellet, dum vadit inter utramque utriusque præsulis tumbam, ut et Martinus Brictio deferre videretur, medio ab utroque loco, post circulum mensis unius linguæ officium recepit, cunctis qui aderant audientibus et causam sciscitantibus suam contestans et confitens nequitiam et in sanctis suis Dei magnificentiam collaudans. Vivit hactenus civitatis totius plebi notissimus, et annis singulis in eadem qua peccaverat et coargutus fuerat solemnitate ad atria confessorum [2] recurrens cum gratiarum actione noctem ducit pervigilem; et, ne ingratus beneficio appareat [3], sanctum Brictium quinque solidorum oblatione pro adepta sanitate remunerat.

11. Multa quoque alia, venerande pater, in diebus nostris facta cognovimus; quæ si omnia sigillatim [4] narrarentur, et nos fastidio et sollicitudinem vestram pluribus intentam occupatione ingrata forsitan onerarent: sed quoniam in superiori epistola beatum Martinum et suos præ ceteris fere sanctis sedulo protegere et a suis propensioris venerationem devotionis recipere positum est, non ab re ducimus ad hoc comprobandum aliqua subjungere. Protectionis ejus testes apud nos sunt [5] libri in quibus refertur quomodo et nos et nostra, sed et urbem ipsam ab hostibus frequenter eruerit; testis multimoda experientia qua jugibus pietatis ejus beneficiis ipsius erga nos favorem redundare sentimus; testis optatæ serenitas pacis et divitiarum affluentia quibus castri nostri municipium pollere gaudemus. Affectionis autem [6] nostræ et totius populi in eum præclarum primo reddit testimonium quod non, ut in aliis fit ecclesiis, per vicarios (nec enim vicarius unquam aliquis hactenus chorum nostrum intrare permissus est), sed per nosmetipsos die noctuque servitio Dei et ejus assistimus. Dein quotidianus et indefessus [7] civium sese prævenientium et comprimentium, exceptis peregrinis qui nunquam fere desunt, in venerabili aula ad ipsius sepulcrum [8] concursus testimonium reddunt, et quatuor illæ reverentissimæ solemnitates [9] quas in ejus nomine et honore quotannis specialiter nobiscum celebrant et civitas et stipati confluentium multitudinum conventus.

12. Prima pontificis nostri agitur festivitas quarto Idus Maii, duplici nobis ex causa venerabilis, altera scilicet de exceptione ejus, ut ab

[1] (m. n.) *add. ex* 2; *om.* 1. — [2] sanctorum 2. — [3] *om.* 2. — [4] singillatim 2. — [5] (a. n. s.) s. a. n. 2. — [6] *om.* 2. — [7] (c. e. i.) *om.* 2. — [8] (sese-sepulcrum) et peregrinorum indefessus 2. — [9] festivitates 2.

antiquis traditum est nobis, cum pretioso Thebæorum sanguine [1] eo quo in superiori epistola vobis significavimus modo cœlitus obtento ab Agauno [2] revertentis, altera de triumpho quo per illationem sui corporis civitatem liberavit obsessam, victis et effugatis hostibus adhuc paganis, Danis scilicet et Suedis. In qua [3] solemnitate, præclaro et religioso Majoris Monasterii conventu navali evectione [4] humillime cum psalmis et canticis spiritualibus communis patroni sepulcrum visitante, spectare et mirari est devotissimos Martini [5] cives ob venerationem Martini veneratum eum venientes venerari [6]. Nam ad exceptum servorum Christi de navibus exeuntium super oras Ligeris densa constipatione universis confluentibus veneratio modum fere [7] excedit. Ab amne siquidem usque ad atria vel introitum valvarum basilicæ pontificis longo itinere humus multa conspersi virentis graminis et florum suave [8] redolentium copia vernat. Ex ollulis vice thuribulorum sub divo appensis et a medio inferiori prunarum [9] congerie repletis, a medio superiori crebro vulnere [10] pro evaporatu perforatis, suavissimus præ concrematione diversorum aromatum fumus progrediens odoriferis densatum [11] nubeculis aerem reddit gratissimum. In utroque totius vici latere muri in anterioribus domorum partibus pretiosis tapetibus et palliis olosericis ex [12] multis coloribus absque interstitio tanto pii affectus studio perornantur, ut plane videatur cunctis præ amœnitate et decore quasi quidam introitus paradisi. Qui scilicet sacer monachorum conventus, tanta a nobis et a civibus jocunditate susceptus, sed jocundiori nobiscum ad honorem Dei et patroni cum solemnissimo missarum conventu statione celebrata, salutato pastore, ut grex devotissimus se ejus tuitioni committens, accepta a nobis licentia, toto adhuc plateæ ornatu manente, eisdem civibus usque ad ingressum navigiorum cum debita prosequentibus reverentia, non jocando [13] nec aliter quam in [14] psalmis colloquendo ad dilecta habitationis suæ tabernacula revertitur.

13. Secunda ejus solemnitas quarto Nonarum Juliarum die celeberrima apud nos triplici [15] ex causa habetur [16] : prima scilicet de ordinatione episcopatus ipsius, secunda de elevatione corporis ejus e [17] terra, seu translatione de loco sepulturæ ad absidem in qua sanctus illud [18] Perpetuus decentius reponere decreverat. Quæ festivitas ut ita duplicaretur, non tam humano consilio quam divina voluntate provisum esse videtur : quia, dum ab episcopis quorum intererat [19] constitutum esset ut in ipsius [20] Julii Kalendis idem ejus sacratissimum

[1] (T. s.) s. T. 2. — [2] Augauno 2. — [3] *ita* 2 ; quo 1. — [4] enectione 2. — [5] (d. M.) M. d. 2. — [6] *ita codd. sed in* 1 *utraque vox* veneratum *et* venerari *signata puncto delente subtus posito*. — [7] (m. f.) f. m. 2. — [8] *om.* 2. — [9] prunarum 2. — [10] (c. v.) *om.* 2. — [11] densarum 2. — [12] et 2. — [13] jocundo 2. — [14] *om.* 2. — [15] duplici 2. — [16] celebratur 2. — [17] de 2. — [18] *add.* illud *perperam* 2. — [19] (q. i.) qui intererant 2. — [20] ipsis 2.

corpus a terra efferretur, sicut in primo Miraculorum ejus libro beatus refert Gregorius, toto laborantes triduo nunquam illud [1] nisi in ordinationis ejus annuo [2] die, quæ IIIIto Nonas ejusdem mensis jam tunc celebrabatur, movere potuerunt. Ordinatus est autem [3] vel consecratus in archiepiscopatu [4] anno ætatis suæ quinquagesimo quinto; vixit in præsulatu sanctissime apostolicis refulgens miraculis annis XXVI; post quæ [5] cœlo anima, terra carne receptus jacuit sepultus annis LXIIIIor : et his excursis, angelo apparente et juvante, elevatus, ordinatione ejus et translatione concurrentibus [6], duplicem et venerabilem nobis et omni populo terræ constituit solemnitatem. Quam et postea magnifica basilicæ ipsius dedicatio eadem die a sancto qui illam construxerat procurata, perpetuo celebriorem reddidit, et tertiam nobis tantæ festivitatis in gaudio spiritus causam adjunxit. In hujus nocte illam de qua vobis quærenti prout ex majorum traditione accepimus in superiori epistola satisfecimus, præsentiæ Martini desiderabilem nobis expectationem celebramus, et hanc posteris imitanda devotione observandam transmittimus,

14. Tertia, quæ ceteris eminet, de transitu præsulis IIIo Idus Novembris veneranda excolitur solemnitas, quando, ut scriptum est, liberavit Deus animam ejus ne iret in interitum, sed vivens videret lucem, prænuntians ei ut amico quod lux esset possessio ejus et [7] ad eam ascenderet, quando et elevatus de pulvere hic pauper et modicus cœlum dives cum divinis ingrediens concentibus sedit in aula regis æterni cum principibus, et solium gloriæ tenuit. Nec enim dubitandum est arcem judiciariæ sedis competere, cum devotione, fide et opere nullo eorum inferior [8] appareat quibus laborum æquus appensor et mercedis justus redditor Christus [9] pollicetur dicens : *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes XII, judicantes XII tribus Israel.* In quo enim virtutis genere illis iste dissimilis extitit, ut non etiam justissime eis et honore comparari possit? Qui parentes, patriam censusque paternos instar perfectissimorum imitatorum Christi deserens et in exteras ut peregrinus et advena regiones demigrans, a fastu regii generis et dignitate tribunitiæ [10] potestatis, servus servorum Deí factus, ad extremam usque paupertatem non solum facultatum sed et voluntatis propriæ in monachicæ vel eremiticæ vitæ proposito se [11] coercuit. Et deinceps in prædicationis officio sicut et illi legatione Christi fungens, idola destruxit, evertit aras, delubra incendit, succidit lucos, innumeros abdicato gentilitatis errore ad fidem

[1] *om.* 2. — [2] (o. e. a.) a. o. e. 2. — [3] (e. a.) a. e. 2. — [4] archiepiscopum 2. — [5] quos 2. — [6] occurrentibus 2. — [7] (et-tenuit) *deest in* 2. — [8] *add. ex* 2; *om.* 1. — [9] *om.* 2. — [10] tribunicæ 2. — [11] sese 2.

christianam convertens Ecclesiam dilatavit, monasteria plurima fundavit, confutavit hæreses, et in his laborans et decertans persecutiones acerbissimas sustinuit, adeo ut publice virgis cæsus, gladiis et cultris a paganis sæpe appetitus sit. In quo itaque iste apostolis minor qui, etsi non nomine, opere tamen, ut ex his probatur, apostolus, et præter hæc per compassionem omnia factus omnibus, cum summus esset pontifex et miraculis coruscaret innumeris, tanta se humilitate et patientia depressit ut asello sedens, præ vilitate habitus non agnitus a militibus, aliquando instar rusticani gravissime cæderetur, quotidie diversis sævientium episcoporum premeretur scandalis et dissidentium clericorum impune læderetur [1] injuriis, et cum exterior deesset lictor qui eum semel detruncaret aut crucifigeret, ipse ultroneis cruciatibus nuditatis, frigoris et inediæ vigiliarumque desiccatione et quacumque affligi poterat maceratione longo triumphans martyrio de se pœnas exigeret ? (1)...

15. Sed ut ad propositum recurramus, ceteræ beati pontificis solemnitates nobis quasi speciales sunt ; hæc autem transitus ejus de qua sermo [2] universæ pariter Ecclesiæ communis et celeberrima [3] : quoniam cum semper tunc maxime, ut ait quidam, Martinum Turonis simul et mundus colit omnis. Nec immerito plane, quia hæc est præclara dies in qua non modo egregiis ejus et exemplis ædificati et meritis roborati quique fideles de ipsius protectione gloriantur et gaudent, sed et [4] de prædicabili ejus transitu ac processu glorioso ad superos distinctis ordinibus aula cœlestis conjubilat; quia, ut cantatur, inde exultant angeli, lætantur archangeli, chorus sanctorum proclamat, turba virginum invitat, dicens : *Mane nobiscum in æternum.* Vere splendidus cœlis et arvo beati Martini transitus, in cujus rememoratione et deorsum linguæ, tribus, gentes ovant et sursum omnium cœlestium virtutum Christo psallens congratulatur exercitus. Quidni [5] ergo incomparabili et ineffabili exultatione in hac tanta solemnitate gloriosi transitus piissimi præsulis sui specialiter civitas nostra congaudeat, cum jam generaliter universus orbis de ejus patrocinio, tot ecclesiis sub ipsius honore et nomine longe lateque dicatis, triumphet, et illa cœlestis curia de ejus consortio lætabunda et laudans tripudiet ? Hujus autem festivitatis cum per totam hebdomadam votiva gaudia protrahantur, dies tamen octava eo devotius quo liberius ab omnibus celebratur : quoniam, confluentium catervis populorum ad propria reversis, cives, aliis intermissis jam ad nil aliud vacant nisi

[1] premeretur 2. — [2] *add.* est 2. — [3] *add.* est 2. — [4] *om.* 2. — [5] (Quidni-tripudiet) *om.* 2.

(1) Parænetica quædam, duas tertias columnæ capientia, omittimus ; quæ desunt et in cod. 2.

ut causa nundinarum et causa hospitum injuriatæ solemnitati [1] omni cum integritate devotionis satisfaciant.

16. Quartæ causam festivitatis in superiori epistola jam tetigimus, quam de exceptione corporis ejus a Burgundia olim relati in ipsis Decembris Idibus celebramus, non solum nobis sed et omni populo terræ venerabilem, cui in proavis suis cum referretur [2] inaudita eatenus monstrata sunt miracula. Quod scilicet corpus qua necessitate illuc delatum, quamdiu ibi detentum et cum quanta signorum gloria sit relatum, quia vobis incompertum credimus, materiam largam et auditu dignam succingentes breviter aperimus.

17. Dum [3] sicut in diebus antiquis, in diebus synagogæ, sic et modernis temporibus Ecclesiæ patres nostri ad iracundiam provocassent [4] Deum, etsi non, ut priores, in diis alienis, in vitiis tamen et sceleribus multis, ultor iniquitatum Deus [5] propinavit universæ Galliæ de calice iræ et indignationis, qui est in manu ejus plenus mixto ; et biberunt ex eo fel et absinthium, ut digni erant, peccatores terræ; et in flagello suo inundante [6] et scopa terente, Attyla scilicet et Hunis, arrogantiam fortium humiliavit et contrivit impios de terra. Sed et reciproca ultione contrito baculo impiorum, cum cessasset exactor, quievisset tributum et jugum inique dominantium [7] ablatum esset de cervicibus oppressorum onusque diruptum ab humero punitorum : his qui castigati fuerant nec mortificati se iterum luxuriei et solitis dedentibus vitiis, Deus, ut fæcem quæ restiterat exinaniret et recrudescentem [8] superbiam humiliaret, vel potius ad purum excoqueret scoriam Galliæ, in partibus nostris suscitavit super nos virgam [9] Normannorum et ceterarum Aquilonarium gentium, cædentem populos in [10] indignatione, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.

18. Sed cum de his urbem Turonicam circumdantibus sub Hastingo duce, beatus Martinus clara ut prædiximus triumphasset victoria, illo de medio facto, necdumque [11] siluisset terra, Rollone adhuc pagano secundo et tertio oras Ligeris et Sequanæ et mediterraneum eorumdem fluminum infestantes, metuentes Turonici ne propter peccata eorum Dominus factus velut inimicus repelleret altare suum et cogitaret dissipare murum filiæ Syon et fierent hostes ejus in capite, magisque inhonorationem patroni quam civitatis ruinam timentes, inito consilio corpus ejus cum ingenti quidem mœrore sed cum decenti instructu ad ulteriora Burgundiæ, ubi nullus hostium excursus formidaretur, transmiserunt, duodecim canonicis et duplicis

[1] *ita* 2; solemnitate 1. — [2] refertur 2. — [3] Cum 2. — [4] provocasset 2. — [5] *add.* idem 2. — [6] mundante 2. — [7] *add. ex* 2; *om.* 1. — [8] rudescentem 2. — [9] *om.* 2. — [10] *add. ex* 2; *om.* 1. — [11] necdum 2.

numeri monachis cum abbate Herberno, qui ei in [1] hymnis et psalmis deservirent, duodecimque [2] ditissimis [3] civibus qui eis in administratione exteriori subservirent, deputatis. Quid plura? Fertur Autisiodorum et occurrente Burgundionum innumerabili multitudine in ecclesia beati Germani deponitur. Operatur ut ipse : infulgent coruscationes signorum ejus toti terræ, ambitur precibus, attrahitur votis, honoratur muneribus, in tantum ut, irritante cupiditate, Autisiodorenses clerici miracula non minus suo antistiti quam Martino deputantes, calumniam Turonibus de participio oblationum inferrent.

19. Sed ex placito utriusque partis inter corpora pontificum leproso sub hac conditione constituto ut, a cujus parte medius sanaretur, illi et signa et munera imputarentur, mox a parte Martini illo mediotenus sanato iterumque regyrato et ex altera medietate nihilominus curato [4], probatissimo experimento sua Martino sibi vendicante, cum ingenti omnium favore sopita est altercatio. Et deinceps non solum ipse sed et omnes exilii ejus comites in tanta veneratione habiti sunt ut, per diversas et provincias et ecclesias ad summos certatim rapti et evecti honores, universi ipsum pontifices et abbates in Turoniam jubilantes reducerent, qui cum eo simplices clerici et monachi præ mœrore ejulantes ascenderant [5]? Solus vir Domini [6] Herbernus abbas ivit [7], abbas rediit; sed statim post relationem patroni nobilium terræ et civium instantia in ipsa civitate Turonica archiepiscopus ordinatus est.

20. Transeunt interim xxx^{ta} et eo amplius anni, Martino Burgundiam mirabilibus [8] illustrante et omnem provinciæ illius populum venerationi suæ [9] inclinante, Rollone Neustriam, quæ nunc Northmannia dicitur, sibi violenter vendicante et Franciam crebris incursibus infestante. Quæ videlicet Francia cum recepisset duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis suis et venisset tempus miserendi ejus, Domino deinceps post iram et vindictam scelerum misericordiæ recordante et sereniore oculo de cœlo in terram respiciente, ut audiret gemitus compeditorum et solveret filios interemptorum, pace reddita, cum jam in verbis suis monstra placasset, Rollone duce et Northmannis fide Christi infrenatis, Turonici ab Autisiodorensibus depositum instanter reposcunt; sed illis, cum auctoritate regia quam et precibus et pecunia contraxerant fulti essent, haud segniter negantibus, altercatio priore acrior suborta in longum protrahitur, donec Ingelgerius comes inspiratione divina et Turonorum lacrimis permotus, assumptis secum plus quam sex millibus armatorum improvisus civitatem ingrediens, attonitis civibus minis et viribus et militari terrore, reverendum patroni corpus sibi reddi compulit et cum ingenti

[1] *om.* 2. — [2] duodecim 2. — [3] ditissimisque 2. — [4] sanato 2. — [5] *ita* 2 ; ascenderent 1. — [6] *om.* 2. — [7] *om.* 2. — [8] *om.* 2. — [9] illius 2.

gloria atque infinito præsulum et procerum, omnisque conditionis et utriusque sexus agmine ad propria reduxit.

21. In qua reductione quam veris certisque signorum argumentis Martinus se Martinum probaverit [1], nec stilo nec verbo comprehensibile [2]. Nam, ut de his taceam quæ toto itinere facta sunt, cum terminos parochiæ sibi olim a Deo delegatæ [3] subintraret, ecce ad introitum domini et patris patriæ, inaudito nobis miraculo, insensibilia quasi sensum concipere [4], asperitas hiemis medio Decembri tepescere, cœlum clementius fieri, boreas commutari in zephyrum, et aer vernas in bruma cœpit spirare blanditias; terra omnis circa transitum ejus virenti gramine vestiri, et arbores undique jam pridem spoliatæ et velut aridæ [5] rediviva fronde ceu pubescentes comas ducere et diverso flore vernare; cœpere ecclesiarum signa sine manu humana, stupentibus æditius, decussatim [6] concrepare et cerei atque [7] lampades extinctæ infuso desuper lumine solito coruscare splendidius. Et [8] hæc quidem pro ostendenda Martini gloria virtus operabatur Altissimi.

22. Sed ne sola vitæ expertia [9] Martini gloriam viderentur testari (nec enim hæc propter illa, sed propter homines ad reditus ejus congratulationem et ad Dei laudem excitandos fiebant), etiam illi qui cura indigebant et quibus prodesse poterat, optimi pastoris et medici regressum magnifice merueruut experiri. Nam sicut de eo adhuc vivente scriptum est quod, cum Evantium, Galli avunculum, extremo mortis periculo interceptum, litteris evocatus visitaret, virtutem advenientis senserit ægrotus et surgens incolumis ei occurrerit: ita et [10] nunc et carcere præclusi et quolibet morborum genere affecti corporis ejus cum de exilio referretur, gratiam præsenserunt; et illi repagulis vel nexibus dissipatis liberati, et hi [11] compressis infirmitatibus sanitate donati eidem liberatori et curatori suo alacres in multa gratiarum actione occurrerunt.

23. In tantum autem curationis hujus diffusio etiam ultra devotionis terminos sese dilatavit, ut non solum flagitantes et rogantes, sed etiam fugientes et abrogantes sanitatem nonnullos sanitas occupaverit. Nam duo aliqui gressu pedum carentes, scabellis et lignorum fulcimentis ad petenda victus et vestitus supplementa sese trahendo nitentes, dum, multis causa pietatis et compassionis intuitu multa præstantibus, impune pingues et nitiduli victitant, audito quod Martinus quasi incuriæ pœnitens et diuturnæ damna absentiæ multiplicatis beneficiis neglectis ovibus compensans [12], omnes liberando et

[1] (M. p.) p. M. 2. — [2] oppressibile 2. — [3] (sibi o. a. D. d.) suæ 2. — [4] recipere 2. — [5] (e v. a.) *om.* 2. — [6] *codd.* decusatim. — [7] ac 2. — [8] (Et-Altissimi) *om.* 2. — [9] *ita* 2; experitia 1. — [10] *om.* 2. — [11] *ita* 2; hiis 1, *forsan pro* ii. — [12] *ita* 2; dispensans 1.

sanando, in episcopatu suo nullum ergastulo, nullum alicujus ægritudinis incommodo detineri permitteret, verentes ne sanis factis mendicare eis jam aut dedecus aut inutile esset, et laborare et in sudore vultus sui cogerentur vesci pane suo, inito consilio, fugam qualem hujusmodi homines poterant arripiunt, insipientes et maligni, putantes quod, si ejusdem terminos diœcesis excessissent [1], Martini potentiam possent effugere. Sed orante Martino sapientia quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, hic quoque vicit malitiam et comprehendit astutos in astutia sua : quia repente, dum non cavent, perfecte sanatos ad eum quem fugiebant redire et gratias agere coegit. Nec enim aliud quid facerent, etiam si argute disquirerent, invenirent, quoniam et in notissimis [2] quod gestum erat non poterat occultari et [3] ipsi jam correctiores deterrente conscientia judicium ultionis metuebant, si ingrati persisterent. Proinde facientes, ut dicitur, de necessitate virtutem, mutata voluntate ad Martini misericordiam supplices concurrerunt, et in argumento sanationis suæ ostensis lignipedibus quibus infirmi adhuc nitebantur, attonitis omnibus qui eos prius noverant et nunc incedere videbant [4], cuncta seriatim quæ a se et in se facta fuerant propriæ vocis judicio prodiderunt.

24. Tanta miraculorum magnificentia domni et patroni nostri Martini corpus cum [5] referretur mirificatum et totam Franciam et maxime Turoniam suam ineffabiliter lætificavit, et [6] hanc de cujus hæc gloria retulimus relationis suæ festivitatem perpetuo nobis in hymnis et confessionibus solemnizandam consecravit. In illo reversionis ejus die, in copiosa beneficiorum redhibitione, per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, in cujus pennis sanitas est, sol justitiæ Christus Deus noster, et ex tunc sub velamento alarum ejus pace, abundantia et securitate, Martini meritis et precibus adjuti, exultantes perfruimur (1).

25. Sed jam, reverende pater, terminum hic super his facientes, interminum et omnipotentem Deum, qui in sanctis suis magnificus est, tanta inter nos immeritos per Martinum suum operantem, benedicimus, et, si non quantas debemus, quas tamen possumus pro affectu quem in eumdem patronum nostrum habetis, gratiarum vobis actiones humiliter exsolvimus. Latorem [7] quoque præsentium, dilectum filium vestrum Guibertum, in dilectione Christi plurimum amplectentes, cum litteris inquisitionibus vestris satisfacientibus et

[1] exissent 2. — [2] *ita* 2 ; novissimis 1. — [3] (et-persisterent) *om.* 2. — [4] videbat 2. — [5] dum 2. — [6] (et-consecravit) *om.* 2. — [7] (Latorem-fundamentum) *om.* 2.

(1) Hic rursus omittimus partem paræneticam quinque columnis comprehensam, quæ deest et in 2.

sigillo beati Martini munitis gratia et favore nostro [1] ut dignum est comitatum cum multa hilaritate remittimus, veraciter de illo asserentes quoniam devotio quam in patronum plurimam habet, nobis specialiter amabilem, et officiosum pietatis studium cunctis quibus notus reddit commendabilem. Affectum proinde cordis ejus quo in promovendis Martini laudibus fervet, non ex scriptis solum quæ de eo reddidit, sed ex labore plurimo quem pro eo, sepulcrum ejus de longinquo expetens, sustinuit approbantes, nulli posse arbitramur tantum inesse bonæ voluntatis fastigium, nisi prius correctioris vitæ præstruxerit fundamentum. Salutationis ergo jam debitum sanctitati vestræ solventes, Deum oramus ut ad utilitatem Ecclesiæ suæ pontificium [2] vestrum longo in prosperitate conservet tempore et devotionem qua in beatum fervetis Martinum in id dilatet et promoveat ut, ejus in sanctis operibus imitator effectus, in regno Dei ipsius quoque [3] adjungi consortio [4] mereamini. Valete.

Guibertus abbas Gemmelacensis Coloniensi archiepiscopo.

1. Domno et patri Philippo archiepiscopo, Dei largitate [5] virtutum dote clarissimo, Guibertus suus, in diademate summi pontificis Christi inter pretiosos sacerdotum lapides perpetualiter coruscare. — Quoniam ad excitandos legentes de religione Majoris Monasterii a beato Martino fundati superiori epistola aliqua perstrinximus, superest ut in hac, opitulatione ejus, de nobilitate et magnificentia ecclesiæ Castri Novi in qua corpus ejusdem confessoris, olim pauperis nunc divitis, requiescit, et de aliis quibusdam locis, ejus vel conversatione vel frequentatione consecratis, pauca referamus, ad laudem et honorem illius qui ponit humiles in sublimi et cornu eorum exaltat in gloria. Et (1) quia ii qui largiente Domino eadem loca tenent, gratissima quibus ad imitationem sanctitatis ejus provocentur quotidie præ oculis habent operum monimenta, demus operam ne et [6] absentes qui ea nunquam vel viderunt vel visuri sunt, ad quos forte hæc pervenerint, hisdem careant incitamentis, et solo saltem auditu dignitatem atque reverentiam eorum, meritis viri obtentam, percipiant (2)...

2. Exigeret susceptæ ratio defensionis ut cuidam, ineptæ licet et frivolæ, obviarem calumniæ, submurmurantibus nonnullis quod et a

[1] *cod.* vestro. — [2] pontificatum 2. — [3] *om.* 2. — [4] (a. c.) c. a. 2. — [5] (largitate) gratia largiente 2. — [6] *cod.* ad.

(1) (Et quia-percipiant) om. 2. — (2) Omittimus hic tractum sequentem in 1, quoniam nihil refert historice, sed tantum laudem continet virtutum S. Martini et comparationem ejus cum sanctis qui ante ortum suum sanctificati fuerunt vel prænuntiati.

Severo asseritur et in quibusdam ecclesiis Martinus in hymno par apostolis concinitur, si non jam eidem calumniæ ab armario Majoris Monasterii, domno Adam, viro venerabili, me rogante subtili et eleganti responsione fortiter obviatum esset et obstructum os iniqua loquentium. Quam qui legere [1] voluerit, quam digne et rationabiliter Martinus apostolis conferatur, si benevolus lector fuerit, approbabit.

3. Ceterum ut me jam a debito promissionis expediam, de ecclesia Castri Novi in qua corporetenus requiescit confessor Dei pius, quam cum in Majori Monasterio commorarer et propria dilectione et devotione patroni et loci amœnitate tractus, accepta licentia sæpius expetebam, absolute pronuntio quod facultatem stili mei magnificentiæ ejus commendatio transcendat. Propterea de illius multifaria dispositione aliquid aggredi vereor, ne quod historiæ personant et locum frequentantibus in evidenti est inculcare judicetur superfluum, temerarium vero quod sermo incultus magis obnubilet quam illustret attentare. Verumtamen ne, ubi splendidior materia nescientibus insinuanda se ingerit, culpabili silentio occultans illam redarguar [2], juxta fidem veri plurima paucis perstringam.

4. De qua primum dicendum quod, cum nulli ecclesiarum totius Franciæ in aliquo cedat, omnibus tamen in multis præminet. Est enim, ut a dignioribus incipiam, continua pene miraculorum exhibitione celeberrima et crebra gloriosi possessoris sui Martini et aliorum qui in ea requiescunt sanctorum tam protectione secura quam visibili etiam visitatione mortalibus cunctis reverenda. Ipsa ab omni cujusvis seu ecclesiasticæ seu secularis personæ dominatu libera, ab omni quorumlibet principum servitio immunis, sub solius apostolicæ dignitatis et regiæ defensionis post Deum et Martinum constituta patrocinio, regibus et principibus terræ gloriam et honorem suum in eam afferentibus, repleta est divitiis, possessionibus dilatata, reditibus locuplex, coronis, candelabris, urceis, thuribulis, altaribus, calicibus, crucibus, claveis aureis, argenteis et gemmatis fulgida, palliis, tapetibus operosis et aliis ornatibus necessariis referta, copioso et honesto cleri et conventu decora et sonora concentu. Quotidie, vespere et mane et meridie, devotissimorum indesinenti civium frequentatur accessu, et certis anni temporibus denso peregrinorum stipatur concursu, votisque et mentibus celebratur. Multiplices lampadum igniculos qui extra commune [3] infra chorum eleagino tantum foventur oleo, numerososque cereorum radios, hastis quantitate, astris qualitate similium, singulis et præcipue festivis noctibus jocundum est intueri.

5. Exteriores præbendarum quæ ad centum quinquaginta numerum extenduntur, reditus a decem et septem præpositis e medio

[1] *cod.* legem. — [2] *cod.* redarguat. — [3] *cod.* communi.

fratrum assumptis reguntur et dispensantur. Interioris thesauri varia supellex a duodecim sacristis æque canonicis, quorum quatuor octo ceteris et ordine et censu præminent, vicaria successione custoditur: ternis, scilicet uno ex majoribus et binis ex minoribus, per singulas cujusque mensis hebdomades debitas in sacrario excubias cum æditorum sufficienti collegio noctu et interdiu peragentibus, vino primo quod excubantium necessitati proficiat ex debito competenti loco nocturnis horis semper apposito. Præsunt his omnibus personæ duæ regia auctoritate, decanus et thesaurarius, quorum prior præpositos et omnes ecclesiæ officiales et canonicos instituit, sequens sacristas tantum, eleemosynarium et totius castri, opibus confertissimi et præ cunctis suæ quantitatis florentissimi, florentia jura disponit, Deo universorum præsule distributiones has meritis patroni in pace et proprio statu conservante. Hæc ego et præ oculis habens et mente revolvens delectabar quidem, sed deficiebam spiritu, inæstimabile pelagus pietatis et divitiarum munifici largitoris nostri penetrare non valens, qui eum qui propter se pauper et vilis dum adviveret esse non abhorruit, quanta novit ipse gloria remunerans in cœlis, etiam mortuum ipsius cinerem hoc honore nobilitat in terris. Et de his quidem hactenus. Quæ ideo stupori sint necesse est quod in ecclesia canonicali nusquam facile [1] talis dispositio, tantus ornatus simul et tanti reditus inveniuntur, nisi quod his et aliis quibus late per mundum cluit honoribus Martini meritum et gratia declaratur.

6. In hac eadem ecclesia inter cetera quæ ibi divinitus geruntur magnifica, antequam Turonim accederem dignum memoria quoddam audieram aliquando factum esse a patrono miraculum. Sed postquam regressus sum in quadam illud chronica, quam nunquam antea videram, scriptum repperi. Quod ut magis innotescat, hic inserere non incongruum duxi [2]. Est autem hujusmodi. Turonis [3] fertur fuisse archidiaconus qui, propter horrendam lepræ carnis habitudinem sequestratus a cohabitatione hominum, tam pudoris quam mœroris stimulis admodum [4] afficiebatur. Devotum tamen habebat animum erga beati Martini patrocinium. Cujus festivitate appropinquante visum est somnianti quod quasi choro solemnizantium [5] clericorum interesset et infra sextam lectionem de ipso sancto pontifice inter legendum omni lepra curaretur. Nec cassa præterit visio. Nam revelata ea decano suo, permissus est solemnes festivæ noctis vigilias in choro cum aliis celebrare et memoratæ lectionis seriem recitare. Cum ad [6] decursionem virtus gloriosi præsulis divinitus affuit, qui subito lectorem suum leprosa pelle detracta atque ante ipsum projecta venustati

[1] *cod.* facie. — [2] *cod.* dixi. — [3] *add.* siquidem 2. — [4] *om.* 2. — [5] psallentium 2. — [6] *add.* ejus 2.

atque incolumitati restituit. Nec mora, ingens hoc excubantibus in ecclesia populis propalatur miraculum : exhilarantur corda omnium et in Martino laudare Deum animantur. Unde, finito ejusdem lectionis sextæ [1] responsorio, altisonis vocibus, concrepantibus etiam signis, concinunt hymnum *Te Deum laudamus*. Ex eo mos apud Turonenses inolevisse dicitur ut idem divinæ laudis hymnus in solemni nocte transitus beati Martini bis decantetur, scilicet post secundum [2] et tertium nocturnum.

7. Et miraculum quidem in chronica sic habebatur. Sed consuetudo quam de hymno eodem *Te Deum* bis cantando exinde in ecclesia illa in ipso festo transitus sancti pontificis [3] inolevisse dicit, utrum [4] aliquando constiterit, necdum mihi constat; sed jam vel abolitam vel mutatam esse [5] certissime novi. Non enim semel aut bis tantum, sed etiam ter in nocte sanctæ festivitatis prædictæ [6] idem hymnus solemnissime decantatur, dum in eadem nocte ternæ vigiliæ trium unaquæque nocturnorum, id est novem seu duodecim lectionum celebrantur, psalmis, hymnis [7], antiphonis [8], responsoriis integro numero, ordine et loco suo resonantibus, ipsoque hymno *Te Deum laudamus* a nulla earumdem vigiliarum subtracto, matutinis quoque Laudibus ex more subjunctis; quarum primas cleri [9] totius populi [10], ea solum nocte introeundi chorum licentiam habentes, ex debito festive persolvunt ; secundas abbas et monachi cœnobii Sancti Juliani in vicino positi multa cum devotione prosequuntur [11] ; tertias, solemniores ceteris, proprii ecclesiæ ipsius canonici conjubilant. Quia enim a prima sui plantatione juge et interminabile psallentium in eodem loco a principibus regni et divitibus terræ fuerat institutum, trium choris conventuum ad hoc exequendum aggregatis, cum jam longo tempore et mutatione principum et persecutione gentilium et diminutione redituum propter infestationes diripientium accidente, maxime autem pro evitando fastidii onere mutata vel ablata esset eadem jugis psallentii [12] institutio, cum de reformanda nulla suppeteret spes seu consilium, placuit tandem primariis et rectoribus ejusdem loci ut ad imitationem vel memoriam priscæ observationis saltem in nocte transitus sancti [13], confessoris summæ Trinitatis et trium mortuorum magnifici suscitatoris, ternæ celebrarentur vigiliæ et a vespertino crepusculo usque ad ortum surgentis auroræ maturo concentu producerentur.

8. In quibus et hoc ex instituto observatur quod et clerici qui tertias et monachi qui singulis nocturnis quartas recensent lectiones, singuli micantes cereos cum quibus legunt, pondere unius libræ, ex

[1] (l. s.) s. l. 2. — [2] *add.* sicut 2. — [3] (s. p.) p. sacri 2. — [4] utrumque 2. — [5] *om.* 2. — [6] (s. f. p.) p. f. 2. — [7] *om.* 2. — [8] *add.* et 2. — [9] clerici 2. — [10] oppidi 2. — [11] prosequitur 2. — [12] psallentium 2. — [13] *om.* 2.

debito sibi vendicent. Nam et hujus vigilia festivitatis unicuique canonicorum [1] singulæ libræ ceræ distribuuntur, et decano qui ceteris præest triginta. Sed et per omnes totius anni noctes, tam privatas quam solemnes, hoc ex usu tenetur ut qui tertias recitant lectiones, secundum dignitates [2] festivitatum sive ex libra sive ex dimidia seu ex libræ parte tertia modificatas de jure candelas obtineant [3], non quibuslibet fratrum propter quæstum improbe et confuse ad legendum se [4] ingerentibus, sed quibus id ex munere et electione congregationis collatum fuerit.

9. Est et ibi alia consuetudo, non quidem [5] aliqua sui dignitate laudabilis, sed, quia a magno principium sumpsisse fertur [6] miraculo, memorabilis. Et hæc [7] quidem [8] in missa [9] conventuali tantum, in qua etiam ex occasione quadam sumpsit exordium. Nec enim sacerdoti ex more in missæ initio vel fine salutanti populum et sive *Dominus vobiscum* sive [10] in conclusione collectæ *per omnia secula seculorum* dicenti, sicut in aliis ecclesiis solemniter, sed suppresse, ut a nemine audiatur, aut *cum spiritu tuo* aut *amen* respondetur ; solummodo autem ad *per omnia* et salutationem et cetera quæ præfationi præmittuntur solemnis responsio subjungitur. Cujus consuetudinis a viro quodam religioso qui ab anterioribus audierat, hujusmodi rationem accepi. Dum aliquando in majori ecclesia Castri Novi, quæ beati Martini est, conventualis missa celebraretur, contigit ut foris in atriis inter [11] quosdam civium longa simultate coalita grandis concertationis flamma erumperet. Cumque magna vociferatio et gravissimi tumultuatio fremitus exsurgeret, et furibundius [12] furor arma in alterutros suggereret [13], omnes qui missæ mysteriis astabant et maxime clerici quibus etiam inter extraneos, nedum [14] inter proprios, utpote legatis pacis, pacem reformare incumbit, sicut in talibus solet accidere, ad sedandam si possent seditionem velociter proruerunt, verentes quod, si [15] negligeretur, usque ad sanguinis effusionem et ad totius civitatis detrimentum succresceret [16]. At sacerdos qui divina tractabat, eo jam progressus ut pedem ab altari referre non posset, arbitrans aliquos remansisse præcinenti responsuros, cum excelsa voce *Per omnia secula seculorum* et ea quæ præfationem antecedunt proferret, nullo mortalium astante vel respondente ecce subito cœli cives, aut angeli aut spiritus et animæ justorum, non oculis sed auribus sensibiles [17], solemniter et officiose ad singula responderunt. Finitaque præfatione, tanta sonoritate *Sanctus, sanctus, sanctus* et cetera quæ sequuntur eos conjubilasse sermo est, ut omnes qui foris vel concertabant vel pro [18]

[1] *om.* 2. — [2] dignitatem 2. — [3] obtinent 2. — [4] (a. l. s.) s. a. l. 2. — [5] *add.* ex 2. — [6] (s. f.) f. s. 2. — [7] licet 2. — [8] *om.* 2. — [9] (i. m.) *ita* 2; immensa 1. — [10] seu 2. — [11] *add. ex* 2; *om.* 1. — [12] furibundus 2. — [13] suggeret 2. — [14] *ita* 2; necdum 1. — [15] (q. s.) *add. ex* 2; *om.* 1. — [16] excresceret 2. — [17] (non-sensibiles) *om.* 2. — [18] *add. ex* 2; *om.* 1.

pace componenda laborabant præ stupore et, quod magis credibile [1], præ terrore præsentium [2] cœlestium agminum mirabiliter attoniti, compressa divinitus contentione, festinantius quam exierant templum introirent. Et comperto post missam a sacerdote quod acciderat, pace ex facili statim restituta, gratias pro insolito divinitati agentes miraculo, diem illum quo primum *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* ab angelis cantatum est quasi sibi refulsisse arbitrati sunt. Et ut tanti signi raritas [3] quotidiana innovaretur memoria et, secundum quod scriptum est, *In conspectu angelorum psallam tibi,* præsentiæ Dei et ipsorum frequentiæ angelorum propensior de cetero exhiberetur reverentia, communi assensu firmatum est quatinus, ad indicium humani silentii et angelicæ responsionis, in missa conventuali nusquam sacerdoti præcinenti responderetur, nisi tantum illic ubi et angelicæ voces auditæ sunt et ubi cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ [4] Deo se [5] concinere pollicentur, ut et vera esset ipsorum pollicitatio et cum illis voces eorum admitterentur a Domino.

10. Et (1) de his quidem quid arbitrari [6] voluerint, judicio legentium relinquo ; et utrum necne rata sint, Deus viderit. Mea vero nihil interest, nisi quia quod audivi simpliciter suscipiens scire volentibus fideliter exposui. Nec prorsus æstimem ecclesiam tantæ auctoritatis morem ab aliis ecclesiis tam dissonum absurde et sine causa usurpare. Quod vero hoc et alia quæ in eadem fiunt ecclesia seriatim exarata non inveniuntur miracula, negligentiæ canonicorum imputandum est: qui potius et in aleis et in avibus cœli laudem [7] et cum canibus lepores et capreas cervosque camporum insequi quam his scribendis operam student impendere. Quam eorum culpabilem negligentiam, dum Turonim venissem et eis aliquantulum innotuissem, concepto ex familiaritate ausu vehementer redargui, et ut ea quæ in secunda ex duabus quas vobis direxerunt epistolis digesta legistis conscriberent miracula, importunitate coegi. Multa quidem et alia sunt quæ de eminentia, divitiis et gloria ejusdem ecclesiæ adhuc dici possent; sed hæc vel pauca de pluribus cognitu digna longe positis et adhuc nescientibus, qui forte legerent, judicavi sufficere.

11. Est etiam [8] alius locus in secundo fere ab urbe Pictavensi milliario vel, ut Gregorius Turonensis diligentius designat, quasi [9] qua-

[1] *add.* est 2. — [2] præsentiæ 2. — [3] caritas 2. — [4] (et secundum-reverentia) *om.* 2. — [5] (h. g. D. s.) g. h. s. D. 2. — [6] *cod.* arbitrati. — [7] *ita cod., forsan pro* ludere. — [8] *add.* et 2. — [9] *om.* 2.

(1) Totus hic numerus et sequens desunt in 2.

draginta distans ab illa stadiis. Et locus iste inter colliculos vineis nectareos in plano vallis amœnissimæ situs, monachis et solitariam ducentibus vitam [1] aptissimus, in quo vir beatus post regressum sanctissimi præceptoris sui Hilarii secundum sibi monasterium constituit. Cum (1) enim, ut ex historia Severi apparet, visitantis sicut in visione monitus fuerat, obstrictus lacrimis ut rediret, regredi cogitaret, audito quod et ipse jussu Constantii imperatoris in Phrygiam cum nonnullis aliis episcopis, fidei catholicæ defensoribus, exilio condemnatus esset, Italiam repetens, primum sibi monasterium Mediolani collocavit. A quo persecutione Auxentii, ejusdem civitatis archiepiscopi, arrianæ hæreseos præcipui fautoris, effugatus, eremum Gallinariæ insulæ adivit ibique aliquamdiu herbarum radicibus vixit. Deinde comperto regis pœnitentia magistrum ad Gallias remissum, regressus ad eum, cum gratanter susceptus ab illo fuisset, ut a strepitu populari securus degeret, hoc de quo sermo est, secundum sibi haud longe ab oppido monasterium posuit. In quo aggregatis fratribus multis, abbatis super eos fungens officio et nullum virtutis genus inexpertum transiens, in monachatus proposito annis pluribus sanctissime vixit, ibique trium quos suscitavit mortuorum primum, catechumenum scilicet, ad vitam reduxit et aliis miraculorum insignibus innumeris pene resplenduit.

12. De quibus licet nulla specialiter conscripta sint præter hujus catechumeni et alterius mortui, servi videlicet Lupiani honorati viri, suscitationem, tamen non est dubitandum [2] quin multa fuerint. Hinc est enim quod Gallus, discipulus ejus, ea quæ episcopus fecit narraturus, in fine primi dialogi sic ait: „ Prima illius inter militandum gesta prætereo, neque ea attingam quæ laicus egit aut monachus. „ Et in secundo dialogo, capitulo quinto: „ Illud autem animadverti sæpe, Sulpici, Martinum tibi dicere solitum nequaquam sibi in episcopatu eam virtutum gratiam suppetisse quam sæpius habuisse meminisset. Quod si verum est, immo quia verum est, conjicere [3] possumus quanta fuerint illa quæ monachus operatus est et quæ [4] teste nullo exercuit, cum tanta illum in episcopatu signa fecisse sub oculis omnium viderimus. Multa quidem illius gesta innotuere mundo neque potuere celari; sed innumerabilia esse dicuntur quæ, dum jactantiam vitat, occultavit neque in hominum notitiam passus est pervenire, quippe qui humanam substantiam supergressus, virtutis suæ conscientia mundi gloriam calcans, cœlo teste frueretur. „ Hactenus Gallus.

[1] (d. v.) v. diligentibus 2. — [2] *cod.* tantum *loco* dubitahdum. — [3] *cod.* concinere. — [4] *cod.* quo.

(1) (Cum enim-Ad hunc ergo locum, num. 13) deest in 2.

13. Ad hunc ergo locum susceptæ peregrinationis ductu exigente dum venissem, benigne a fratribus susceptus [1] et agnita adventus mei causa humanissime tractatus, ipsis ostendentibus vidi loca in quibus et prædictus [2] mortuus suscitatus et ægri ab omni morborum genere [3] curati. Vidi montes et antra a quibus pernoxii viantibus imperio et meritis ejus et [4] dæmones expulsi et abacti serpentes, et in cunctis terminis fundi ejusdem magna perpetrata miracula. Vidi etiam campanulam ipsius, cujus sonitu in diebus ejus ad celebrandas laudes divinas exciti colligebantur fratres, exiguitate sua (a duobus enim pueris in conto levissime ferri [5] posset) superfluitatem nostrorum temporum vehementer redarguens, in quibus in nonnullis [6] ecclesiis non campanæ, sed cupæ ingentes quæ [7] terrifico mugito populos magis exterreant quam advocent, exaltantur. Quæ videlicet campanula [8], sicut est altissimæ paupertatis viri index, sic non est virtutis ejus expers [9], dum vexati dolore capitis vel dentium ad eam in turri ascendentes suspensam [10] caputque ipsum intra paululum cum precibus continentes seu doloris locum [11] ad labrum ejus confricantes, cooperante fide interdum sanantur ; et quocumque auditus fuerit sonus ejus dum pulsatur, tempestates et noxii fulgurum discursus non plerumque sed jugiter propelluntur [12].

14. Quamvis autem copia signorum ibidem factorum inopem me reddiderit [13], dum obliviosus auditor ad omnia vel retinenda vel referenda non sufficio, unum tamen est quod nulla ratione præterire patior, eo quod sit satis credibile et relatu facile ; quod et a fratribus ejusdem loci et, nisi ex recordatione fallor, quibusdam ex canonicis ecclesiæ Sancti Hilarii Pictavensis narrantibus comperi. Est autem hujusmodi. Dum aliquando idem Hilarius, romanæ, ut ait Hieronymus, eloquentiæ Rhodanus, ad ipsum scilicet Martinum et sub ejus norma Deo servientes consolationis gratia Ligugiacum, hoc enim nomen [14] loco, venisset, cœlestis pastu doctrinæ refectis fratribus dum revertitur, Martinus magistro et hospiti deferens et vicem rependere volens, illum ad civitatem usque circa horam peragendorum mysteriorum comitatus est. Cumque temporis opportunitas ad celebranda pro consuetudine sacramenta sacerdotem urgeret, quærit an [15] promptu haberentur necessaria. Relato vero a Ligugiaco quem secum ferri jusserat [16] missæ apparatu, solus liber in quo conficiendorum ordo sacramentorum continebatur, invenitur deesse, seu oblivionis negligentia seu divinæ dispositionis, quæ Martinum magnificare intendebat, nutu interveniente [17], ibi derelictus. Turbatus in hoc Hilarius cum in Marti-

[1] exceptus 2. — [2] *om.* 2. — [3] (m. g.) g. m. 2. — [4] *om.* 2. — [5] fieri 2. — [6] nullis 2. — [7] qui 2. — [8] (v. c.) c. v. 2. — [9] expres 1 ; expars 2. — [10] (a. s.) s. a. 2. — [11] iocum 1. — [12] repelluntur 2. — [13] *ita* 2 ; reddiderint 1. — [14] est *add.* 2. — [15] in *add.* 2. — [16] (quem-jusserat) *om.* 2. — [17] intercurrente 2.

num sibi ministrantem quasi minus providum severius respiceret, contremuit ille, magistrum putans commotum, et anxiatus est in eo spiritus ejus : et licet per hominem hora jam competenti nullo modo referri posset, tamen dum æstuans quærit sub celeritate quem ad revehendum [1] transmitteret, ecce subito ei [2] in vestibulo ecclesiæ angelus occurrens librum pro quo molestabatur in manum porrigit et ad divina illum complenda lætum remittens evanescit.

15. Quod cum beatus rescisset Hilarius, exultans et alacer Deo gratias egit et Martinum de cetero non ut discipulum, sed ut socium debita veneratione excoluit. Cur enim jam loco haberet discipuli quem frequentioribus et majoribus quam seipsum illustrari signis divinitus conspiceret ? Aut (1) cur non devote excoleret quem, quamvis rudem adhuc in tirocinio positum, signa tamen ipsa a tanto fastigio inchoasse cerneret ut ad hoc emeritos quoslibet et perfectissimos post plurima miraculorum experimenta aspirare perrarum sit et vix possibile? Nam primum quod per eum Dominus [3] exhibuit signum, vivificatio fuit mortui catechumeni. Unde et in ipsius beati Vita Hilarii mulier defuncti cadaver filii ante pedes ejus effundens et pro revocanda pueri anima deprecans sacerdotem, invenitur dixisse : *Martinus adhuc incipiens catechumenum mortuum revocavit : tu, pontifex, redde, rogo, filium aut mihi aut baptismo ; et qui populi pater agnosceris, ut mater vocer precor obtineas.* Et hæc quidem de Ligugiaco [4] et [5] his quæ in eo gesta sunt sufficiant.

16. Ab hoc autem loco assumptus in præsulatum Turonensis archiepiscopatus [6], statim in initio ordinationis suæ cum inquietudinem frequentantium ferre non posset, duobus fere, ut scriptum est, extra civitatem millibus, in sinu Ligeris fluminis e regione monte opposito tertium fundavit cœnobium [7], religione et divitiis hodie opinatissimum, quod Majus Monasterium nominatur, eo quod non solum duobus prædictis, sed et universis ab eo conditis præmineat monasteriis. Neque (2) enim tria hæc tantum sed etiam quamplurima eum struxisse monasteria, legentibus gesta ejus in evidenti est, Severo in primo Vitæ ipsius libro asserente quia ante Martinum pauci admodum, immo pene nulli in illis regionibus Christi nomen receperant : „ Quod adeo, inquit, virtutibus exemplisque ejus convaluit, ut jam ibi nullus locus sit qui non aut ecclesiis frequentissimis aut monasteriis sit repletus. Nam ubi fana destruebat statim ibi aut ecclesias aut monasteria construebat. „

[1] *ita* 2 ; reverendum 1. — [2] (s. e.) e. s. 2. — [3] Deus 2. — [4] *ita* 2 ; *nunc* Ligiaco 1 ; *ante corr.* Lugiaco. — [5] de *add.* 2. — [6] (p. T. a.) archiepiscopatum Turonensem 2. — [7] monasterium 2.

(1) (Aut cur-possibile) om. 2. — (2) (Neque enim-construebat) om. 2.

17. Ecclesiola quoque est, rebus tenuis, virtute nobilis, titulo beatæ Mariæ insignis, quæ, pro eo quod in ripa Vigennæ [1] fluminis sita sit [2], Riparia vocatur. Hanc Martinus pontifex jam factus ob insigne paupertatis et solitudinis diligere et orationis ambitu nocturnus viator frequentare solebat, et in ea sub honore perpetuæ Virginis missas agere gratissimum ducebat, quoties vel Condatum vel Cainoense [3] castrum expetens morari in aliquo horum necessitate exigente cogeretur. Est enim inter utrumque oppidum constituta, non tamen æquis distans spatiis ab utroque. Ad quam ego quidem non accessi, sed multa de ejus cœlesti illustratione a fratribus Majoris Monasterii audivi, asserentibus eis quibus nota est, quod, quamvis inculta sit et exigua, obtinentibus et meritis gloriosæ Virginis cui sacrata et precibus præsulis a quo sacrata est, ipsis eisdem sub qua voluerint imagine sæpius se ibi manifestantibus, crebro in ea et lampades cœlitus accenduntur et nonnulla virtutum signa ostenduntur. Nec (1) vero mirum aut indignum, si abjectum licet et solitarium sacellum Maria et Martinus visitare et illustrare dignentur : qui ambo paupertatem spiritus et humilitatem cordis præ ceteris sanctis, suo tamen quisque modo, et dilexisse et tenuisse probantur.

18. Solum jam nobis ex locis de quibus facere [4] proposuimus, superest Condatum oppidum celebrare [5], in confinio Turonum, Pictavorum et Andegavorum, eo ubi Vigenna [6] Ligeri influit, sub ditione Turonensis archiepiscopi constitutum. Cui etiam si ex magnorum et divitum confluentia fluviorum, ex commeatu navium diversas merces vehentium, ex fertilium opulenta et agrorum et vinearum adjacentia nihil quæstus, nihil emolumenti vel memoratu dignum accederet, unum tamen hoc ad omnem laudem et omnem copiam bonorum sufficeret, quod pium et magnum sacerdotem Christi [7] Martinum tutorem et patronum habet, quem post multimodos agonum triumphos e laborioso hujus vitæ stadio migrantem transmisit ad requiem, quem [8] ab exilio repatriantem alacri devotione prosequi studuit, cui ad bravium cœlestis præmii, ad coronam gloriæ, ad palmam victoriæ, ad stolam jocunditatis æternæ festinanti assistere et obsequi meruit. Habet etiam inter hæc unde [9] plurimum gloriatur. Quoniam omni obrizo pretiosiorem, largam medelæ et omnimodæ opis feracem areolam terræ in qua nobili illo stratu suo in cinere et cilicio ultimo recubuit et ex qua spiritum cœlo reddidit, felici sorte possidet, ciliciumque ipsum et cinerem quibus reverendus pontifex in montem sanctum Dei ascendens et ad altare cœli introiens [10], vel obvolutus vel

[1] ingenue 2. — [2] est 2. — [3] Camonense 2. — [4] dicere 2. — [5] celebre 2. — [6] ingenua 2. — [7] *om.* 2. — [8] (quem-victoriæ) *om.* 2. — [9] *add.* et 2. — [10] (et-introiens) *om.* 2.

(1) (Nec vero-probantur) om. 2.

respersus est, apud se condita et signata in thesauris suis retinet. O (1) te Condatum, tanti præsulis splendifluis muneribus his vere nobilitatum et exaltatum, quibus nulla purpura, nullaque margarita recte conferri valeat, dum eorum obtentu, quod auro non potest, mortuis vita, pervasis [1] a spiritibus immundis et quibuslibet ægris salus redhibetur.

19. [E]t ad hunc ergo locum haud [2] alia sane quam devotionis causa trahente accedentem, gratia et provisione patroni præcurrente, dum res innotuisset, omnis quæ aderat fraternitas et maxime domnus Stephanus, Andegavensis archidiaconus, ejusdem ecclesiæ canonicus, gratanter et pronis in votis [3] beneficentiæ [4] animis me suscepit, nec quidquam nisi munera supplicationum et precum ibi expendere permisit. Præmisso itaque jejunio (erat autem die illa [5] letania major et sabbatum), et sequenti nocte dominica in vigiliis decursa, mane post celebratam missam [6] de transitu pontificis beati [7], invitantibus clericis et cum digno apparatu [8] exhibentibus, sub metu et reverentia ego et qui mecum erant ad salutanda et deosculanda in thesaurarium sacra pignora accedimus. Coram quibus procumbens, quo potui conatu effudi super me animam meam, et, quia insufficientem me et infirmum [9] repperi, ipsum pium confessorem Dei [10] deprecatus sum, ut quod meis non valerem, suis semper et meritis et precibus apud æternum mihi judicem in omni necessitate obtineret [11], donec, universa exemptus necessitate, ipsius largiente misericordia in pace [12] in idipsum bono fine dormiam et quiescam. Et cum inter alia ibi et de capillis confessoris non parvam portionem multaque pretiosa et magnæ æstimationis conspexerim, nihil dulcius, nihil affectuosius illic [13] respexerunt oculi mei, nihil [14] validius duritiam cordis mei penetravit, nihil altius menti insedit quam unicum et eximium illud humilitatis et castigandæ carnis [15] commonitorium, cinerulentum scilicet sed ostro rosulentius cilicium quod in die defunctionis suæ virginali et lacteo pontificis corpori [16] pro bysso vel purpura substerni dignum fuit. Quod tamen tactu ipso tam asperrimum sentiebatur, ut profecto non aliunde quam de crinibus sive caudis equarum contextum videatur. De quo cum vel exiguum aliquid immerito mihi et indigno ambitiose et voto et prece impertiri [17] flagitarem, prædicto [18] nihilominus archidiacono ad hoc etiam custodes vehementer urgente, sicut ex benivolentia sin-

[1] *cod.* puasis. — [2] *cod.* haut. — [3] voto 2. — [4] *om.* 2. — [5] *ita* 2; via 1. — [6] (p. c. m.) celebrata missa 2. — [7] *om.* 2. — [8] *add. ex* 2; *om.* 1. — [9] (m. e. i.) e. i. m. 2. — [10] (i. p. c. D.) i. D. c. 2. — [11] (i. om. n. ob.) (ob. i. om. n.) 2. — [12] (in pace-q.) bono fine requiescam 2. — [13] (n. a. i.) *om.* 2. — [14] (nihil validius-insedit) *om.* 2. — [15] *add. ex* 2; *om.* 1. — [16] *ita* 2; corpori 1. — [17] mihi *secunda vice* 2. — [18] (prædicto-urgente) *om.* 2.

(1) (O te Condatum-Et) om. 2.

gulorum perpendere potui, omnes assensissent, nisi interdictum archiepiscopi obstitisset, qui, ut [1] ex eorum relatione didici, hoc idem, expetentium [2] multitudine extædiatus et locum tanto pignore evacuari metuens, sub anathemate vetuerat quatinus nulli jam, licet amplissimæ personæ, exinde quidquam nisi suo nutu conferretur. Quibus auditis, nolens [3] de cetero frustra laborare nec eos importunitate cassa fatigare, desiderii mei [4] impetum violenter [5] compescui.

20. Repositis autem sacris pignoribus et gratiis pro favore redditis, cum de domo in qua sanctus obierat et de fenestra per quam in altercationem Turonorum et Pictavorum, ut in Historia Francorum narratur, gleba sacri ejus corporis transmissa fuerat, utrum adhuc manerent, exigerem : *Hic,* inquiunt, *ubi novum necdumque consummatum hoc* [6] *cernitis ædificium, et domum et in domo fenestram de quibus* [7] *quæritis, fuisse noveritis.* Monstrabant etiam digito mausoleatam requietionis ejus areolam [8], et ad caput ejusdem altare constitutum, ad quod et per singulas hebdomades missa de transitu confessoris celebratur. Narrabant quoque quod a tempore ejusdem transitus illius usque ad dies suos domicilium idem cum fenestra illa per annos circiter octingentos perstitisset, hominibus cujuslibet ævi pro reverentia habitatoris habitaculum conservare et in progenies et progenies transmittere nitentibus, et insignia orationis, deambulationis, sessionis quoque et refectionis et requietionis et maxime migrationis tanti viri retinere desiderantibus [9] : sed ante quinquennium, cum longo fatigatum senio jamjam casurum ruinam sui et ingredientium interitum minaretur, communi consilio ab invitis licet depositum dilatari et instaurari cœpisse. Ubi, dum ad nova ponenda vetera everterentur [10] fundamenta, nobile illud cilicium et capillos et ampullam vitream sanguine in modum pulveris commoliti semiplenam, quem de pretiosa Thebæorum legione a præsule quondam ab Agauno magno delatum miraculo arbitrarentur [11], quæ mihi inter cetera ostendissent, se [12] in lapide cavato diligenter signata invenisse [13] testabantur et in loco digniori, ubi veneratione debita asservabantur, reposuisse.

21. Quærente vero me instanter et sollicite [14] utrum in sacrario tam venerabili et tantæ reverentiæ [15] aliqua apparerent miracula [16], una voce tam laici quam clerici [17] responderunt ibi tanta fieri, ut præ multitudine numerari non possent, et [18] propterea a pluribus putaretur et a nonnullis licet falso astrueretur non Turonis, sed Condati beatum corporetenus quiescere Martinum. Arguente autem me et eos,

[1] (ut-didici) *om.* 2. — [2] petentium 2. — [3] nolens fatigare) *om.* 2. — [4] *om.* 2. — [5] *om.* 2. — [6] *om.* 2. — [7] qua 2. — [8] *codd.* aureolam. — [9] curantibus 2. — [10] *ita* 2; eruentur 1. — [11] arbitrantur 2. — [12] sed 2. — [13] (s. i.) i. s. 2. — [14] (i. e. s.) *om.* 2. — [15] (e. t. r.) *om* 2. — [16] (a. m.) m. a. 2. — [17] (una-clerici) *om.* 2. — [18] (Et.-Martinum) *om.* 2.

sicut et Turonicos, cur ad hæc conscribenda ignavi et negligentes [1] existerent, declinantes [2] cor suum atque os ad excusandas excusationes in peccatis dixerunt ea quæ in illuminandis cæcis et dirigendis contractis et ceteris morbis curandis [3] ibi monstrarentur signis jam præ assiduitate pro miraculis non reputari [4], et [5] ideo, ne et futuris in tædium verterentur per lectionem sicut et præsentibus per visionem, his omissis aliis necessarioribus studia sua applicare. Cumque præter hæc quæ pro nihilo ducerent, si quid quod alicujus momenti æstimarent illic contingeret inquirere [6] pergerem [7], quidam, quem pro nescio quo officio capicerium vocant, qui sibi ceteris plusculus [8] videbatur, multis attestantibus [9] ait et ibi nonnunquam [10] lampades divininitus accendi et, quod majori stupore dignum sit, phialam aquis lotam et vacuam loco solito [11] dependentem magno jubare resplenduisse, haud [12] paucis visionem hanc maximam secum attonitis oculis diu considerantibus, donec æditituo, qui ne [13] vas fragile, utpote vitreum, a fervore ignis rumperetur verebatur, materiale oleum festinato ingerente, miraculum hoc [14] ingens et insolitum, sublato cœlesti lumine, terminatum est.

22. Educentes vero nos foras in cujusdam sinum recessus, post templi, ut vulgo dicitur [15], cancellos, ostenderunt nobis exiguam vitis plantam, parum plus quam annotinam [16] et [17] quasi recenter e terra progressam. De qua pari omnes assertione rem non parva admiratione accipiendam, quam et alias antea audieram, protulerunt. *[C]um,* inquit qui præloquebatur, *domnus et patronus noster, beatissimus* [18] *Martinus, roscidum* [19] *æternæ viriditatis et jocunditatis* [20] *jam jam* [21] *intraturus paradisum, velut* [22] *ad januam, si quid imis ei plantis terreni pulveris inhæsisset, modico febris conflaretur incendio, et* [23] *anima palea carnis mox exuenda in lecto ultimæ ægritudinis flagello brevi trituraretur, sarmentis vitium dudum præcisis et penitus arefactis pro stramine decumbens* [24] *utebatur, et pro culcitra vel linteo cilicio tantum asperrimo contentus erat. Iste siquidem mos in omni ei* [25] *vita fuit, ut, dum ad visitandas exiret parochias super nudam humum substrato sibi cilicio requiesceret, domi vero in stratu lapideo somnum capiens cubaret. Cernere est hoc* [26] *et approbare in Majori Monasterio, ubi, sicut vidistis, in montis latere lectus ejus in viva ut dicitur rupe cavatus, capella coram ædificata, plus quam triginta gradibus a peregrinis vel oraturis aditur, et quam difficile longumque sit martyrium quod duxit* [27], *etiam*

[1] (e. n.) *om.* 2. — [2] (decl.-pecc.) *om.* 2. — [3] *om.* 2. — [4] reputarentur 2. — [5] (et-visionem) *om.* 2. — [6] inquirerem 2. — [7] *om.* 2. — [8] plus 2. — [9] (m. a.) *om.* 2. — [10] *om.* 2. — [11] (l. s.) s. l. 2. — [12] *cod.* haut. — [13] *ita* 2 ; nec 1. — [14] (hoc-ins.) *om.* 2. — [15] (u. v. d.) *om.* 2. — [16] annonam 2. — [17] (et-progr.) *om.* 2. — [18] *om.* 2. — [19] rosei dum. 2. — [20] (et j.) *om.* 2. — [21] *ita* 2 ; januam 1. — [22] (velut-inhæsisset) *om.* 2. — [23] (et-trit.) *om.* 2. — [24] *om.* 2. — [25] (m. i. o. e.) e. m. i. o. 2. — [26] (e. h.) h. e. 2. — [27] (sit m. q. d.) duxerit m. 2.

si nihil aliud pertulisset[1], *testatur. Spiritu autem sancti patris ad summum Patrem spirituum transmisso et carne originali terræ gremio restituta, sarmentisque quibus superjacuerat aliquibus pro reliquiis a quibusdam direptis, aliquibus huc illucque dispersis, unum illorum virtute sancti solo inhærens radicem deorsum et comam sursum emisit. Quod advertentes qui locum frequentabant et gratias agentes, quoniam intra domum erat, fosso pariete progrediendi*[2] *exitum præstiterunt. Denique, cum dilatatis hinc inde flagellis in vitem excresceret, suppositis lignorum traducibus presbyterium deforis ambire fecerunt. Et sic ad nostra usque tempora permansit. Partem fructuum uvæ in liquorem expressæ sacrosanctum altaris mysterium hactenus usurpavit; pars inter expetentes diversis adactos languoribus dispertita, nonnunquam subveniente*[3] *fide a passionibus quibus afficiebantur eripuit. Cum vero innovandæ et dilatandæ basilicæ istius necessitas exigeret ut removeretur, nos tam insigni*[4] *præsulis nostri non sustinentes privari monimento, in modum sulci longiuscule defossa humo, totum stipitem vitis summotenus deposuimus, et ecce ut videtis rursum germinat et profert comam sicut cum primum plantata est.* His et hujusmodi de operibus et laude confessoris magnifici[5] terminatis, accepta duplici benedictione in[6] multa hilaritate ad Majus Monasterium regressus sum.

23. Ibi quoque paucis diebus exactis consummatisque pro voto quæ volebam, ut[7] alias jam dictum est, cum multis exeuntem me lacrimis domno abbate Herveo et fratribus universis dulci affectu prosequentibus, ad Gemmelacense cœnobium, de quo et vestra et abbatis mei licentia exieram, post annum fere quam a vobis, reverende pater, benedictionem accepi, sicut consuleratis[8] reversus sum. Si (1) quis autem super his quæ scripsi moveatur, et mirum videri existimet cur non hæc vel ab ipsis qui loca eadem tenent clericis vel a Severo qui vitam et gesta sancti præsulis diligenter exquirendo primus exaravit, scripta fuerint, de negligentia quidem clericorum facilis mihi excusatio occurrit, quorum plurimos propriis potius et exterioribus quam communibus et interioribus rebus certum est intendere. Severum vero ista ex consilio et deliberatione magis quam ex incuria omisisse crediderim. Alioquin, quod tamen de viro sancto et sapienti suspicandum non est, recte mentiretur et ipse in caput suum, et condemnaret eum os ejus et non meum, cum in epistola prima trium quas de illo edidit profiteatur se non omnia Martini opera complexum, quia : " Si, inquit, universa prosequi voluissem, immensum volumen legentibus edidissem ": alibi, quod et jam supra

[1] pertulerit 2. — [2] *add.* ei 2. — [3] *ita* 2; subvenientes 1. — [4] insignis 2. — [5] *om.* 2. — [6] cum 2. — [7] (ut-est) *om.* 2. — [8] (s. c.) *om.* 2.

(1) Si quis *usque ad finem* om. 2.

tetigi, innumerabilia illa esse testetur; itemque alibi pronuntiet se non tanto operi destinatum ut omnia quæ de Martino cognosci oporteret, se potissimum scribente notescerent. Et evidentius in Prologo libri primi, cum præmisisset: " Igitur sancti Martini Vitam scribere exordiar ut se vel ante episcopatum vel in episcopatu gesserit „, illico subjunxit: " Quamvis nequaquam ad omnia illius potuerim pervenire: adeo ea in quibus ipse tantum sibi conscius fuit, nesciuntur; quia, laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipso fuit omnes virtutes suas latere voluisset. „ Et infert: " Quamquam etiam ex his quæ comperta nobis erant, plura omisimus, quia sufficere credidimus si tantum excellentia notarentur. Simul et lecturis consulendum fuit, ne quod his pareret copia congesta fastidium. „ Similique in conclusione totius operis, id est in fine tertii Dialogi, usus sententia: " De Martino, inquit, expectare non debes ut ulla meta sit referendi. Latius ille diffunditur quam ut ullo valeat sermone concludi. „ Cum igitur, ut ex his liquet, opera Martini universa nec scripta sint adhuc, nec [1], utpote innumerabilia, ab aliquo scribi potuerint, quis me tanquam frivolorum superfluum relatorem jure sugillandum [2] æstimet, si aliqua ex his quæ ab anterioribus ob vitandum, ut videtur, tædium prætermissa sunt, maturis et religiosis mihi tradita auctoribus, ne perpetua silentii obumbratione delitescerent, stilo quo potui in publicum revocavi, quatinus simul sint et provocatio virtutis appetendæ et aliqua divinæ laudis materia. Nam et has principales seu finales eorum quæ ad nostram doctrinam scripta sunt scimus esse causas, ut viam vitæ hujus in timore Domini et humilitate atque caritate excurrendo ad superna festinantes, exempla lucis assumamus [3] a majoribus et refundamus junioribus, ut, et videntibus [4] quibuslibet opera nostra bona et exinde glorificantibus Patrem nostrum, ex remuneratione ejus qui diligentes se diligit et provehit, in eorum numero censeamur de quibus canitur: *Beati omnes qui timent Dominum,* ut ipso nos benedicente videamus quæ bona sunt in Hierusalem omnibus diebus vitæ nostræ. Quæ universa in nobis, id est in me ista scribente et in vobis legente, et in omnibus pie accipientibus, operari dignetur adjutor in opportunitatibus, illuminatio et salus electorum Dominus, et in via nos ut perveniamus virtute corroborans et in patria ut sine fine gaudeamus beatitudine remunerans: cujus confessio super cœlum et terram, cujus nomen ante solem permanet et, exaltatum super omnia, est benedictum in secula.

[1] *vox suppleta.* — [2] *cod.* sigillandum. — [3] *cod.* assumus. — [4] (et v.) *cod.* evidentius.

ACTA

SANCTI MENÆ

MARTYRIS ÆGYPTII.

Acta S. Menæ, præclarissimi martyris, quæ die 11 Novembris tractanda erunt, quæque in linguam latinam versa jam typis mandata fuerunt, nunc græce edimus ex codice Leidensi sæpedicto (1). Utilius enim judicavimus hæc Acta græca *Analectis* nostris inseri conservanda, quam in chartis apographa relinqui incertæ fortunæ.

Versionem quæ apud Surium legitur, hinc inde ad codicis nostri lectiones emendatam aut mutatam addidimus.

Inscriptio horum Actorum uti in nostro codice exhibetur, accurata non est : nullos enim martyris socios hæc Acta Menæ tribuunt.

Μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Μηνᾶ καὶ (2) τῶν σὺν αὐτῷ.

1. Βασιλεύοντος Διοκλητιανοῦ τε καὶ Μαξιμιανοῦ, τῶν τοῦ ἀληθοῦς βασιλέως πολεμίων καὶ δυσμενῶν, γράμματα κατὰ πᾶσαν ἐφοίτα τὴν οἰκουμένην, τὸ ἀσεβὲς αὐτῶν διακελευόμενα σέβειν θρήσκευμα· θάνατόν τε τὴν ζημίαν ὁρίζοντα[1] τοῖς μὴ τοῖς αὐτῶν θεσπίσμασι πειθομένοις καὶ

Martyrium sancti ac gloriosi martyris Menæ et sociorum (2) ejus.

1. Imperantibus Diocletiano ac Maximiano, qui erant veri Regis hostes et inimici, ibant litteræ per universum orbem terræ, quæ jubebant colere impiam eorum religionem, et quæ mortem statuebant pœnam iis qui non parebant eorum edictis et a solida in Christum

[1] *cod.* ὀρίζοντα.

(1) Cfr. supra, p. 65. — (2) Circa hanc inscriptionem vide ultimam partem Præfatiunculæ nostræ.

τῆς βεβαίας ἐν Χριστῷ πίστεως ἐκ ψυχῆς μετατιθεμένοις. Ἐντεῦθεν τί μὴ τῶν χαλεπῶν συνέβαινε τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Κύριον; Ἐστενοχωρεῖτο τὰ δεσμωτήρια τῷ πλήθει τῶν καθ' ἑκάστην θηρευομένων· ἔρημοι τῶν οἰκητόρων οἵ ποτε τῶν οἴκων εὐθηνοῦντες ἐδείκνυντο· αἱ ἐρημίαι τῷ πλήθει τῶν φευγόντων εἰς πόλεις μετεσκευάζοντο· οἱ φίλοι τῆς ἀληθείας ὡς φαυλότατα δεδρακότες τιμωρίαις ἐδίδοντο· διηρπάζοντο χρήματα· φύσεως ἀνετρέποντο νόμοι, πατρὸς μὲν παῖδα προδιδόντος εἰς θάνατον, υἱοῦ δὲ πατέρα τοιούτοις, φεῦ, ἀντιδεξιουμένου φιλοτιμήμασι. Καὶ νὺξ βαθεῖα τοῦ παντὸς κατεσκέδαστο, τῶν πιστῶν μὲν πανταχόθεν ἐλαυνομένων, τῶν δὲ τῆς ἀσεβείας ὑπασπιστῶν χειρὶ πάσῃ κρατυνομένων· αἵμασί τε καὶ κνίσαις τῶν θυσιῶν καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ ἀέρος μολυνομένου. Τότε δή, τότε καὶ ὁ θαυμαστὸς οὗτος Μηνᾶς καὶ τὴν ἀρετὴν περιβόητος, λάμπων ἦν· πατρίδα μὲν τὴν Αἴγυπτον ἔχων, πατέρα δὲ καὶ προγόνους οὐκ ἀσφαλεῖς τὴν εὐσέβειαν, ἀλλὰ περὶ τὸ βέβαιον ἀβεβαίως διακειμένους. Ἐπιτήδευμα δὲ ἦν αὐτῷ τὸ στρατιωτικόν, ὑπὸ ταξιάρχῳ ταττομένῳ[1] Φιρμηλιανῷ τοὔνομα. Αὐτὸς δὲ τοῦ καταλόγου τῶν Ῥουτιλλιακῶν ἀφηγούμενος, ψυχῆς παραστήματι, μεγέθει τε καὶ κάλλει καὶ πᾶσιν ἄλλοις οἷς ὥρα σώματος καὶ γενναιότης χαρακτηρίζεσθαι πέφυκε, τῶν ἄλλων ἐτύγχανεν διαφέρων.

fide non ex animo dimovebantur. Hinc quid non grave accidebat iis qui diligebant Dominum? Angusti erant carceres multitudini eorum qui quotidie capiebantur; vacuæ erant habitatoribus quæ fuerant aliquando florentes domus; solitudines, propter multitudinem eorum qui fugiebant, mutabantur in civitates; amici veritatis, tanquam qui pessima fecissent, delebantur suppliciis; diripiebantur facultates: evertebantur leges naturæ, patre quidem ad mortem prodente filium, filio autem patrem vicissim talibus, heu, prosequente officiis. Et nox profunda per omnia offundebatur, quum fideles quidem omni ex parte expellerentur, impietatis vero defensores tota manu confirmarentur, sanguineque ac nidore sacrificiorum ipse etiam aer inficeretur. Tunc quidem, tunc Menas hic admirabilis et virtute celebris, resplendebat, patriam quidem habens Ægyptum, patrem autem et majores non stabiles in pietate, sed circa id quod est firmum minus firmiter affectos. Ejus vero studium erat militia, sub tribuno militum constituti, nomine Firmiliano. Ipse autem cum esset præfectus numeri Rutilliacorum, animi præsentia, magnitudine et pulchritudine, et omnibus

[1] *cod.* ταττωμένῳ.

2. Τῇ Κοτυαέων οὖν μητροπόλει ἅμα τῷ ταξιάρχῳ παραβαλὼν καὶ τὸ τῶν κρατούντων ἀκούσας ἀσεβὲς πρόσταγμα, τὴν στρατιωτικὴν ζώνην ἀποβαλὼν, ὑπερόριον ἑαυτὸν ἐν ἐρήμοις τόποις κατέστησε· τὴν μετὰ τῶν θηρίων διαγωγὴν μᾶλλον τῆς μετὰ τῶν εἰδωλολατρῶν προελόμενος· νηστείαις δὲ καὶ ἀγρυπνίαις καὶ τῇ τῶν θείων λογίων ἐπιμελεῖ μελέτῃ τὰς αἰσθήσεις ἄριστα καθαρθεὶς καὶ τὴν ψυχὴν φωτισθεὶς, καὶ τὰ τῆς εὐσεβείας ἀπόρρητα δι' ἀποκαλύψεως μυηθείς. Τοῦτον ἐκεῖνον αὐτὸν τὸν ἐκ πολλοῦ διαμελετώμενον εἶναι καιρὸν οἰηθεὶς, ἡμέραν φυλάξας καθ' ἣν πᾶσα ἡ Κοτυαέων πόλις δημοτελῆ [1] ἑορτὴν ὡς γενέθλιον ἦγεν ἱππικόν τε συνεκροτεῖτο θέατρον· ἐπεὶ πάντα τὸν δῆμον ἄνωθεν εἶχε θεώμενον, ἐκ παντὸς γένους συνειλεγμένον, ἰουδαίων τε καὶ ἑλλήνων, ὡσαύτως δὲ καὶ χριστιανῶν, καὶ πάντες ἤδη πρὸς τὴν τῶν ἵππων ἅμιλλαν ὅλοις ὄμμασιν ἐνητένιζον, τὴν ἐν τοῖς ὄρεσι καταλιπὼν διατριβὴν, κάτεισι πρὸς τὴν πόλιν· καὶ μέσος τοῦ θεάτρου γενόμενος, πάντας τε τοὺς περὶ τὸ στάδιον ἔχοντας παρελθὼν, καὶ τόπῳ ἐπιβὰς μετεώρω, ὅθεν ὁρατὸς πᾶσι ἔμελλε γίνεσθαι, γεγωνότερον ἐξεβόησεν· Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν· δεικνὺς διὰ τούτων ὡς οὐ

aliis quibus solet exprimi species corporis et generositas, præstabat aliis.

2. Quum ergo ad Cotyensium metropolim una cum tribuno accessisset et audivisset impium jussum imperatorum, abjecta zona militari, seipsum relegavit in deserta loca, volens potius vitam agere cum feris quam cum iis qui colunt simulacra. Vacabat autem jejuniis et vigiliis et divinorum eloquiorum diligenti meditationi, sensibus optime purgatus et anima illuminatus, et in arcanis pietatis initiatus per revelationem. Existimans hoc esse illud tempus quod jam olim meditabatur, quum diem observasset in quo universa civitas Cotyensium publicum celebrabat diem festum tanquam natalem et equestre apparabatur spectaculum, quum totus populus ex alto adspiceret, collectus ex omni genere, judæorum et gentilium et similiter christianorum, et omnes jam defixis oculis equestre intuerentur certamen, relicta sua in montibus habitatione, descendit in civitatem; et quum venisset in medium theatrum et præteriisset omnes qui erant in stadio, et locum ascendisset sublimem, unde erat videndus omnibus, alta voce exclamavit: *Inventus sum ab iis qui me non quærebant, manifestus evasi iis qui me non interrogabant;* per hæc ostendens quod

[1] *cod.* δημοτελεῖ.

πρὸς ἀνάγκην, ἀλλ' ἐθελοντὴς ἧκε [1] πρὸς ἀγῶνας ἀποδυσάμενος. Πάντας οὖν ὁ μάρτυς πρὸς τὴν ἑαυτοῦ θέαν ἐπέστρεφε, τὰ τοῦ θεάτρου δὲ παρωρᾶτο· ἡ τῶν ἵππων ἅμιλλα διεπτύετο· οὐδὲν ἦν οὐδενὶ προτιμότερον ἢ τὸ ἐκεῖνον μόνον, ὁρᾶν τοσαύτην τόλμαν ἐπιδειξάμενον. Οἱ μὲν οὖν ὁμόζηλοι τὴν εὐσέβειαν ἐθαύμαζόν τε τῆς παρρησίας τὸν μάρτυρα καὶ πολλῷ τῷ περιόντι τῆς ἡδονῆς σκιρτῶντες ἐδείκνυντο· οἱ δὲ τῇ ἀληθείᾳ διαμαχόμενοι πρὸς τὸν κατ' αὐτοῦ φόνον τὸν δικαστὴν ἀνηρέθιζον.

3. Ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν κηρύκων φωνὴ σιωπὴν παραγγείλασα τόν τε τοῦ δήμου θόρυβον καὶ τὴν τῶν αὐλῶν ἠχὼ κατεκοίμησεν, εὐθὺς ἀνάρπαστος πρὸς τὸν ἄρχοντα Πύρρον ὁ Μηνᾶς ἤγετο, ἐφ' ὑψηλοῦ [2] τότε καθήμενον καὶ τῶν ἀγώνων θεατὴν καθιστάμενον. Ὃς πρῶτα μὲν δεξιὰν ἐποιεῖτο τὴν προσαγόρευσιν, ὑποκρινόμενος ἐπιείκειαν· πραείᾳ τε φωνῇ [3] καὶ ἡμέρῳ τίς καὶ πόθεν εἴη διεπυνθάνετο. Ὡς δὲ πατρίδα καὶ γένος, αὐτήν τε στρατείαν καὶ τὸν τῆς φυγῆς τρόπον ὑποφθάσας εἶπεν ὁ μάρτυς καὶ πρὸ πάντων δοῦλον ἑαυτὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀνηγόρευσεν, εὐθὺς τὴν ἐπικεχρωσμένην ὁ δικαστὴς ἡμερότητα πρὸς τὴν φυσικὴν μετέστρεφεν ἀγριότητα, καὶ τὰ τῆς ἐξετάσεως ταμιευσάμενος εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, τοῦτον μὲν

non coactus sed sua sponte accessit ad certamina (quasi) exutus vestibus. Omnes ergo martyr convertit ad sui spectaculum; theatrum autem despiciebatur, equorum respuebatur certamen : nihil erat cuiquam præstabilius quam hoc solum, videre qui tantam ostenderat audaciam. Et qui eumdem quidem zelum habebant in pietatem, mirabantur martyris loquendi libertatem et propter voluptatem summam exiliebant; qui autem decertabant adversus veritatem, ad ejus cædem judicem incitabant.

3. Postquam autem vox præconis indixit silentium et sedavit populi tumultum et sonum tibiarum, statim arreptus et ductus fuit Menas ad Pyrrhum præsidem, qui tunc sedebat in excelso et erat spectator certaminum. Is autem primum quidem eum placide alloquebatur, simulans mansuetudinem; voceque leni et benigna, quisnam et unde esset interrogavit. Postquam vero et patriam et genus et ipsam militiam et modum exilii protinus dixit martyr, et ante omnia dixit se esse servum Jesu Christi, statim judex fictam mansuetudinem ad naturalem convertit sævitiam et, examinatione reservata in diem sequentem, eum quidem vinctum tradit in custodiam.

[1] *cod.* ἧκε. — [2] *cod.* ὑψιλοῦ. — [3] *cod.* φωνή.

δεσμώτην τῇ φρουρᾷ δίδωσιν. Αὐτὸς δὲ, παρ' ὅλην ἡμέραν τῆς τελουμένης θέας γενόμενος, τῇ ἑξῆς [1] τῷ θυμῷ σφαδάζων, ἐχώρει πρὸς τὴν ἐξέτασιν. Πάντων οὖν τῶν ἄλλων ἀφέμενος, δι' αἰτίας εἶχε τὸ παράβολον τοῦ τολμήματος. Τοῦτο γὰρ καὶ μᾶλλον εἰς μανίαν αὐτὸν ἐξῆπτε, καταφρόνησιν οἰκείαν τὴν ἐκείνου παρρησίαν ὑπειληφότα. Ὁ δὲ ὥσπερ ἐν τούτῳ μᾶλλον καλλωπιζόμενος, θαρραλεωτέραν ἐποιεῖτο τὴν ἀπόκρισιν, Οὕτως ὁμολογεῖσθαι, λέγων, προσήκει Θεὸν, ὅτι φῶς ἐστι καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν. Τοῦτο γάρ ἡμᾶς ἐδίδαξε Παῦλος, εἰπών· Καρδίᾳ μὲν πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν.

4. Κατέπληττεν οὖν τὸν δικαστὴν τὸ πεπαρρησιασμένον τῆς διαλέξεως, καὶ πάλιν ὑπέκρυπτε τὸν θυμὸν, καὶ πάλιν προσεποιεῖτο τὴν ἐπιείκειαν, ἵνα τὸ ἀνδρεῖον τοῦ μάρτυρος ταῖς θωπείαις ἐνδοῦναι παρασκευάσῃ, καί· Μὴ παρῇς, ἔλεγεν, ὦ Μηνᾶ, τὴν ἡδίστην ταύτην ζωὴν, μηδὲ θάνατον ἄωρον τοῦ ἐφετοῦ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀλλάξῃ φωτός· ἀλλὰ ταῖς ἡμετέραις πείσθητι συμβουλίαις· ἵν' εὐδαίμονα μὲν καὶ μακαρίαν ζήσῃς ζωὴν, βασιλικῶν δὲ τιμῶν καὶ δωρεῶν ἐπιτύχῃς, ἀπόβλεπτός τε πᾶσιν ᾖς καὶ τὴν εὐημερίαν ἀξιοζήλωτος. Ἀλλ' ὁ μάρτυς πρὸς ταῦτα μέγα καὶ ἡδὺ γελάσας, ἅτε σαφῆ λῆρον αὐτὰ λογισάμενος καὶ παίδων [2] τινῶν μᾶλλον

Ipse autem quum totam diem vacasset ei quod peragebatur spectaculo, sequenti die animo æstuans processit ad examinationem. Omnibus itaque aliis missis, accusabat præcipitem audaciam. Hoc enim magis eum accendebat ad furorem, ut qui sui esse contemptionem arbitraretur illius loquendi libertatem. Ille autem tanquam propterea magis sibi placens, respondit audacius, dicens : *Sic convenit Deum confiteri, quoniam lux est, et tenebræ in eo non sunt. Hoc enim nos docuit Paulus, dicens : Corde quidem creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem.*

4. Terruit itaque judicem ejus loquendi libertas, et rursus celabat iram, et rursus simulabat mansuetudinem, ut martyris audaciam faceret cedere blanditiis; et : *Ne amittas,* aiebat, *o Mena, vitam hanc dulcissimam, neve lucem omnibus hominibus optandam morte immatura permutes; sed nostris pare consiliis, ut felicem quidem ac beatam agas vitam, ab imperatoribus autem honores et dona consequaris et sis omnibus suspiciendus et æmulatione dignus propter prosperitatem.* Martyr autem ad hæc valde ei suaviter ridens, ut qui ea reputasset esse apertas nugas et puerorum potius escas quam sapientium viro-

[1] *cod.* ἑξῆς. — [2] *cod.* παῖδων.

ἢ φρονούντων [1] ἀνδρῶν δελεάσματα, τοιούτοις αὐτὸν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τοῖς λόγοις ἠμείβετο· Οὐδέν ἐστι, λέγων, ἀντάξιόν μοι τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας· οὐδὲ γὰρ αὐτὸς ὅλος ὁ κόσμος μιᾶς ψυχῆς ἰσοστάσιος. Ἀλλ' εἴ τί μοι καὶ χαρίζεσθαι βούλει, τὴν διὰ τῶν βασάνων μᾶλλον ἐπάγαγε πεῖραν [2]· οὕτω γάρ μοι τὴν ἀληθῆ προξενήσεις μακαριότητα.

5. Ἐπεὶ οὖν ὁ Πύρρος τούτων τῶν λόγων ἤκουσε, καθεκτὸς οὐκ ἦν ἔτι, ἀλλ' ὁμόσε πρὸς τὰς κατ' αὐτοῦ βασάνους ἐχώρει· καὶ τοῖς δημίοις αὐστηρότερον ἐνιδών, ἐκ τεσσάρων μὲν κελεύει διαταθῆναι τὸν μάρτυρα· ἰσχυρότερον δὲ μαστίζεσθαι τοῖς βουνεύροις. Οὕτως οὖν σφοδρῶς αἰκιζομένου καὶ τοῦ τῶν πληγῶν ἀπορρέοντος αἵματος τῆς γῆς ἐρυθραινομένης, εἷς τις τῶν παρεστώτων, Πηγάσιος μὲν τοὔνομα, πρίγκιψ δὲ τὸ ἐπώνυμον, φιλανθρωπίαν δῆθεν ὑποκρινόμενος· Ὁρῶν, εἶπεν, ὦ ἄνθρωπε, τὸν ἐκ τῆς ἀπειθείας παριστάμενον κίνδυνον, πρὸ τοῦ τὰς σὰς σάρκας εἰς τέλος ἐκδαπανηθῆναι ταῖς μάστιξι, τὰ τῷ καιρῷ πρόσφορα διανοηθείς, θῦσον· ἴσως γὰρ καὶ διὰ τὸ τῶν βασάνων ἀνύποιστον συγγνώσεταί σοι καὶ ὁ Θεός σου τοῦ ἐγχειρήματος. Οὕτως εἰπόντα, δριμὺ πρὸς αὐτὸν ὁ μάρτυς ἐνατενίσας καὶ τοῖς αὐτοῦ ῥήμασι μᾶλλον ὀδυνηθεὶς ἢ ταῖς μάστιξιν· Ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ πάντες, οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, περιφανῶς

rum, hæc ex bono thesauro in eum verba exprompsit, dicens : *Nihil est quod mea quidem sententia conferri possit cum regno cœlorum. Neque enim totus mundus potest, æqua lance expensus, uni animæ comparari. Sed, si vis mihi gratificari, experire potius per supplicia; sic enim mihi veram conciliabis beatitudinem.*

5. Postquam autem Pyrrhus audiit hæc verba, non poterat amplius contineri, sed ad ei infligenda contendit supplicia ; et lictores acerbius intuens, martyrem quidem jubet extendi a quatuor partibus, boum autem nervis cædi vehementer. Cum sic ergo fortiter torqueretur et sanguis e vulneribus effluens terram rubram redderet, quidam ex iis qui aderant, nomine quidem Pegasius, cognomine autem Princeps, benignitatem videlicet simulans : *Cum videas,* inquit, *o homo, quod existit periculum ex inobedientia, priusquam carnes tuæ penitus flagris consumantur, ea cogitans quæ tempori conveniunt, sacrifica. Fortasse enim propterea, quod sint tormenta intolerabilia, Deus quoque tuus tibi ignoscet quod id feceris.* Cum sic dixisset, martyr torve in eum intuens et verbis ejus magis quam flagris cruciatus : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem,* aperte exclamavit;

[1] *cod.* φρονοῦντων. — [2] *cod.* πεῖραν.

ἐξεβόησεν· ἐγὼ γάρ μου τῷ Θεῷ τέθυκα καὶ εἰσέτι θύσω θυσίαν αἰνέσεως· ὅς καὶ βοηθός ἐστί μοι, καὶ τὰς μάστιγας ὑμῶν ταύτας τρυφὰς μᾶλλον ἢ βασάνους μοι παρασκευάζει λογίζεσθαι.

6. Ὡς δὲ ἑώρα τὸν ἅγιον ὁ δικαστὴς ὑπὸ τῆς βασάνου ταύτης ἥκιστα τῆς καρτερίας ὑποδιδόντα καὶ τὴν παρρησίαν μᾶλλον εὐγλωττοτέραν ποιούμενον, ἐφ' ἑτέραν ἐτρέπετο τιμωρίαν· καὶ τῷ ξύλῳ μετέωρον γενέσθαι παρασκευάσας, ἐκέλευε σιδηροῖς ὄνυξι τὸ σῶμα διασπαράττεσθαι. Εἶτα ἐγγελῶν ὥσπερ ὁ δικαστὴς καὶ τοῦ ἁγίου δηλαδὴ κατειρωνευόμενος· Ἤσθου, Μηνᾶ, τινός, ἔφησεν, ἀλγηδόνος; ἢ βούλει σοι καὶ δι' ἑτέρας κολάσεως τὰ πρός ἡδονὴν ἡμᾶς ἐπιδαψιλεύσασθαι; Ὁ δὲ μάρτυς καίτοι χαλεπῶς οὕτω ξεόμενος· Τί δὲ μέλλεις; ἔφη· οἴει ὅλως διὰ τῆς μικρᾶς ταύτης βασάνου καταπτοῆσαι με, ἢ τὸν ἐν ἐμοὶ ἀκλόνητον τῆς ὁμολογίας διασεῖσαι πύργον; Τούτων ὁ ἡγεμὼν ἀκούσας, εὐτονώτερον αὐτὸν καὶ ἔτι προσέταττε ξέεσθαι, ἐκέλευέ τε παρὰ τὸν ὄντα βασιλέα μὴ ὁμολογεῖν ἕτερον. Ὁ δὲ μάρτυς· Ἐπεὶ μὴ οἶδας, ἔφη, τίς οὗτος ὃν ὁμολογῶ βασιλεύς, διὰ τοῦτο καὶ βλάσφημον γλῶτταν κατ' αὐτοῦ κινεῖς, καὶ τοὺς φθαρτοὺς τούτους καὶ γηγενεῖς ὁμοίους αὐτῷ ποιεῖς· ὅς μᾶλλόν ἐστιν ὁ καὶ τούτους εἰς ἀρχὴν καθιστῶν καὶ σαρκὸς πάσης ὑπάρχων καὶ πνοῆς κύριος. Εἶτα ὁ δικαστής, οὐχὶ μαθεῖν βουλόμενος, ἀλλὰ τὸν ἀγνοοῦντα ὑποκρινόμενος· Καὶ τίς οὗτος, ἔλεγεν, ὁ καὶ τοῖς βασιλεῦσι τὸ κράτος

ego enim Deo meo sacrificavi et adhuc sacrificabo sacrificium laudis; qui etiam mihi dat auxilium, et efficit ut hæc flagella vestra a me reputentur potius deliciæ quam tormenta.

6. Ut autem vidit sanctum judex ob tormentum hoc nihil de sua tolerantia remittentem liberiusque et disertius loquentem, ad aliud se convertit supplicium; et quum effecisset ut in ligno tolleretur sublime, jussit ferreis ungulis corpus ejus laniari. Deinde tanquam irridens judex et sanctum ironice scilicet alloquens : *Sensisti,* inquit, *aliquem dolorem, an vis per aliud supplicium nos tibi majorem largiri voluptatem?* Martyr autem, etsi graviter laceraretur : *Quid cunctaris?* inquit. *Putas me omnino posse a te terreri per hoc breve tormentum, aut quæ est in me, immobilem labefactari turrim confessionis?* Hæc quum audisset præses, jussit eum cædi vehementius, et imperavit ut nullum alium confiteretur regem præter eum qui est vere rex. Martyr autem : *Quoniam non nosti,* inquit, *quis sit hic rex quem confiteor, propterea blasphemam linguam in eum moves, et hos in quos cadit interitus et qui e terra orti sunt, ei facis similes ; qui est potius is qui eos constituit in imperio, et universæ carnis et spiritus Dominus.* Deinde judex, non ut

διδοὺς καὶ πάντων καθεστηκὼς κύριος; — Ἰησοῦς, εἶπεν, ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱός, ὁ ἀεὶ ζῶν, ᾧ ὑποτέτακται τὰ ἐν οὐρανῷ πάντα καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Καὶ ὁ τύραννος· Τοῦτο δέ σε ὅλον ἐλάνθανεν, ὅτιπερ οἱ βασιλεῖς, δι' αὐτὸ τοῦτο ὃ σὺ φῂς τὸ τοῦ Χριστοῦ σου ὄνομα χαλεπαίνοντες, τιμωρεῖσθαι ὑμᾶς προστάσσουσιν [1]; Καὶ ὁ μάρτυς· Εἰ χαλεπαίνουσιν οἱ βασιλεῖς, ἔφη, χαλεπαινέτωσαν· οὐδὲν ταῦτα πρὸς τὸν Χριστοῦ δοῦλον ἐμέ· ἐμοὶ γὰρ μᾶλλον καὶ δι' εὐχῆς τοῦτο, τὸ μέχρι τέλους τὴν καλὴν ταύτην ὁμολογίαν διενεγκεῖν, ἵνα καὶ τῶν ὑπὲρ αὐτῆς στεφάνων ἄξιος γένωμαι. Γέγραπται γάρ· Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ; Θλίψις, ἢ στενοχωρία, ἢ λιμός, ἢ διωγμός, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα;

7. Ὡς δὲ ἐπὶ τοσοῦτον κρεμαμένῳ [2] τῷ μάρτυρι ἡ τοῦ ἐν σταυρῷ δι' ἡμᾶς ὑψωθέντος μνήμη τὸ πεπονηκὸς καὶ κάμνον τοῦ σώματος ἀνερρώνυεν, ὁ ἡγεμὼν στερροτέρως οὕτω τῇ μανίᾳ πληγεὶς, τριχίνοις ὑφάσμασι κελεύει τὰς ἀποδαρείσας αὐτοῦ σάρκας ἰσχυρῶς ἐπιτρίβεσθαι. Οὗ γινομένου· Τοὺς δερματίκους, ἔλεγεν ὁ μάρτυς, χιτῶνας σήμερον ἀποδύομαι· τὸ τοῦ σωτηρίου δὲ περιβάλλομαι ἔνδυμα. Εἶτα λαμπάδας πυρὸς ὁ δικάζων ταύταις ἐπάγειν διεκελεύετο· ἀλλὰ καὶ αὗται τῇ παραθέσει τοῦ αἰωνίου

qui vellet discere, sed ut qui se simularet ignorare : *Quis est is,* dicebat, *qui dat regibus potentiam et est omnium Dominus? — Jesus,* inquit, *Dei Filius, semper vivens, cui subjecta sunt omnia, quæ sunt in cœlo et in terra.* Tyrannus autem : *Hoc autem totum te latuit, quod imperatores propter hoc ipsum quod tu dicis, Christi nomen, indignantes, jubent vos cruciari?* Martyr vero : *Si indignantur imperatores,* inquit, *indignentur; hæc nihil ad me qui sum Christi servus. Hoc enim mihi magis est in votis, hanc pulchram confessionem ferre usque ad mortem, ut efficiar dignus coronis quæ pro ea accipiuntur. Scriptum est enim : Quis nos separabit a charitate quæ est in Christo Jesu? Afflictio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an gladius?*

7. Quum autem martyri, qui tamdiu fuerat suspensus, recordatio ejus qui propter nos in cruce fuerat sublatus, laboribus defessum ac viribus defectum corpus confirmaret, præses vehementius ita percitus insania jubet excoriatas ejus carnes textis ex pilis confectis valde atteri. Quod quum fieret : *Pelliceas,* aiebat martyr, *tunicas hodie exuo; salutaris autem indumento induor.* Deinde lampades ignis eisdem judex inferri jussit; sed eæ quoque cum æterno igne comparatæ,

[1] *cod.* προστάσουσιν. — [2] *cod.* κρεμμαμένω.

πυρὸς, ἀσθενὲς ἔχειν τὸ καυστικὸν ἐλογίζοντο. Ἐῴκει γὰρ ὁ μάρτυς δυνάμει Χριστοῦ τῶν ἐπαγομένων πάντων ὑπερορᾶν. Ὅθεν καὶ θαρρούντως [1] ἔλεγε τοῖς κολάζουσι· Πέπεισμαι παρὰ τοῦ ἐμοῦ δεσπότου καὶ βασιλέως μὴ φοβεῖσθαι ἀπὸ τῶν ἀποκτενόντων [2] τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν ἀποκτεῖναι μὴ δυναμένων· φοβεῖσθαι δὲ μᾶλλον ἐκεῖνον τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ.

8. Ὡς δὲ πολλὴν ἑώρα καὶ ἄμαχον τὴν τοῦ μάρτυρος παρρησίαν ὁ δικαστὴς, ἄλλως τε δὲ καὶ κατὰ νοῦν αὐτοῦ στρέφων τὸ πρὸς τὰς ἀποκρίσεις ἐπικαιρότατον, τῶν βασάνων ἀφέμενος πρὸς λόγους ἐχώρει, καί· Λέγε μοι, φησὶν, ὦ θαυμάσιε· πόθεν τὸ τῶν λόγων ἐξεύρηταί σοι κομψὸν, στρατιώτῃ τε ὄντι καὶ οὔπω χθὲς καὶ πρώην γράμμασιν ὁμιλήσαντι [3], περὶ πολέμους μᾶλλον ὡς τὰ πολλὰ καὶ ἄσκησιν ἀγώνων ἐσχολακότι; Τοῦ δέ γε μάρτυρος εἰρηκότος Χριστοῦ εἶναι ταυτὶ τὰ ῥήματα, τοῦ εἰπόντος Ὅταν [4] ἐπὶ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνας ἀχθῆτε ἕνεκεν [5] ἐμοῦ, μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσετε· δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί ἀπολογήσεσθαι, ὁ ἡγεμὼν ἀπεκρίνατο· Καὶ ἆρά γε προέγνωστο τῷ Χριστῷ ὑμῶν ὅτι τοιαῦτα μέλλετε πάσχειν; Ὁ δὲ μάρτυς· Ἅτε Θεὸν ἀληθῆ ὄντα, φησὶν, ἀκόλουθον αὐτὸν εἰδέναι καὶ τὰ ἐσόμενα. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ

videbantur vim urendi habere imbecillam. Videbatur enim martyr virtute Christi quæ intentabantur omnia despicere. Quamobrem audacter etiam dicebat iis qui ipsum puniebant: *Habeo persuasum a Domino meo et rege non timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, illum autem potius timere, qui potest corpus et animam perdere in gehenna.*

8. Cum vero vidisset judex maximam et plane invictam martyris libertatem loquendi, et alioqui animo versaret opportunissimas ejus responsiones, tormentis missis accessit ad verba, et : *Dic mihi,* inquit, *vir admirande, undenam est inventa a te sermonum elegantia, miles cum sis et vixdum heri et nudius tertius versatus sis in litteris? Vacaris autem potius bellis et exercitiis militaribus ut plurimum.* Quum autem dixisset martyr Christi hæc esse verba, qui dixit, *Quando ducti fueritis ad reges et præsides propter me, ne cogitetis quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini,* respondit præses: *Vester ergo præscivit Christus fore ut talia pro ipso patere-mini?* Martyr autem : *Ut qui sit,* inquit, *verus Deus, est consequens ut*

[1] *cod.* θαρούντως. — [2] *sic.* — [3] *cod.* ὁμηλήσαντι. — [4] *cod.* ὅτᾶν *ut sæpe monuimus.* — [5] *cod.* ἔνεκεν.

τοῦ παντὸς αἰτία καὶ σύστασις, καὶ πάντα πρὸ τῆς εἰς τὸ εἶναι παραγωγῆς ἐπιστάμενος. Ἀπορῶν οὖν εἰς τοῦτο προσηκούσης ὁ δικάζων ἀπολογίας· Τὰς περιττὰς, εἶπε, ταύτας πειθανολογίας καταλιπόντα σε ἓν τῶν δύο τούτων ἐκλέξασθαι βούλομαι· ἢ τὴν μεθ' ἡμῶν συνδιαγωγὴν, καλῶς γε ποιοῦντα· ἢ τὴν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ σου ὁμολογίαν. Ὡς δὲ μετὰ πολλῆς ἔφη τῆς παρρησίας ὁ μαρτύς· Μετὰ τοῦ Χριστοῦ μου καὶ ἤμην καὶ εἰμὶ καὶ ἔσομαι, μακροθυμεῖν ἐπ' αὐτῷ καὶ ἔτι ὁ ἡγεμὼν ὑπεκρίνετο, καί τινα καιρὸν εἰς διάσκεψιν ἐπιδοθῆναι τούτῳ διακελεύεται. Καὶ γὰρ θαυμάζων αὐτὸν τῆς καρτερίας ἅμα καὶ τῆς συνέσεως, ἔσπευδε μεταπείσειν, ἵνα μὴ ζημίαν τοιούτου ἀνδρὸς τὸ ἑλληνικὸν ὑποστῇ.

9. Ἐπεὶ δὲ μετὰ ταῦτα καὶ θαρραλεωτέροις μᾶλλον ὁ μάρτυς τοῖς πρὸς αὐτὸν ἐχρήσατο λόγοις· Θεὸν μὲν διαρρήδην τὸν Χριστὸν ἀνομολογῶν, θεοὺς δὲ οὓς ἐκεῖνος ἔσεβε, δαίμονας βεβήλους ἀποκαλῶν, θυμῷ πάλιν ὁ ἡγεμὼν σφοδρότερον ἐκκαυθεὶς, τριβόλους σιδηρᾶς κατὰ γῆς διασπαρῆναι κελεύει· χεῖράς τε καὶ πόδας δεθέντα ἄνωθεν αὐτῶν κατὰ πολλὴν ἕλκεσθαι [1] τὴν ὠμότητα. Ὁ δὲ καθάπερ διὰ λειμῶνός τινος καὶ μαλακῶν ἀνθέων ἑλκόμενος, τοὺς ἐκείνου θεούς τε καὶ δαίμονας ἐλευθέρᾳ γλώττῃ λοιδορούμενος ἦν. Ἐφ' οἷς ὁ δικαστὴς ἀπηνέστερον πάλιν

sciat etiam quæ sunt futura. Ipse enim est universi causa et constitutio, et sciebat omnia antequam producerentur ad existentiam. Quum autem non haberet judex quidnam ad hæc convenienter responderet : *Missis,* inquit, *supervacaneis his probabilibus orationibus tuis, volo te unum eligere e duobus, nempe ut aut nobiscum simul verseris, recte id quidem faciens, aut ut Christum tuum confitearis.* Postquam autem cum magna libertate dixit martyr : *Cum Christo meo eram et sum et ero,* dixit præses se in eum adhuc futurum lenem et patientem, et jubet ei dari aliquod tempus ad considerandum. Ejus enim admirans tolerantiam simul et intelligentiam, studebat persuadere, ne tanti viri jacturam gentes facerent.

9. Quum autem post hæc martyr usus esset in eum verbis etiam audacioribus, Deum quidem aperte Christum confitens, deos vero quos ille colebat, dæmones profanos appellans, ira rursus præses accensus vehementius, jubet murices ferreos spargi in terra, et vinctum manibus et pedibus super eos trahi per summam crudelitatem. Ille autem tanquam si per pratum aliquod et molles flores traheretur, illius deos et dæmones libera voce incessebat maledictis. Propter quæ

[1] *cod.* ἔλκεσθαι, *et mox* ἐλκόμενος.

τύπτεσθαι τὸν ἅγιον κατά τε αὐχένος καὶ τῶν σιαγόνων προσέταττεν· Ἵνα μή, ἔφη, οὕτω τῶν θεῶν κατολιγωρῶν καὶ ὕβρεσιν αὐτοὺς ἀναισχύντως βάλλῃς. Ἐπὶ πολλαῖς δὲ ταῖς ὥραις τυπτομένου τοῦ μάρτυρος, τῶν ἐπὶ τῆς τάξεώς τις Ἡλιόδωρος παρεστώς, καὶ οἷα τὰ συντείνοντα τοῖς προκειμένοις ὑποτιθέναι βουλόμενος· Κύριε ἡγεμών, εἶπεν, οὐκ οἶμαί σου διαλανθάνειν τὴν περιφάνειαν ὡς ἡ τῶν λεγομένων τούτων χριστιανῶν ἀπόνοια τὰς βασάνους καὶ ἀνδριάντος οἶδε στερρότερον ὑπομένειν καὶ τὸν θάνατον ὡς ἡδύ τι πόμα λογίζεσθαι. Ἀφεὶς οὖν αὐτὸς τὸ περὶ τοῦτον κάμνειν ἀνήνυτα, τὴν κατ' αὐτου μᾶλλον ἀπόφασιν ταχυτέραν ἐξενεγκεῖν προθυμήθητι. Ἀπειρηκότος οὖν τοῦ ἡγεμόνος καὶ τὴν ἐσχάτην κατ' αὐτοῦ διαμελετῶντος ψῆφον ἐπενεγκεῖν, τινὲς τῶν πάλαι συνήθων καὶ φίλων τῷ μάρτυρι προσελθόντες, περιέψων αὐτόν, περιέβαλλον, περιεπτύσσοντο, ἐλιπάρουν, ἱκέτευον καὶ τὰ συμφέροντα δῆθεν παραινεῖν οἰόμενοι· Μὴ παρόψῃ, ἔλεγον, ὦ Μηνᾶ, καὶ συνήθων φιλίαν καὶ στρατείας ἐμφάνειαν καὶ ἡδέων ἀπόλαυσιν, καὶ τὸ φύσει πᾶσιν ἡμῶν τῆς ζωῆς ἐπιπόθητον· καὶ ἀτιμίαν μὲν ἀντὶ δόξης, ἀντὶ δὲ ζωῆς θάνατον προτιμήσῃ. Ὁ δὲ μάρτυς ὡς ἰὸν ἀσπίδος τὰς αὐτῶν παραινέσεις ὑπεκδραμών[1]· Παύσασθε, ἔφη, θεομάχοι, καὶ ἑαυτοὺς νουθετήσατε μᾶλλον λυσιτελῶς, τοῦ ἀποστῆναι

judex rursus jussit sanctum verberari in collo et genis : *Ne,* inquit, *sic deos despiciens eos quoque impudenter affeceris contumeliis.* Quum multas autem horas verberaretur martyr, adstans quidam ex cohorte Heliodorus, et veluti volens suggerere ea quæ conferebant ad proposita : *Domine præses,* inquit, *tuam claritatem existimo non latere quod horum qui dicuntur christianorum amentia scit contemnere tormenta, vel statua fortius, et mortem reputat tanquam dulcem aliquam potionem. Mittens ergo de hoc incassum laborare, potius cito velis in eum ultimam proferre sententiam.* Quum ergo defessus esset præses et meditaretur ultimam sententiam in eum pronuntiare, accedentes quidam ex iis qui olim martyri familiares fuerant et amici, ipsum demulcebant, amplectebantur, osculabantur, rogabant, flagitabant, et existimantes scilicet se suadere utilia : *Ne despexeris,* dicebant, *o Mena, et familiarium amicitiam et decus militiæ, et voluptatum fruitionem et vitam quæ est omnibus natura desiderabilis; et ne ignominiam quidem gloriæ, mortem autem vitæ anteposueris.* Martyr vero tanquam virus aspidis fugiens eorum suasiones : *Cessate,* inquit, *Dei hostes, et vos ipsos potius utiliter corrigite, ut a tanta desistatis insania : nam*

[1] *cod.* ὑπεκδραμῶν.

τῆς τοσαύτης μανίας· μικρὸν γὰρ ὅσον καὶ ἡ πρόσκαιρος αὕτη καὶ ὑμῖν ἐπέραστος ζωὴ παρελεύσεται· μένει δὲ ὑμᾶς αἰωνία καὶ ἀτελεύτητος κόλασις· ἣν σὺν τῷ ὑμετέρῳ ἄρχοντι καὶ τοῖς αὐτοῦ βασιλεῦσιν ἐνδίκως κληρονομήσετε.

10. Ὡς δὲ πρὸς πάντα ὁ δικαστὴς τὰ παρ' αὐτοῦ καὶ λεγόμενα καὶ πραττόμενα οὕτως ἰσχυρῶς ἀπομαχόμενον ἑώρα τὸν μάρτυρα, οὐκέτι πρὸς ἑτέρας πεύσεις, ἀλλ' εἰς τὴν ἀπόφασιν ἕτοιμος γίνεται· βραχέα τε τοῖς ὁμογνώμοσι τὴν ἀσέβειαν διασκεψάμενος, τὴν τοῦ θανάτου ψῆφον ἐξήνεγκε κατ' αὐτοῦ· καὶ τὸν μὲν δήμιον μετὰ γυμνοῦ παρίστη τοῦ ξίφους, τὸν τόπον δὲ ὑπεσήμαινε ἔξω τῆς πόλεως. Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ τόπος κατείληπτο [1], καὶ τῷ μάρτυρι τοῦ προτέρου σταδίου τὸ δεύτερον φαιδρότερον διεδείκνυτο, μικρὰ τοῖς γνωρίμοις ἐντυχὼν καὶ εὐχῇ [2] τοὺς λόγους ἐπισφραγίσας, πλήρης τε εὐφροσύνης ἐπιφανείς, ἅτε τὴν ἀποκειμένην ὅσον αὐτῷ μακαριότητα φανταζόμενος· ἵνα καὶ εὐχαριστῶν ἀπέλθῃ πρὸς τὴν οὔπω ὑποδεξομένην αὐτὸν [3] μακαριότητα· Εὐχαριστῶ σοι, ἔλεγε, δέσποτα καὶ Θεὲ· τῷ καταξιώσαντί με κοινωνὸν τοῦ σοῦ τιμίου πάθους ὀφθῆναι, καὶ μὴ δόντι με τοῖς ἀνημέροις θηρίοις βρῶμα γενέσθαι· ἀλλὰ καθαράν με τὴν εἰς σὲ πίστιν ἄχρι τέλους διατηρῆσαι παρασκευάσαντι. Ταῦτα

post quam breve tempus et momentanea hæc vobisque cara vita præteribit; manet autem vos æternus et qui nunquam desinit cruciatus; quem cum vestro præside et ejus imperatoribus indipiscemini.

10. Quum autem vidisset judex martyrem tam fortiter depugnare adversus omnia quæ ab ipso fiebant et dicebantur, non amplius ad alias interrogationes sed ad ipsam ferendam se parat sententiam: et quum breviter cum iis qui erant ejusdem sententiæ in impietate consultasset, capitis ultimam in eum tulit sententiam; et lictorem quidem adesse jubet cum nudo ense, significavit vero locum extra civitatem. Quum autem perventum esset ad locum et martyri priore stadio secundum ostensum esset illustrius, postquam notos parum convenisset et verba sua precibus obsignasset, apparens plenus lætitia, ut qui repositam sibi beatitudinem visione apprehenderet, ut etiam gratias agens abiret ad lætitiam mox eum recepturam: *Ago tibi gratias,* dicebat, *Domine Deus, quod me dignatus sis conspici socium pretiosæ tuæ passionis, et non dederis devorandum bestiis agrestibus, sed effecisti ut perpetuo puram in te servarem fidem.* Hæc quum dixisset et genu flexisset, ad plagam ei gladio inferendam perrexit. Post plagam autem

[1] *cod.* κατήληπτο. — [2] *cod.* εὐχή. — [3] *cod.* αὐτῷ.

εἰπὼν καὶ τὸ γόνυ κλίνας, πρὸς τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἐχώρει πληγήν· καὶ μετὰ τὴν πληγὴν δὲ τὸ ἱερὸν σῶμα τὸ πῦρ διεδέχετο· καὶ οὕτω τὸ τοῦ μάρτυρος μὲν φθαρτὸν διελύετο, ἡ ψυχὴ δὲ πρὸς τὴν μακαρίαν λῆξιν ὑπ' ἀγγέλων ἀνεκομίζετο. Ἐντεῦθεν ἐπιμέλεια τοῖς φιλοθέοις περὶ τὰ μαρτυρικὰ λείψανα γίνεται, ὥστε τοῦ πυρὸς ἀνελέσθαι καὶ τόποις ἐπισήμοις ἐγκαταθεῖναι· ἅπερ δὴ καὶ ἀναλεξάμενοι καὶ σινδόσιν ἐνθέμενοι καθαραῖς, μύροις τε καὶ θυμιάμασιν ὑπαλείψαντες, καὶ πᾶν ὅ τι νενομισμένον ἦν ἐπὶ τούτοις ἀφοσιώσαντες, ὀλίγῳ ὕστερον πρὸς τὴν αὐτοῦ πατρίδα ἀνεκομίσαντο· καθὼς αὐτοῖς πρὸ τῆς τελειώσεως ὁ μάρτυς ἐπέσκηψε τοῦ Χριστοῦ. Ἔδει γὰρ τὴν καὶ γεννήσασάν τε καὶ θρεψαμένην ἐκείνην καὶ τῷ μαρτυρίῳ τελειωθέντα τοῦτον ἀπολαβεῖν· καὶ μὴ τὴν μὲν ἐν τάξει μητρὸς εἶναι, ἑτέραν δὲ παρὰ ταύτην τῆς τῶν μαρτυρικῶν λειψάνων χάριτος ἀπολαύειν. Καὶ τοῦτο γὰρ οἰκονομικῶς παρὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ γέγονε προμηθείας· ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμή, κράτος, μεγαλωσύνη τε καὶ μεγαλοπρέπεια, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

sacrum corpus ignis excepit : et sic quidem fuit dissolutum martyris id in quod cadebat interitus, anima autem ad beatam hereditatem deducta est ab angelis. Hinc viri pii magnam adhibent diligentiam circa martyris reliquias, ut ex igne tollerentur et in insignibus locis reponerentur. Quas quidem quum collegissent et mundis sindonibus imposuissent unguentisque et suffitibus inunxissent, et justa omnia eis sancte fecissent, eas paulo post in ejus patriam retulerunt, quemadmodum eis ante consummationem injunxerat Christi martyr. Oportebat enim eam quæ et genuerat et aluerat, eum quoque accipere consummatum martyrio, et non illam quidem tenere locum matris, aliam vero præter eam frui gratia reliquiarum. Hoc enim consulto factum est a Christi providentia, quem decet omnis gloria, honor, potentia, majestas et magnificentia, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

SANCTI GULIELMI

ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS

VITA, MIRACULA POST MORTEM ET CANONIZATIO

EX CODICE MUSEI BOLLANDIANI

NUNC PRIMUM INTEGRE EDITA.

Vulgata est a Laurentio Surio in egregia collectione de Vitis Sanctorum (1) *Vita sancti Guilhelmi archiepiscopi Bituricensis Ordinis Cisterciensis, præcipue quam gessit toto illo tempore quo fuit pontifex, scripta ab ejus quodam contemporaneo et qui satis indicet se res compertas et sui temporis conscribere; qui tamen quod in plerisque verbosior esse videatur, per Fr. Laur. Surium, mutato stylo, in compendium redactus est.* Eamdem hanc compendiosam Vitam inter *Acta Sanctorum* tomo I Januarii, ubi ad diem 10 de S. Gulielmo agendum erat, inseruit Joannes Bollandus, ex Surio acceptam, eo quod nullum, ut ipse testatur. reperire ms. codicem potuit, unde primigeniam phrasim restitueret (2). Postea tamen hujusmodi codicem, quo primigenia, quam contraxit Surius, Vita continetur, ad majores nostros transmisit indefessus ille antiquarum rerum indagator Petrus Chifflet; quem, cum paucis aliis e clade qua thesaurus monumentorum a majoribus nostris collectus dissipatus est ereptum, adhuc servat museum Bollandianum. Foliis constat membraneis quindecim, formæ mediocris ($0^m,29\times0,20$), columnis binis nitide exaratus a librario seculi XIII, at, sive hujus vitio sive exemplaris quod exscripsit, non paucis mendis passim fœdatus. Capitum distinctio solum notata est litteris initialibus rubris : adjecimus numeros. Nullum indicium præ se fert codex unde judicari possit ubi descriptus sit : nec mirum, quum fragmentum hic habeamus majoris codicis unde noster manifeste discerptus est.

Vita autem ipsa, quod recte monuit Surius, verbosior usque ad fastidium est, referta scilicet, pro more illius temporis, innumeris sacrarum Scripturarum testimoniis, quæ utcumque accommodavit scriptor elogio virtutum B. Gulielmi et ceteris rebus a se narrandis. Hæc in sua editione fere prætermisit Surius, et sagaci arte, ut solet, nec ineleganter totam opellam ad narrationem rerum a sancto viro gestarum contraxit. Nos tamen eam hic integram exhibere non pigebit secundum

(1) Edit. Colon. 1617, tom. I, p. 156. — (2) *Act. SS.*, tom. I Jan., p. 628, num. 3 extr.

primigeniam scriptionem, quod et maxime ad rationem universi nostri instituti pertinet et viris eruditis admodum gratum fore confidimus, quippe qui compendio etiam accuratissime confecto ipsius coævi scriptoris, immo et testis oculati, verba nunquam non anteponant.

Testem oculatum se apertissime profitetur scriptor Vitæ ubi : *Quod scimus*, ait, *loquimur et quod vidimus testamur* (num. 27) et (num. 14) narrans multos infirmos a sancto archiepiscopo diœcesim suam visitante fuisse sanatos, subjungit : *Quorum aliquos, bonæ opinionis viros, vidimus sanos et incolumes, ea quæ dicimus et eo ordine quo gesta sunt, coram omnibus protestantes.* Bituricensem manifestant verba prologi (num. 1 med.) : ... *Domino nos assiduis precibus commendantes, quos olim verbo pariter et exemplo legem Domini... servare docuerunt ;* et quæ leguntur exordio Vitæ de decessore S. Gulielmi (num. 2 init.) : *Dormiente igitur cum patribus suis felicis recordationis Henrico, Bituricensi patriarcha, qui nobiscum laudabiliter conversatus, erga universum clerum et populum se semper mitissimum pastorem exhibuit...* Eadem scriptorem S. Gulielmo coætaneum indicant. Sed et eum sancto aliquatenus familiarem et probabiliter ejus clero adscriptum fuisse, inde colligere licet quod ipse moribundo adstitit ; nam de supremis ejus verbis : *Quæ*, ait, *cum coram positi intelligere vix possemus...* (num. 41).

Hæc omnia magis certo etiam demonstrat qui Vitæ adnexus est liber de miraculis intercessione sancti episcopi post ejus mortem impetratis, cui ipsi subjunctus est narratio canonizationis ejus et duplicis miraculi eam subsecuti. Quæ scripta eidem deberi qui Vitam conscripsit, non videtur nobis dubium. Etenim, quum Vita eo fine concinnata sit ut in solemni die beati Gulielmi memoriæ recolendæ consecrata legeretur, quod ex prologo liquet, nihil tamen de ejus miraculis post mortem et de canonizatione meminit : quod omnino incredibile videretur, nisi hæc singulari libro, quod sæpe fiebat, fuissent tractata. Sed et ex præfatione quæ huic libro miraculorum præfixa est (quam solam edere potuit Bollandus, eamque non integram (1), ceteris in suo codice mutilo deficientibus), ubi nec Vitæ prius scriptæ neque canonizationis sancti ulla mentio occurrit, crediderim hunc librum ante canonizationem conscriptum esse. Cui completo (num. 67 extr.) postea idem scriptor narrationem canonizationis adjecit (num. 68 init.) ; qua et ipsa terminata (num. 73 extr.) in tertia quasi totius opusculi editione subjunxit relationem duplicis miraculi quod canonizationem subsecutum est ; ac tandem, ut monumentum suum ad laudem sancti Gulielmi omnino absolveret, ipsam Vitam ejus conscribendam duxit (2).

Certe, quod conclusionem nostram de scriptore libri miraculorum non parum confirmat, fidem suam is contestatur iisdem verbis quibus usus est scriptor Vitæ :

(1) *Acta SS.*, tom. cit., p. 638. — (2) Attamen ordinem rerum, non suppositum illum scriptionis, sequentes, in editione nostra Vitam præponimus libro miraculorum, quem sequitur duplex appendix de canonizatione et de miraculis post canonizationem, continuata per quatuor partes serie numerorum, quo facilius, si qui citandi occurrant loci, hos reperire valeat lector. Vita complectitur numeros 1 ad 50; miracula post mortem, numeros 51 ad 67, canonizatio, numeros 68 ad 73; denique miracula post canonizationem, numeros 74 et 75.

Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum verum est (num. 64 extr.). Simili etiam modo ad testimonium provocat eorum qui per invocationem S. Gulielmi sanati sunt aut rei interfuerunt. Sic : a) *Convicaneus quidam noster et conversatione diutina nobis bene notus... Procedente tempore ad auditus augmentum, cum ipsi qui nobis ei clamore loquentibus ex obliquo responderat, in suppressæ vocis silentio loqueremur, certumque nobis daret in recta verbi locutione responsum...* (num. 54 init. et extr.) ; b)... *ita demum pristinæ memoriæ restitutus omnia fere quæ præmissa sunt continua oratione nobis narravit, cetera vicinis qui præsentes affuerant referentibus seriatim* (num. 61 extr.); c) *ad pedes sacerdotis prostratus humiliter, sicut idem sacerdos nobis astantibus publice confessus est...* (num. 62 med.) ; d) *Pater ejusdem pueri nuper ab humanis rebus exemptus est* (num. 63. init.) ; e) *Cujus vulneris cicatrices in facie circa oculum vidimus et cum prænominato sacerdote aliisque parochianis suis super præmissis testimonium perhibentibus omnipotenti Deo et sancto famulo suo Willermo gratiarum retulimus actiones* (num. 63 fin.) ; f) *Sicut postmodum ab eodem referente didicimus* (num. 66 med.). — Bituricensem se demonstrat et capitulo ecclesiæ Sancti Stephani, ubi corpus S. Gulielmi quiescebat, adscriptum, ubi ait : a) *Sepulto venerabili ac beatissimo patre Willermo,... multi* de nostra civitate *et locis finitimis... ad sancti tumulum accesserunt* (num. 53 init.) ; b) Post verba citata paulo superius (num. 54 extr.) : *dignas et debitas Deo gratias fecimus cum solemni decantatione referri :* quod utique non nisi vir primarius in clero per se præstare poterat ; c) *ad ultimum, cum sic diutius vexata mulier ad tumulum jacuisset, factum est divina miserante clementia ut ipsa omnino curata per plures dies* penes nos *postea moraretur* (num. 59 extr.); d) *qui* tunc nobis officium mortuorum celebrantibus... *Manens itaque* apud nos *aliquot diebus,...* a nobis *petita licentia... recessit* (num. 61 extr.). — Ex quibus omnibus elucet quam dignus sit fide scriptor noster.

Porro præter codicem nostrum principalem duos alios præ manibus habuimus, quibuscum illius prioris singulas partes conferre licuit. Alter est bibliothecæ regiæ Bruxellensis, notatus numero 11986, chartaceus, exaratus manu seculi XVI, cui hæc nota inscripta est : *Tomus I R. P. Joannis Ghentii canonici hujus domus, complectens sanctos mensium Januarii et Februarii.* Vitam continet integram, sed ex libro miraculorum tantummodo primum miraculum (num. 52) et præterea totius hujus libri clausulam ante narrationem canonizationis (num. 67) (1). Codex alter, in museo nostro servatus, apographum exhibet libri miraculorum (absque relatione canonizationis) seculo XVII ex codice Reginæ Sueciæ 721 desumptum. Ex utroque suis locis variantes lectiones adscripsimus, priorem numero 2, alterum numero 3, principalem vero seculi XIII numero 1 notantes.

(1) Et inde colligitur in exemplar aliquod hujusmodi incidisse Surium : sola enim libri miraculorum citata duo capita, in compendium, sicut cetera, redacta, apud ipsum Vitæ annexa sunt.

I. VITA S. GULIELMI EP. BITURICENSIS.

1. Cum, exigente catholicæ fidei pietate, sanctorum solemnitates, quorum meritis et intercessionibus apud Deum mater nostra sacrosancta subsistit Ecclesia, per totum orbem communibus ubique gaudiis cum summa devotione debeant celebrari, præcipue dignum censemus quatinus [1] dies ista quæ ad beatissimi patris et pastoris nostri Willermi natalitia celebranda [2] dedicata est, ab universo clero et populo civitatis nostræ Bituricensis, quæ, prima sedes Aquitaniæ Deo dante effecta, multarum domina gentium, princeps provinciarum existit [3], tanto solemnior tantoque celebrior ceteris habeatur, quanto sanctius inter homines conversatus, commisso sibi grege Dominico, cœlestis doctrinæ pabulum benignus pastor fideliter et incessanter exhibuit, ut semper ad [4] virentia vitæ æternæ pascua oves non solum secum [5] duceret, sed et traheret, ipse præcedens. Licet enim sanctorum orationes nos ubique adjuvent et omnibus prosint fidelibus, pie tamen credendum est quod illi specialius pro nobis interveniant qui in nostris domiciliis requiescunt; qui, dum hac temporali vita nobiscum fruerentur, adhuc mole carnis oppressi, sed carnis opera mundique delicias fugientes, nostrarum curam et regimen animarum divina disponente clementia tam fideliter quam canonice susceperunt: qui [6] de æterno præmio jam securi, adhuc de nostra salute solliciti, apud Patrem misericordiarum dignentur intercedere, Domino nos assiduis precibus commendantes, quos olim verbo pariter et exemplo legem Domini sanctam et immaculatam servare docuerunt, subditorum corda spiritalis doctrinæ fluentis salubriter irrigarunt [7]. Unde non immerito eisdem pro modulo nostræ fragilitatis vicem rependimus, quoties in magna veneratione ipsorum [8] memoriam habentes, eorumdem festa solemnibus gaudiis celebramus, ut quorum apud nos digne glorificatus

[1] ut 2. — [2] *add. ex* 2; *deest in* 1. — [3] extitit 2. — [4] (s. ad) ad semper 2. — [5] (o. n. s. s.) oves secum non solum 2. — [6] *ita* 2; et 1. — [7] irrigantes 2. — [8] eorum 2.

est exitus, sit jugis exultatio [1] et lætitiæ principatus. Caute tamen nobis considerandum est, ut circa hujusmodi solemnem [2] lætitiam omnimoda servetur honestas, et verecundia castis moribus perseveret. Ut autem memores memorum sui non desinant esse [3], sanctorum merito memoriam recensemus quorum memoria in benedictione est, psalmista attestante [4] qui ait : *In memoria æterna erit justus.* Ne igitur antistes noster sanctissimus, ad cujus hodie festa convenimus celebranda [5], a nostra recedat memoria, gestorum ejus seriem ex ordine prout possumus explicantes, a præsulatus ejus initio, ab admiranda et mirabili [6] ipsius [7] vocatione ad episcopale fastigium divina cooperante gratia sumamus exordium, eam quam ex illustri prosapia duxerit [8] originem nec non et recolenda [9] ante actæ vitæ gesta his qui [10] magis edocti sunt, gloriosam ejus historiam prosequentibus, relinquentes.

2. Dormiente igitur cum patribus suis felicis recordationis Henrico, Bituricensi patriarcha, qui nobiscum laudabiliter conversatus, erga universum clerum et populum se semper mitissimum pastorem exhibuit, paucis postmodum transactis diebus in mœrore et luctu pro [11] venerabilis patris recessu [12] consumptis [13], clericis ecclesiæ qui ad providendum eidem de idoneo pastore secundum instituta [14] canonum convenerant, primum inter se discordantibus, tandem inspirante Spiritus sancti gratia [15], quæ ubi vult spirat, concordes effecti, in unam convenere sententiam, quatinus quidam qui de ecclesia eadem [16] ad cathedram Parisiensis ecclesiæ regendam assumptus fuerat, vocaretur : cujus circa provisionem pastoris consilio fruerentur. Probatissimum siquidem tenebatur nec ulli erat ambiguum sedem illam sedem sanctorum esse sanctumque recipere aut sanctum facere aut citius indignum abjicere. Erat quippe vir ille sanctæ opinionis, magnus et venerabilis in conspectu omnium, providus in consiliis, justus ac timens Deum. Et quoniam dictæ ecclesiæ alumnus extiterat et a

[1] *cod.* exultato. — [2] *cod.* solempntan. — [3] (n. d. e.) esse non desinant 2. — [4] teste 2. — [5] (c. c.) celebranda convenimus 2. — [6] admirabili 2. — [7] ejus 2. — [8] duxit 2. — [9] *om.* 2. — [10] *add.* de his 2. — [11] post 2. — [12] recessum 2. — [13] *om.* 2. — [14] statuta 2. — [15] (S. s. g.) gratia Spiritus sancti 2. — [16] eadem ecclesia 2.

teneris annis in eadem fuerat enutritus [1], visum fuit omnibus ut qui, circa alias ecclesias in gallicanis finibus circumquaque diffusas sollicitus et [2] intentus, multis ac variis occupationibus premebatur, isti præcipue, quondam nobilissimæ matri suæ, in amissione patris desolatæ et oppressæ amaritudine, filiali condescendens affectu et super affectam pia gestans viscera, deesse non debeat [3]. Ille vero, ne de execrabili vitio ingratitudinis posset argui, de quo Isaias prophetice exclamat : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*, nacta opportunitate temporis quo matri inter angustias gementi poterat subvenire, nullam excusationem prætendens, tanquam devotus filius ad ipsam [4] accessit, paratus ad omne consilium et auxilium salubriter impendendum. Itaque die præfixa ad eligendum antistitem, vocatis qui vocandi erant, habito prolixiori tractatu de pluribus personis et de earumdem idoneitate collatione facta, quæ quibus magis essent idoneæ, voluntas Dei fuit, qui fidelium mentes unius efficit voluntatis, quatinus ad hoc omnium voluntates concurrerent ut de abbatibus Cisterciensis Ordinis, qui videlicet ordo velut aurum quolibet metallo pretiosius sic et sanctitate ceteris excellentius præminebat, aliquis assumeretur in pastorem. Tunc vero aliquibus in præsentiarum nominatis quos religionis efferebat opinio, morum sanctitas commendabat, in ipsorum numero annumeratus est et sæpius nominatus tunc Caroliloci [5] religiosissimus abbas Willermus, cujus hodie festa celebramus.

3. Hic autem arduum aggressus propositum, posteriorum oblitus in anteriora se extendens, de die in [6] diem proficiens, meliora semper æmulabatur charismata. Qui excellentiorem viam gradiens quam demonstrat apostolus, quemadmodum genere sic sanctitatis præminentia spectabilis præ omnibus habebatur. De isto ergo et de quibusdam aliis nominatis facta compromissio in venerabilem episcopum [7], qui præsens ade-

[1] *prius scriptum erat* institutus *in* 1; *sed ipse librarius statim delevit vocem lineolam subducendo, et perrexit scribere* enutritus *in linea cœpta.* — [2] ac 2. — [3] debebat 2. — [4] *add.* vocatus 2. — [5] *ita passim* 1 *et* 2, *sed hic* Cariloci 1. Caroliloci 2. — [6] *om.* 2. — [7] *add.* Parisiensem 2.

rat universo tractatui, ut quem nominare [1] vellet [2] in præsulem illum procul dubio absque [3] contradictionis repagulo admittere tenerentur. Cum enim pauci notitiam de ipsis [4] haberent, ipse mores omnium noverat [5], idemque omnibus notus et quodam familiaritatis consortio junctus omnibus [6] et astrictus. Sed declinante jam die et advesperascente profundius, noluit quidquam præcipitanter agere, nec cum impetu festinare, donec cum eisdem secretius contulisset, qui sibi quamvis invito et renitenti maximum et periculosissimum onus imposuerant, quod a se utique rejecisset nisi quia antiqui hosti versutias [7] considerans et agnoscens dissensionis scandalum formidabat. Onus siquidem tam honestum, quod postmodum eidem cessit honori, trepidans et pavidus hac occasione suscepit. Periculosius discrimen schismatis, quod jam [8] quasi in januis erat, prævidens imminere, et in tam gravi perplexitate [9] animi constitutus, distulit usque in sequentem diem totius negotii processum, disponens [10] eadem nocte consuetis vigiliis et orationibus insistere et clauso ostio secretius orare ad Patrem ut Ecclesiæ suæ pastorem providere dignetur idoneum, sub cujus regimine æternis proficiat institutis et temporalibus non destituatur auxiliis. Mane autem facto, ad ecclesiam beatæ Virginis humiliter accessit, ibique missarum solemnia cum tanta devotione celebravit ut orationum secreta prædulci nectare lacrimarum [11] condiret. Cui assistebant conscii secretorum suorum [12] duo viri venerabiles, providi et discreti et sanctitatis eximiæ, quorum felici lætabatur consortio, jocundo gloriabatur [13] consilio, secretiori crebrius fruebatur colloquio; quorum postmodum alter Turonensis, alter Meldensis ecclesiæ per Dei providentiam regimen suscepit. Propositæ [14] fuerant ante præsentiam eorum a prædicto episcopo sub palla altaris singulæ schedulæ ceraque impressa charactere signatæ, singulorum abbatum

[1] nominaret 2. — [2] *om.* 2. — [3] *add.* ullo 2. — [4] (n. d. i.) de ipsis notitiam 2. — [5] (o. n.) noverat omnium 2. — [6] *om.* 2. — [7] *prius scriptum erat* insidias *in* 1, *sed ipse librarius delevit subducta linea;* versutias 2. — [8] *om.* 2. — [9] *ita* 2; prolixitate 2. — [10] *ita* 2; deponens 1. — [11] *add. ex* 2; *om.* 1. — [12] ejus 2. — [13] gratulabatur 2. — [14] appositæ 2.

nomina continentes qui nominati fuerant cum de eligendo præsule [1] tractaretur. Ignorabat episcopus quæ cujus abbatis nomen schedula contineret. Expletis missarum solemniis, prostratus ad orationem, fusis lacrimis Dominum [2] Jesum Christum, sanctissimam quoque et piissimam ejus [3] Genitricem assiduis gemitibus precabatur, ut is qui repudiato Esau Jacob in patriarcham elegit, primogenituram quam de natura non habuit benigne concedens ex gratia, qui Saule reprobato per Samuelis ministerium David unxit in regem, quique Mathiam in apostolatus officium de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum, per apostolos sorte eligi [4] voluit, misericorditer ostendere dignaretur quem vellet assumi [5] ad tanti præsulatus fastigium. Et oratione completa, non immemor illius Dominici promissi: *Quodcumque petieritis in nomine meo, fiet vobis,* de Dei misericordia confisus, surrexit et ad schedulas manu injecta unam tantum accepit, ceramque [6] qua claudebatur involuta frangens aperuit, et legens domni Willermi Caroliloci abbatis nomen [7] scriptum invenit : et duobus sociis prædictis quibus omnia communicare consuerat, sanctum patefecit arcanum. Præmissa siquidem sancta ac salubri salutatione Gabrielis ad beatam Virginem, quam sæpius repetitam ore commemorans non minus in cordis arcano versabat, egrediens de basilica ejusdem beatissimæ [8] et clementissimæ Virginis, properabat ad locum ubi jam universi fratres matricis ecclesiæ in unum convenerant [9].

4. Clauserat ipse cum secretariis suis quod eis acciderat in secreto pectoris thalamo, nec cuiquam duxerat revelandum, donec quod occultatum [10] erat divina revelatione [11] elucescat. Intelligens enim quod divina providentia [12] in sui dispositione non fallitur, dicebat intra se quod si voluntas Dei esset beatum Willermum ad honorem pontificatus

[1] pontifice 2. — [2] *add.* nostrum 2. — [3] *om.* 2. — [4] *ita* 2 ; elegi 1. — [5] *add.* in præsulem et 2. — [6] (ceramque-aperuit) *om.* 2. — [7] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [8] gloriosæ 2. — [9] (univ.-conv.) convenerant universi fratres matricis ecclesiæ, ipsius expectantes adventum 2. — [10] occultum 2. — [11] *add.* clarius 2. — [12] *prius* clementia *in* 1 ; *sed ipse librarius corr.*

assumi, nullo [1] obstaculo poterat impediri. Et factum est ut non minima pars fratrum, paucis astantibus in loco ubi erant congregati, obviam episcopo venienti procederet [2]; et vocantes eum seorsum sanctum abbatem [3] Willermum, utpote virum religiosum et honestum, justum et timoratum, sanctis moribus præditum, sacris litteris imbutum, ex illustri prosapia ortum, tam præcellenti præsulatus honore dignum, ceterisque debere præferri una voce clamabant. Quid mirum? Ecce quem Dominus super gregem suum constituendum præviderat, cordibus eorum divinitus inspirare dignatus est, ut eumdem postulare deberent. Iis auditis plurimum mirabatur [4] episcopus et gavisus est gaudio magno valde, nec præ immensitate gaudii lacrimas poterat continere. Et conversus ad socios, gratias agens et benedicens Deum clamabat, dicens : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Vere quod Veritas ait, Ubicumque duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum, modo oculata fide per evidentiam facti cernimus confirmatum* [5]. *Eamus ergo, fratres* [6], *de immensa Domini pietate confisi, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt : voluntatem ejus quam in nobis ostendere* [7] *dignatus est, ipsius cooperante gratia perficere festinemus.*

5. Et his dictis cum illa multitudine fratrum quæ obviam ei processerat ad alios paucos fratres descendit qui in loco destinato permanentes eum diutius expectaverant, moram ejus arguentes. Increpabant eum super nimia protractione electionis, quod animos eorum fatigatos tædio et affectos tam longa et tam intolerabili expectatione teneret suspensos. Nec mora, imperante eo [8] ut ad [9] matricem ecclesiam beati protomartyris Stephani convenirent, secuti sunt eum. Et factum est, cum ad altare fortissimi athletæ Christi prostrati paululum orassent [10], oratione completa, invocata Spiritus sancti

[1] *add.* unquam 2. — [2] *ita* 2; præcederet 1. — [3] *om.* 2. — [4] admirabatur 2. — [5] (per-conf.) cernimus per evidentiam facti confirmatum 2. — [6] *add.* Carissimi 2. — [7] manifestare 2. — [8] (imp. eo) eo imp. 2. — [9] in 2. — [10] (p. o.) orassent paululum 2.

gratia, quæ nunquam deest [1] invocantibus se in veritate, de voluntate omnium fratrum et [2] assensu pariter [3] in die festo [4] beati Clementis, quod latenti mysterio credimus non vacare, sanctus Willermus in archiepiscopum et totius Aquitaniæ primatem in nomine sanctæ Trinitatis eligitur.

6. Adhuc ignorabat sanctus quæ de ipso tractabantur [5]. Post [6], ubi fama crebrescente rumor ad aures ejus [7] pervenit, non in superbiam elatus intumuit, non cervicem disciplinis regularibus subditam extollens in fastum [8] prorupit; non prælationis gloria mentis quietem turbavit, nec ambitionis procella sæviens mundanarum cogitationum in abyssum demersit. Cœpit namque [9] contristari et mœstus esse quod animum a supernorum contemplatione suspensum circa curam [10] temporalium, circa secularia negotia gerenda oporteret esse sollicitum, si ad episcopalis apicem dignitatis ipsum ascendere contigisset. Non honoris celsitudo transitoria dedignantem [11] allicit aut delectat; nec tamen honoris fastigio ad æterna suspirantem, nec laborum deterret [12] immensitas. Cogitabat intra se altius gemens longaque suspiria trahens quoniam nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei. Aut enim arantium [13] boum vestigia vulnerat aut sulcum facit inutilem. Ecce, qui mundanam gloriam non quæsierat, contemnens fugiebat, non contemnitur ab ipsa, sed fugatur; apprehenditur fugiens, apprehensus colluctatur cum ipsa, in qua nihil gloriosum invenitur nisi quod [14] appetitores suos [15] contemnit, appetit contemptores. Sed colluctatione facta, ambiguo certamine peracto, quod in conspectu [16] judicis cuncta cernentis gerebatur, nec succumbit nec vincitur, sed de hoste imperiose triumphans evasit illæsus. Ecce Joseph ab amplexibus meretricis Ægyptiæ, pallio fugiens in manibus derelicto, maluit incarcerari quam solvi, maluit propter eum cui servire regnare est servus esse quam liber. Et ne libertate concessa licenter [17]

[1] *add.* omnibus 2. — [2] *om.* 2. — [3] (a. p.) pariter assensu 2. — [4] *om.* 2. — [5] (quæ tract.) quid de eo tractabatur 2. — [6] At 2. — [7] (a. e.) ejus aures 2. — [8] *ita* 2 : faustum 1. — [9] enim 2. — [10] ruram 1. — [11] *ita* 2 ; dignitatem 1. — [12] deterreret 2. — [13] aratrum 2. — [14] *add.* ipsa 2. — [15] sui 2. — [16] *ita* 2 ; spectu 1. — [17] libenter 2.

evagetur, ne ad ejusdem oscula trahatur invitus, trepidans expavescit [1]. Ecce Helias rejecta [2] chlamyde curru igneo devectus in cœlum, cogi se queritur ad infima mundi descendere, a quorum intuitu oculos avertebat ne videant vanitatem.

7. Dum [3] ergo quid acturus sit secum anxius volvit et deliberat, ecce solemnes nuntii ecclesiæ cui non tam præesse quam prodesse debebat, celeriter accurrentes, præmissa salutatione humiliter supplicabant, quatinus, vocationi divinæ gratanter acquiescens, electioni [4] factæ de ipso [5] jocundum præstare dignaretur assensum. Et ii quidem, quamvis ab ipso cum magna veneratione suscepti, in ipso suæ petitionis [6] exordio passi fuissent repulsam, nisi quia voluntas ejus de alterius voluntatis pendebat arbitrio. Nam qui sub potestate erat constitutus, nec velle aliquid nec nolle absque superioris credebatur mandato. Fortius itaque supervenit [7] abbatis imperium, cujus jussionibus juxta ordinis institutionem et sanctorum patrum canonicas sanctiones obtemperare tenebatur in omnibus. Insuper et [8] cujusdam cardinalis apostolicæ sedis qui tunc in partibus gallicanis legationis [9] fungebatur officio, districtius ad eumdem emanavit mandatum. Præmiserant ambo efficacissimæ exhortationis epistolam, ne supernæ voluntati resistens ejus vocationem contemneret qui, peregre profectus, quando reversus fuerit, positurus rationem cum servis [10] suis talentum sibi [11] commissum exiget cum usuris. Attendens igitur vir Dei quod major est obedientia quam victima quodque patris [12] inobedientia adhuc in vitiatæ propaginis successione punitur, Domini nostri Jesu Christi secutus vestigia, qui pro salute humani generis factus est obediens Patri [13] usque ad mortem, licet in primo plurimum renitens et indignum se vociferans, eo ipso dignior effectus, velle tandem cogitur quod nolebat. Cessit præceptis qui tormentis non cederet. Imperantibus paruit, cui [14] pro Christi nomine parere oportuit. Mox accepta licentia a religioso grege monachorum quos ipse rexerat dum abbatis potiretur officio, non sine

[1] expavit 2. — [2] *codd.* rejecto. — [3] Cum 2. — [4] *ita* 2; electionis 1. — [5] (f. d. i.) de se f. — [6] (s. p.) p. s. 2. — [7] *add.* Cisterciensis 2. — [8] *om.* 2. — [9] *add. ex* 2; *om.* 1. — [10] *add. ex* 2; *om.* 1. — [11] (t. s.) s. t. 2. — [12] *add.* Adæ 2. — [13] *om.* 2. — [14] *ita legendum videtur; codd.* qui.

magna lacrimarum effusione, non sine gemitu cordis intrinseco, singulorum orationibus se commendans, ab eisdem corpore recessit, non animo.

8. Porro festinans adire Bituricas, cum applausu cleri et populi obviam procedentis [1], cum quanta decuit veneratione susceptus, cathedram episcopalem ascendit, sacrique olei sanctificatione delibutus [2] et a suffraganeis episcopis consecratus, cœlesti unctione super eumdem copiosius emanante rem sacramenti feliciter est adeptus. Ecce noster [3] Aaron pontificalibus indumentis decenter ornatus, super populum Domine rector constitutus, in spiritu humilitatis et animo contrito immolat Deo sacrificium laudis, sese Domino holocaustum offerens in odorem suavitatis. Ecce invenit Dominus David servum suum, oleo sancto suo unxit eum. Cui etiam [4] auxilium promittit, dicens : *Manus mea auxiliabitur ei et brachium meum confirmabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo et filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Ecce Jacob in gremio formosæ Rachelis obdormiens, excitatus a somno ad amplexus Liæ trahitur, cujus lippitudinem abhorrebat, ut ex ea quæ fecundior est sobole filios generet adoptionis.

9. Rex igitur animarum effectus, cum esset unus ex eis ad quos propheticus sermo [5] dirigitur : *Et nunc, reges, intelligite; erudimini qui judicatis terram*, omnes animi motus, quos in honestatem et seculi contemptum redegit, adeo prudenter regebat, ut nihil in eo reprehensibile notaretur a subditis, quos ad observationem mandatorum Dei erudire venerat [6] quorumque regimen tractus susceperat. Nec ignorans quod semper componitur orbis regis ad exemplum, nec sic inflectere mentes humanas edicta valent quam vita regentis, carnem consueto studio domans, spiritum roborans, qui cunctis carnis [7] passionibus a teneris annis bellum indixerat, nunc acrius certamen indicit, cum apostolo dicens: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo; ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Cum [8] sit projectus in

[1] *ita* 2; procidentis 1. — [2] (s. d.) delibutus sanctificatione 2. — [3] *add.* novus 2. — [4] *add.* suum 2. — [5] (p. s.) sermo propheticus 2. — [6] (m. D. e. v.) Dei mandatorum venerat erudire 2. — [7] cunctis 2. — [8] *add.* autem 2.

camino ignis, non exuritur : flamma non nocuit ei nec quidquam molestiæ intulit, quoniam fecit [1] medium fornacis quasi ventum roris flantem. A pressura flammæ liberavit eum, et in medio ignis non est æstuatus. Inter divitias affluentes, inter rerum amplissimas facultates [2], inter honorum præeminentiam, dignitatum excellentiam, quæ sæpius sensum hominis evertit, pauper esse spiritu didicerat. Inter delicatas epulas celebri et [3] sumptuoso apparatu fruentes noverat esurire, inter exquisita vina sitire [4]; inter mollibus vestitos asperrimis vestibus cilicinis indui, cuculla desuper adjecta, monachali habitu non relicto, ut non pontifex sed monachus putaretur. Paucis admodum quibus operiatur [5] non quibus fulgeat vestimentis [6] contentus, nec in brumis hiemalibus, cum boreas solito asperior inhorrescit, aliqua sibi adjici, nec in æstatis fervore, cum radii solares ardentius exæstuare cœperint, aliqua sibi detrahi patitur indumenta. Quorum gravi et assueto pondere omni tempore, omni hora potius premitur quam juvetur. Nunquam ex eo tempore quo ruptis laqueis seculi sanctificationes Dei ingrediens egressus est mundum, carnium deliciis vesci voluit, licet volatilium aerias voluptates nec non et varia venationum fercula non ex luxu id suadente, sed ex meræ studio largitatis [7], plerumque vero gratia hospitum et favore, apponi jubet discumbentibus. Inter mundanos strepitus variosque quibus episcopalis jugiter perstrepit aula tumultus, inter causarum litigia et certaminum rixas pacem interius servans, pacifice loquebatur, et cum his qui oderant pacem erat pacificus. Tranquillo animo perseverans in hoc mari magno et spatioso manibus, quorum reptilium non est numerus, securus navigat, quoniam statuit ei Dominus procellam maris in auram et siluerunt fluctus ejus.

10. Considerans vir Dei quod qui non ardet non incendit, igne sancti Spiritus exardescens, caritatis clibano decoctus, exemplo sanctæ conversationis subditos inflammat, modis

[1] *add.* Dominus 2. — [2] (inter-fac.) *om.* 2. — [3] *add. ex* 2; *deest in* 1. — [4] (inter-sitire) *om.* 2. — [5] *ita* 2; operitur 1. — [6] indumentis 2. — [7] liberalitatis 2.

omnibus sibi præcavens, ne per exemplum pravi operis, Phariseorum more, ad ingressum regni cœlestis tendentibus obstaculum fiat. Nulla illicita perpetrat, a licitis abstinet; perpetrata ab aliis ut propria deplorat. Sic [1] ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, ut in bonis proximi sicut in suis profectibus [2] lætetur. Primum si quas inveniebat in se [3] maculas interiores, fletu compunctionis abluens, nullo trabis objectu luminis patiens detrimentum, non solum festucas sed universas peccatorum trabes [4] animam obruentes de oculo fratris sanctæ prædicationis verbo pariter et exemplo conatur ejicere. Ad sananda ægri vulnera medicus accedens, non in facie vulnus portat, ne audire mereatur cum rubore : *Medice, cura te ipsum.* Qui ad intercedendum [5] mittitur, qui pro nostris reatibus offensum judicem placare intendit, ejus quem [6] placare desiderat in suis excessibus iram [7] minime provocat, ne irati animus ad deteriora provocetur. Impietatis sordibus carens, ad alienas sordes abluendas non venerat inquinatus. Rejecta a se sarcina peccatorum qui suis non premitur, mole criminum obrutos liberat et oppressos. Jam erectus erigit elisos, jam solutus solvit expeditius compeditos. Cumque nihil sibi conscius sit nisi [8] virtutis, se tamen servum inutilem reputans, semper pavidus ac [9] suspectus, ibi culpam agnoscit ubi culpa non est, cum propheta exclamans : *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero et emundabor a delicto maximo. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei populo quem redemisti, quem acquisisti sanguine tuo, quem mihi, famulo tuo, licet indigno, committere dignatus es.*

11. Attendens ergo famulus Dei quod omnium virtutum [10] fidelis custos existit humilitas, quodque filius hominis idemque Filius Dei, cum sit dominus et conditor omnium, nec [11] unquam non fuerunt [12] illi subjecta quæ condidit, cum ad nos de sinu Patris descenderet [13], non venit ministrari sed mini-

[1] Sicque 2. — [2] *om.* 2. — [3] (i. i. s.) in se inveniebat 2. — [4] (p. t.) trabes peccatorum 2. — [5] *add.* populi 1 ; *om.* 2. — [6] *ita* 2 ; cui 1. — [7] *om.* 2. — [8] *ita* 2 ; vir 1. — [9] et 2. — [10] (o. v.) virtutum omnium 2. — [11] *om.* 2. — [12] fieri 2, *et add.* ut. — [13] descendet 1.

strare, ad exemplum et imitationem illius qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, se in omnibus humilem exhibet et benignum. Cumque pontificalis adeptus sit fastigium dignitatis, quanto major est, humiliat se in omnibus et, in nullo bonis se præferens, honore suppresso, æqualem se subditis religiose viventibus deputat, illud verbum principis apostolorum menti imprimens et conservans: *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis.* Sequens itaque [1] vestigia magistri et domini, quem semper verus studuit imitari discipulus, cœpit facere et docere. Opera verbis, verba operibus ex æquo sibi [2] respondent [3]. Nec in ipso honestas vitæ perverse docendo, nec sana doctrina inhoneste vivendo destruitur. Acceptam pecuniam domini sui non abiens fodit in terram, nec percepta dona sub otio lenti torporis abscondit; sed commissum sibi a Deo cum omni diligentia exequi maturat officium. Insistens sancto proposito terram humani cordis incultam, non nisi tribulos et spinas germinantem, vomere sanctæ prædicationis sulcans excolit; spinarum quoque densitatem sarculo verbi Dei amputans evellit et destruit, virtutum seminaria plantans. Sicque domum Domini de lapidibus vivis lignisque levigatis in ædificii structuram mirabiliter consurgentibus ædificare festinat. Sancta exhortatione dirigit vias Domini, rectas facit semitas Dei nostri, parans Domino plebem perfectam.

12. Quamvis autem propter patientiæ [4] et humilitatis constantiam, quas in ædificando Spiritus sancti primum locaverat fundamentum, rigor justitiæ per ipsum aliquantulum visus est emolliri, et ob hanc causam a quibusdam minus cautis, qui non sapiunt ea [5] quæ Dei sunt, putaretur tepidus et remissus, cleri tamen vel ecclesiæ jura in nullo passus est [6] mutilari. Qui enim ob fidei constantiam et ecclesiasticæ libertatis defensionem ad toleranda omnium tormentorum genera semper paratus erat et promptus, quique se sponte periculis pro fide pugnaturus objiceret, si tempora persecutionis inve-

[1] igitur 2. — [2] (e. æq. s.) sibi ex æquo 2. — [3] respondentibus. — [4] parientiæ 1. — [5] *om.* 2. — [6] *add. ex* 2; *om.* 1.

diat ig
non ignoran patie
pœnitentiam patie affectu fac
compassionis affectu [4] ne
vero corda delinquentium [4] ne patientia ab
rius patitur quod ejus patientia ab
principum nec terrore tyrannorum conce
precibus amicorum seductus, zelo Phinees exa
ulciscenda facinora, commissæ sibi gladium exerit pot
Nec quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, illata [5]
injurias de puro corde remittens, in ulciscendis contum
Salvatoris exarsit. Cumque pravorum culpa veheme
extenditur, potestatem protinus sui prioratus agnosc
erga perversos quod justum [6] exercere non formidat.
qui cum Moyse in montem ascendit ad Dominum [7], ub
casse populum divina voce allocutus agnovit, reversus
nis arripit gladium et, ut Dominus populo suo parcer
pepercit. Et quia scriptum legerat : *Irascimini et no*
care ; sol non occidat super iracundiam vestram,
irascitur, peccantes arguit [8] et increpat, nec palpans
sed abominans; naturam in homine, non vitia v
Nec falsa pietate superatur ut Heli : qui, quoniam
rum correctionem [9] piger et negligens extitit, cu
percussus a Domino fracta retro cervice a sell
expiravit.

13. Sciens autem quod misericordia semper
mitiget judicium, et pietas promissionem habe
nunc est et futuræ, exercet se ad pietatem, a tran
justitiæ non recedens. In ipso namque misericor
obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt
namque quam miserabilis et miseranda sit hu
tio, quam fragilis natura, dum in aliena c

[1] credendum 2. — [2] *om*. 2. — [3] *flectit* 2. — [4] *om*. 2. — [5] *illat*
[7] (in m. a. a. D.) *ascendit ad Dominum in montem* 2. — [8] *red*
nem 2. — [10] *ita* 2; *exaltat* 1. — [11] *attamen* 2. — [12] (*miserab.*
rabilis sit et miseranda hominum 2.

infirmitatem pius pastor prudenter agnoscit, peccata plangentibus, corde contritis [1] facilius miseretur et ignoscit. Patris ubera non omittens, virga corripit disciplinæ quos maternis fovet amplexibus, dulcibusque sacræ doctrinæ demulcet eloquiis. Est itaque in misericordia non remissus, in amore non blandiens, in rigore justitiæ non immoderate sæviens, in pietate non plus quam deceat parcens. Sicque vulneribus sauciati qui incidit in latrones vinum infundit et oleum, ut et vini asperitas vulnerum saniem emundet, oleique effusi suavitas dolorem mitiget. Porro sæpius revolvens in animo quod scriptum legerat : *Cui plus committitur, ab eo plus* [2] *exigitur,* commissum [3] gregem Dominicum pastor diligit et quibusdam brachiis non fictæ caritatis amplectitur. Et licet crebro audisset : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam,* quia tamen coadjutor est Dei et dispensator mysteriorum ejus, supra gregem vigilans, circa singularum ovium custodiam omnem sollicitudinem omnemque diligentiam adhibet [4], ne lupus rapiat aut dispergat oves. Talenta multiplicare non differt, ne dilatio [5] gloriam minuat, quæ cum usuris districto reddere tenebitur exactori. Disponit sermones suos in judicio, ut revelata facie secure accedens ad judicem dicere valeat [6] : *Quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum;* versa vice mereatur audire : *Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium domini tui.*

14. Itaque sub silentio transire nolumus quod circa opera [7] misericordiæ semper intentus, aliena non rapiens sed [8] propria largitur. Nec ignorans quod hilarem datorem diligit Deus, non ex tristitia aut [9] ex necessitate sua pauperibus erogans, abjectiores [10] eorum in largitione eleemosynæ solitus erat prævenire. Debiles et claudos vocans reficit, et illos præcipue a quibus juxta vocem Salvatoris remunerari non expectat. Illud apostoli tenaci memoriæ commendans : *Hospitales invicem sine murmuratione,* hospitalitatem sectans,

[1] *ita* 2; contritus 1. — [2] (ab e. p.) plus ab eo 2. — [3] *add.* sibi 2. — [4] exhibet 2. — [5] *ita* 2; dilato 1. — [6] *add.* Domine 2. — [7] *add. ex* 2; *om.* 1. — [8] *om.* 2. — [9] *ita* 2; sed 1. — [10] *ita* 2; abjectores 1.

hospites non solum invitat, sed trahit, et domum intrare compellens cum debita suscipit veneratione. Notos et familiares habet quos sanctitatis opinio commendabat, et ut ab eis esurire [1] justitiam discat crebris eorum collocutionibus fruebatur. Nec illos in ulteriorem familiaritatem admittit qui notantur infamia vel de quorum æquali conversatione oriri debeat dignitatis contemptus. Omnes tamen in Christo diligit, omnibus prodesse desiderat, qui pro salute omnium venerat. Nudos operiens, qualia quasque personas decent, secundum earumdem considerationem, paucis admodum consciis oculis vestimenta præstabat, qui non ab homine sed a Deo gloriam quærebat. Infirmos et in carcere vinctos visitans, utrisque compatiens consolationis præstat salubre remedium. Et, ut ad [2] sanctorum exempla provocet, sacræ Scripturæ secreta pandit, ne desperationis in foveam cadant, ostendens quod per [3] multas tribulationes et pressuras oportet nos introire in regnum Dei, nec sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Nonnulli etiam infirmi, a tertianis et quartanis febribus correpti, expectata cum gaudio sancti patris præsentia, habentes fiduciam in Domino quod per ejus virtutes et merita perfecte curari possent a languoribus suis, humiliter rogabant eum, obsecrantes quatinus imperaret febri et [4] dimitteret eos, et super illos manum sanctam in modum benedictionis extenderet [5] et pristinam acciperent sanitatem. Ille vero nolens, immo valde erubescens se appellari vel etiam existimari sanctum ab aliquo, increpabat eos ut tacerent et ne humanum, quod nullum est prorsus, sed divinum tantum in suis afflictionibus auxilium implorarent. Veruntamen, ut erat mitis et humilis corde, cum perseverarent pulsantes et cum ingenti gemitu clamantes : *Pater sancte, si quid potes apud Deum, adjuva nos,* singulorum infirmitati compatiens, cum infirmis factus infirmus, de Dei misericordia et virtute confisus, imponebat manus super eos : et alii quidem in continenti, alii paulo post miraculose sanabantur. Quorum aliquos, bonæ

[1] *add.* et sitire 2. — [2] *om.* 2. — [3] *add. ex* 2; *om.* 1. — [4] ut 2. — [5] *ita* 2; ostenderet 1.

opinionis viros, vidimus sanos et incolumes ea quæ dicimus et eo ordine quo gesta sunt, coram omnibus [1] protestantes.

15. Verum quia [2] vitæ sanctitas occultata prudenter signorum ostensione et miraculorum evidentibus declaratur indiciis [3], quædam miracula quæ nostræ occurrunt memoriæ, quibus Dominus servum suum fidelem adhuc in carne viventem clarificare dignatus est, nacta occasione necessariam digressionem facturi, breviter transcurremus. Factum est, dum pastor noster eximius, circuendo [4] diocesim suam, gregem Dominicum sibi creditum more solito visitaret suumque fideliter impleret officium, vel verbo prædicationis insistens vel sacros ordines celebrans, vel circa ecclesiarum et altariorum consecrationem, intentus, vel subditos sibi discordes ad invicem ad ea quæ sunt pacis exhortans, vel regeneratos ante fonte baptismatis sacri chrismatis unctione [5] in fidei catholicæ [6] soliditate confirmans : ecce quidam puer continuum tremorem capitis jam per tres menses passus et amplius, delatus a parentibus [7] apud Montem Falconis præsentatur eidem, de quadam basilea [8], quam in ipso castro consecraverat, exeunti. Quem vir sanctus oculo pietatis intuitus, imposuit ei manus, et infra triduum ab infirmitate sua omnino liberatus convaluit.

16. Capellanus sancti Germani de Podio, cujus ecclesia duobus milliariis nostra distat ab urbe, tantæ incommodum infirmitatis incurrerat quod, amisso prorsus, sicut idem protestabatur [9], fere per dimidium annum sinistræ manus officio, a celebratione missarum abstinebat invitus. Cujus rei eventu tristis admodum et confusus, impotentiam suam sæpius arguebat. Cum igitur mendicatis medicorum suffragiis usus fuisset incassum, demum accessit ad sanctum præsulem, manum quasi [10] aridam eidem ostendens et infirmitatis suæ secreta revelans. Quem servus Christi benigne suscipiens, apprehensa manu illius confortabat eum, dicens: *Fili, recordare quia scriptum est: Corde creditur ad justitiam, ore* [11] *autem*

[1] (c. o) *om.* 2. — [2] quoniam 2. — [3] *ita* 2; judiciis 1. — [4] circumeundo 2. — [5] unctionem 1. — [6] *om.* 2. — [7] parantibus 1. — [8] basilica 2. — [9] testabatur 2. — [10] *add.* jam 2. — [11] oro 1.

confessio fit ad salutem. Confitere ergo humiliter peccata tua, ut Dominus[1] *propitietur omnibus iniquitatibus tuis et sanet omnes infirmitates tuas.* His dictis, ille accepta patris benedictione recessit, et dimissus ab infirmitate sua gratias agens Deo die tertia celebravit.

17. Quadam die cum sanctus pontifex Willermus quamdam ecclesiam consecrasset, cum clericis et alio comitatu suo reversus, sicut is qui circa consecrationis officium, quod non modicum laborem exigit, pondus[2] diei et æstus tulerat non[3] mediocriter fatigatus, causa recreationis sedit in prato, non ad saturitatem sed ad refocillationem spiritus paululum cibi sumpturus. Egressa est autem de domo sua prato contigua mulier quædam, Humbergua[4] nomine, prægnans et partui vicina, valde desiderans perfrui sancti patris collocutione pariter et aspectu. Quæ cum accessisset ad eum, causam sui accessus diligenter exponens seque miseram et infeliciorem omnibus creaturis[5] vocans, non sine cordis gemitu conquerebatur eidem quod nunquam pepererat nisi fetum mortuum, cum jam quater vel quinquies peperisset. Et, quia prudentis est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est, in se culpæ fecundæ sterilitatis seu sterilis fecunditatis retorquens, tanquam devotissima filia patris humiliter expectabat responsum. Qui tanquam pius pater filiæ dolenti condolens, dolorem ejus blandis persuasionibus mitigavit. Injunxit insuper illi quatinus vocaret sacerdotem et confiteretur ei peccata sua et de cetero non timeret de partu[6], quoniam omnia crimina in confessione lavantur. Demum tetigit manu sancta prægnantis uterum veste contectum, et extendens manum benedixit ei et de cibo et potu suo dedit illi, et confortata recessit. Quæ, cum impletum esset tempus pariendi, vivum peperit filium[7], nec ex ea die mortuum peperit, licet protestata sit publice cum viro suo : *Processu temporis plures filios*[8] *peperimus*[9].

18. Porro vir beatus si quos in oppressionem libertatis et

[1] Deus 2. — [2] pondusque 2. — [3] tolerarat 2. — [4] Humberta 2. — [5] hominibus 2. — [6] (d. p.) *om.* 2. — [7] (v. p. f.) peperit virum 2. — [8] infantes 2. — [9] peperisse 2.

ecclesiastici juris injuriam nosset carceri mancipatos, tamdiu ante carcerem sub nudo excubans aere ipsius januas carceris observabat donec liberi et immunes ab omni exactione indebita cum omnibus facultatibus suis eidem traderentur illæsi. Exemplo justi [1] Tobiæ ad opus consimile provocatus, non tantum mortuos sepelire [2], verum indifferenter et sine personarum acceptione defunctorum fratrum funera prosequi, insuper et sepulturæ pauperum et peregrinorum gaudet necessaria ministrare. Huic tam miserando et miserabili [3] curabat interesse spectaculo, quatinus conditionis humanæ non immemor recordaretur [4] novissima sua, ut in [5] æternum non peccet. His itaque et aliis [6] armaturis fidei miles Christi præmunitus, septemplici [7] clipeo misericordiæ protectus, gladio justitiæ potenter accinctus, in extremi ventilatione judicii, in illa tremendi [8] judicis disceptatione ab auditione mala non timebit.

19. Illa eadem opera misericordiæ sanctus Dei sacerdos spiritaliter [9] adimplere non cessat. Disseminans enim verbum Dei, cum facta esset fames [10] in regione nostra, esurientem filium patrisfamilias [11] juniorem divini verbi pane satiat et reficit, qui dissipata omni substantia adhæserat uni civium ut pasceret porcos, cupiebatque satiari de siliquis et nemo illi dabat; de cujus panis refectione Veritas [12] in Evangelio : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Et [13] de hujusmodi fame legitur in psalmis : *Convertentur ad vesperum et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* Sitientes cœlestis aqua doctrinæ [14] potare non desinit, ut qui ex ea biberit non sitiat in æternum, sed juxta vocem Salvatoris fiat ei fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam ; de qua dicitur : *Aqua sapientiæ salutaris potavit eum Dominus,* et alibi : *Omnes sitientes venite ad aquas.* Nudam sanctis operibus animam vestimento salutis induit, dum perfectæ prædicationis verba et exemplum boni operis

[1] sancti 2. — [2] sepelit 2. — [3] (m. et m.) miserabili ac miserando 2. — [4] *ita* 2 : recordatur 1. — [5] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [6] (et a.) *om.* 2. — [7] (septemplici-protectus) *om.* 2. — [8] tremenda 2. — [9] *om.* 2. — [10] (f. e. f.) fames esset facta 2. — [11] (f. p.) patrisfamilias filium 2. — [12] *add.* dicit 2. — [13] *om.* 2. — [14] (a. d.) doctrinæ aqua 2.

ad opera caritatis accendit. Qua veste carentem ad regales nuptias discumbentem paterfamilias arguendo alloquitur, dicens [1] : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Dominum Salvatorem ad hospitium invitat et colligit [2], qui domum cordis præparans ut fiat templum Domini et habitaculum sancti Spiritus [3], de solis æternis cogitat, mundanarum sordibus cogitationum expulsis [4], ne quid inhonestum aut immundum hospitis oculos [5] intrantis offendat. Infirmos et in carcere detentos visitat qui, medicus animarum existens, cum salubris doctrinæ medicamentis vel ad curandas animas peccatorum ulceribus plenas, vitiorum æstu tanquam continuo febrium calore languentes, per affectum compassionis accedit [6], vel easdem delictorum vinculis venit solvere compeditas [7]. Mortuos sepelit, qui peccata, quæ mortem ingerunt, per oris confessionem quæ fit [8] ad salutem revelat et detegit, ut [9] in die revelationis justi judicis ipsi qui manifestabit abscondita cordium tecta sint et occulta; de quibus per prophetam dicitur : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.*

20. Sepultis itaque vitiis allisisque parvulis suis ad petram, carnis desideria non perficit, ne thesaurizaret sibi iram in die iræ, sed eadem per carnis mortificationem [10] supplantat, ut cum propheta clamet ad Dominum : *Propter te mortificamur tota die.* Jejuniis frequentius, vigiliis crebrius, eleemosynæ largitioni ferventius, orationum secretis insistit prolixius, apostolicum sermonem implere satagens : *Sine intermissione orate.* Hæc et alia quibus membra ejus admodum attenuata sint et attrita, dulces epulas animæ delectabilem spiritus recreationi [11] verissima assertione demonstrat. Inter orationum secreta aut inter sacra missarum solemnia mirabilem compunctionis gratiam habere consueverat. Nam et lacrimarum torrentem de purissimo et indeficienti fonte cordis educit [12], ut per oculos semper ad fletum eruditos, quasi per

[1] *add.* alloquitur 2. — [2] (i. et c.) colligit et invitat 2. — [3] (s. S.) Spiritus sancti 2. — [4] (m. s. c. e.) mundanarum cogitationum expulsis sordibus 2. — [5] (h. o.) oculos hospitis 2. — [6] accendit 2. — [7] *ita* 2 ; compeditos 1. — [8] *ita* 2 ; sit 1. — [9] *ita* 2 ; et 1. — [10] *ita* 2 ; mortificationis 1. — [11] *ita* 2 ; recreationi 1. — [12] educere 2.

quasdam fistulas, fons vivus emanet [1], qui de sancta dulcedine et calore devotionis erumpens scaturit et indesignanter [2] ebullit. In supernorum amore fixus a veri Abrahæ sacrificio immundarum muscas cogitationum arcet et abigit, nostræ redemptionis non sine maxima delectatione secum pia revolvens mysteria, sicque in sacramento versatur altaris ac si præsentialiter [3] in carne Dominicam geri cerneret passionem. Sciens enim quod non haberet hic manentem civitatem, futuram inquirit. Terrena et transitoria mente transcendens, quæ sursum sunt quærit, non quæ super terram. Sola carnis [4] præsentia [5] hospes factus in terris, spiritu sursum elevato conversatur cum angelis, quorum felici consortio flagranti [6] ardebat desiderio copulari. Ecce qui cum Maria pœnitente pedes Redemptoris lacrimis devotionis lavit, ibique peccatorum maculas fuso crine detersit, ad oscula manuum pie, juste et sobrie vivendo per sanctorum operum merita pervenit; ad extremum cum odore virtutum, cum mira [7], sanctitatis vitæ fragrantia superius ascendens sanctum Domini verticem tangere meruit, pretiosumque et odoriferum variis virtutibus tanquam diversis aromatum speciebus confectum super ejus caput [8] effudit unguentum. Sed qui cum apostolo usque ad tertium cœlum penetrans in paradisum rapitur, cœli secreta rimatur, cum eodem ad ordinandum cubile conjugatorum, ad cunabula parvulorum disponenda descendit. Ad defensionem pupilli et viduæ, ad subveniendum oppresso, ad secreta infirmantium oculos cordis misericorditer flectit: quos ad invisibilia perscrutanda erigit sublevatos [9]. Cum Moyse tabernaculum frequenter ingreditur et egreditur [10]; et qui intus in contemplationem rapitur, cœlestibus secretis inseritur, foris infirmantibus condescendens variis eorum negotiis implicatur. Sicque fit ut, dum per excessum mentis alta contemplando appetit, infirmorum curam contemnens non deserat, dumque curis eorum occupatur et premitur alta appetere [11] non desistat.

[1] emanat 2. — [2] indesinenter 2. — [3] *ita* 2; præsentiarum 1. — [4] carne 2. — [5] *om.* 2. [6] *ita* 2; fragranti 1, *et mox* frangrantia *ubi* fragrantia 2. — [7] (cum mira) cum mirra 1; et mira 2. — [8] *add. ex* 2; *om.* 1. — [9] *ita* 2; sublevatus 1. — [10] (et egreditur) *om.* 2. — [11] petere 2.

21. Considerans hostis callidus et infatigatus humani generis persecutor gloriosum præsulem multiplici gratia variisque virtutum floribus vernare, ad antiquas et consuetas fraudis artes [1] recurrens, per varias et occultas suggestiones assumptis armis perfidiæ adversus fidei propagatorem [2] latenter dimicat, ut animum ejus in cœlestibus radicatum retrahat et avellat. Tentat miser et livore tabescens immortalitatis gloria nudare christum Domini et inæstimabiles auferre paradisi delicias quas superbus amisit. Tentat a sanctitatis statu dejicere, a cœli fastigio fastu proprio jam dejectus. Tentat in abyssum culpæ demergere, in profundum inferni jam demersus. Nunc generosæ propaginis qua secundum seculi fastum potenter fulcitur, lineam et progressum prætendens, nunc patriarchatus culmen et dignitatis apicem, qua ceteris prælatis in Aquitania præminet constitutis [3], nunc Cisterciensis Ordinis præminentiam quem [4] adolescentioribus annis dudum fuerat amplexatus, continuamque innocentis vitæ sub eodem Ordine perseverantiam caute insinuando proponit. Omnia incentiva superbiæ conflans in unum, quæ [5] pessimæ ejus intentioni singula prodesse non valent, multa collecta invehit [6] simul. His et aliis blandis ac perversis persuasionibus exhortatur ut eo [7] ipso quo [8] ceteris præminet elatione cogitationis intumescere debeat ; nec, tanquam oblitus quantus sit in oculis omnium, patiatur se contemni, sed quos sorte potestatis excedit transcendisse etiam vitæ meritis credat. In quodam culmine se apud semetipsum [9] constituat, et cui æqua est conditio naturæ [10] cum ceteris, ex æquo respicere ceteros dedignetur ; subjectis pro voluntate potenter imperet [11], parere nolentes tanquam inobedientes districte puniat : cuncta sibi licere, cunctis se plus sapere existimet, qui cunctis plus posse se videt.

22. Intelligens vir fortis et doctus ad prælium fraudes et versutias sathanæ, utpote cui data erat discretio spirituum,

[1] (f. a.) artis fraudes 2. — [2] propugnatorem 2. — [3] constitutus 2. — [4] (p. quem) excellentiam quem 2, *et add.* quam. — [5] ut quæ 1 ; ut quia 2. — [6] (c. i.) invet collecta 2 ; collecta invenit 1. — [7] *om.* 2. — [8] quod 2. — [9] ipsum 2. — [10] *om.* 2. — [11] *ita* 2 ; imperat 1.

inexpugnabile scutum humilitatis [1] assumens [2] præparat se ad tentationes, sciens quoniam fidelis Dominus in omnibus verbis suis, qui non permittit servos suos tentari ultra id quod possunt. Omnia sui tentatoris argumenta refellit; singulas objectiones quas ad perdendum justum actor [3] perditoris invenit, in suæ salutis usum convertit, et fraus in se reversa colliditur. Nam ne supra se extolli debeat, quia ex illustri prosapia ortus, occurrit memoriæ quod scriptum est: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* et illud apostoli versatur in animo, qui cum segregatus fuisset ex utero matris suæ, videlicet synagogæ, quæ ipsum lactaverat, protestatur se continuo non acquievisse carni et sanguini, sed, relictis parentibus, propter evangelium abiit ad antecessores suos apostolos, ab ipsis in fide Christi plenus [4] instruendus. Exemplum etiam Domini, cujus omnis actio nostra est instructio, præ oculis ponit; qui dum doceret turbas, cuidam sibi dicenti : *Ecce pater tuus et mater tua* [5] *stant foris quærentes te*, respondisse legitur : *Quis est pater meus et quæ est mater mea* [6] *? Et extendens manum in discipulos ait: Hi sunt pater meus et mater mea* [7] *?* Et postmodum subjunxit: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, hic pater et mater et frater et soror est* [8]. Sed ne de potestatis culmine glorietur, illud prophetæ assumit, commemorans : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Transivi, et ecce non erat; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Et iterum : *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatus.* Nam si quis potens timendus est, illum profecto [9] debere timeri docet et astruit, qui solus omnia potest, cui nihil est impossibile, a quo omnis potestas, cujus omnipotentia non [10] incipit nec desinit esse [11] sed est ante [12] secula. Ille utique metuendus est qui potens est de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, qui potest animam et corpus [13] perdere in

[1] (s. h.) humilitatis scutum 2. — [2] assumit 2. — [3] *ita* 1 ; auctor 2 : *forsan pro* astu. — [4] plenius 2. — [5] (Ecce-tua) Ecce mater tua et fratres tui 2. — [6] (Quis-mea) Quæ est mater mea aut qui sunt fratres mei 2. — [7] (Hi-mea) Hi sunt mater mea et fratres mei 2. — [8] (hic-est) ipse meus frater et soror et mater est 2. — [9] *om.* 2. — [10] nec 2. — [11] *om.* 2. — [12] (est ante) ante 1 ; est ante omnia 2. — [13] (a. et c.) corpus et animam 2.

gehennam [1], quique [2] aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ. Ne vero de præminentis Ordinis observantia, sub quo relictis omnibus soli Christo militans jugum ejus suave ab adolescentia ipse portavit, se supra se metiatur interius intumescens, dixisse Dominum in Evangelio [3] recordatur : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et alibi : *Ubi te invenero, ibi te judicabo.* Et quoniam. juxta vocem beati Gregorii, virtus boni operis est perseverantia, nec ullum bonum absque ea consummari vel perfici [4] potest, illud improperium quod Dominus loquens in parabolis ad turbas ait : *Homo iste cœpit ædificare et non potuit consummare,* admodum [5] territus pertimescit. Hæc et alia sacri eloquii verba [6] et [7] exempla recolligens et in fasciculum redigens beatus vir iste, cujus est auxilium a Domino, ascensiones in corde suo disposuit, et ibat de virtute in virtutem ascendens, donec videret Deum deorum in Syon. Dicebat enim intra se : *Qui stat, videat ne cadat. Si vero ceciderit, cogitet ut resurgat.* Hoc autem cogitans cum ceciderit [8] non collidetur : etenim [9] Dominus supponit manum suam et apprehensa dextera ejus cadentem elevat, et resurgit fortior post ruinam. *Si ergo consistant adversum me castra, non timebit cor meum ; si exsurgat adversum me prælium, in hoc* [10] *sperabo.* Et convertens se ad unicum et necessarium orationis [11] refugium, cum [12] gemitu clamabat ad Dominum : *Domine Jesu Christe, qui ad te clamantes a misericordia tua* [13] *non repellis, quique dixisti, Ego sum lux* [14] *mundi ; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus : Prævalui adversus eum. Mei namque pene* [15] *moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero; ego autem in misericordia tua speravi. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.*

23. Videns venenatissimus [16] serpens se a servo Dei [17] pas-

[1] *ita* 2 ; gehennem 1. — [2] *ita* 2 ; quibus 1. — [3] (D. in E.) in Evangelio Dominum 2. — [4] *add.* illud 2. — [5] ad modicum 2. — [6] *om.* 2. — [7] *om.* 2. — [8] *add.* justus 2. — [9] *(loco* etenim) et cum 1 ; quia 2. — [10] *add.* ego 2. — [11] orationum 2. — [12] *om.* 2. — [13] (m. t.) tua misericordia 2. — [14] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [15] *om.* 2. — [16] *ita* 2 ; venatissimus 1. — [17] (a s. D.) ab eo.

sum repulsam turpiter et illusum, vehementer confusus erubescit [1]. Circuit ergo quasi leo rugiens et quærens ut justum [2] devoret. Necdum a scelerato desistens [3] proposito, subtiliores laqueos tendit [4], ut in ipso meritorum germen possit penitus [5] suffocare. Et ne superatus omnino credatur, transfigurans se in angelum lucis, quod liquido apparet [6] quoties vitia virtutes se esse mentiuntur, aut se sub umbra virtutum occultant, per ministros sui sceleris, per membra suo capiti cohærentia docet et exhortatur christum Domini sub specie pietatis ad impietatis opera prosilire; sub specie justitiæ in enormitatem facinorum irreverenter prorumpere, et in [7] injuriantes sibi [8] vindictæ libidinem exercere. Persuadebatur ei ut quos propter eorum scelera et multiplices excessus vinculo anathematis innodaverat, quod et invitus et plurimum condolens iniquitatibus eorum facere [9] credebatur, cum reversi ad cor nonnunquam per piissimi patris orationes et merita beneficium absolutionis postularent, secundum totius Gallicanæ ecclesiæ ritum hactenus observatum præter illam condignam satisfactionem pro quantitate delicti sibi injunctam multarentur pecunia, ut saltem temporalium rerum damno terrerentur attriti, nec de cetero tam enormes injurias et excessus præsumerent attentare.

23. Nec non et illorum [10] pecuniam taliter acceptam, prout asserebatur eidem [11] ab his [12] qui magni nominis habebantur, poterat in proprios usus convertere aut, si mallet, [13] fidelis dispensator egentibus erogare. Sed pius pastor, spiritu consilii et fortitudinis adjutus, sciens quod hæc omnia sibi licent, sed non omnia expediunt, in hoc facto adeo discreto et salubri usus est consilio ut et Deum cui in omnibus factis suis et dictis placere desiderat non offendat, nec homines quibus tam præesse quam prodesse intendit aliquatenus scandalizet. Itaque [14] secum cogitat, quia humana natura semper est proclivis ad malum, quod [15] hujusmodi homines

[1] erubuit 2. — [2] (ut j.) justum ut. — [3] *ita* 2; desisto 1. — [4] *ita* 2; tetendit 1. — [5] (possit p.) penitus possit 2. — [6] *ita* 2; apparat 1. — [7] *add. ex* 2; *om.* 1. — [8] se 2. — [9] *om.* 2. — [10] illam 2. — [11] *ita* 2; eisdem 1. — [12] aliis 2. — [13] *add.* sicut 2. — [14] (Itaque-malum) *om.* 2. — [15] quia 2.

qui circa acquisitionem temporalium [1] ferventes in amore terrenorum radicem cordis fixerunt, a quibus non tam subito retrahi possit vel avelli, sublata pecunia tristes effecti, præ magnitudine doloris ad ampliora facinora prorumpentes, aut desperationis in laqueum cadant aut acriori cupiditatis igne succensi majorem acervum pecuniæ per fas et nefas in suæ cumulum damnationis [2] coadunent. Quorum perditionis et ruinæ causa nolebat esse [3], sed salutis. Quadam [4] vero media via, quam elegit, incedens, a semita justitiæ non exorbitat, qui spurcitias hujus seculi impolluto calle pertransit. Ritum patriæ nec improbat nec infringit ; sed laudabiliter conservans [5], accepta cautione de solvenda quando vellet secundum statuta prædecessorum pecunia sibi pro transgressione debita, injuncta prius pro quantitate criminum satisfactione congrua, excommunicatos misericorditer absolvit. Quodque ad sinum matris filii rebelles cum pace redierunt gratias agens Domino, gratulatur. Nullam tamen ab eis pecuniam postmodum accipit, licet, ut [6] terrorem salubriter incutiat, se accepturum sæpius comminetur. Omnes divitias hujusmodi tanquam stercora reputat, cavens numerum eorum implere in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Beatius namque existimans dare quam accipere, manus suas excutit ab omni munere, qui inventus est sine macula, qui post aurum non abiit nec speravit in thesauris pecuniæ, ideoque stabilita sunt bona illius in Domino. Thesaurum incomparabilem habet in cœlo mortalium oculis absconditum, ubi tota cordis ejus intentio versabatur, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur.

24. Rursum persuadebatur ei ut, si quos in malitia pertinaces et in suis sceleribus cerneret induratos, exerto materiali gladio, congregato exercitu baronum et militum, prout mos regionis illius exigit, manu armata persequens [7], castra et munitiones eorum everteret, de propriis possessionibus

[1] (a. t.) temporalium acquisitionem 2. — [2] *ita* 2 ; desperationis 1. -- [3] (n. e.) esse nolebat 2. — [4] *ita* 2 ; quidam 1. — [5] observans 2. — [6] *ita* 2 ; in 1. — [7] exequens 2.

sceleratos ejiceret et tanquam infructuosas ficulneas terram inutiliter occupantes radicitus extirparet, sicque ab impetu prædonum libera, quiete temporum concessa divinis laudibus et obsequiis vacare posset Ecclesia. Ut autem eorum persuasio robur firmitatis obtineat, ad confirmandam intentionem patrum revolventes [1] exempla, nihilominus patriæ ritum a patribus institutum, a posteris approbatum, proponunt [2] in medium. Verum quid in tanto discrimine sit agendum in primis ambigens, ne aliquid præpropere aut præcipitanter ageret, Dominum [3] in hoc sicut et in aliis negotiis prius consulere et ejus voluntatem voluit experiri et ob hoc aliquanti temporis inducias impetravit. Nec enim militaribus armis accingere [4] nec terras inimicorum devastare vel prædari hostili impugnatione consueverat, ab iis intus [5] integer et immunis quibus illud [6] hominum genus [7] implicari solet. Itaque considerans [8] quod, cum ipse sit sacerdos evangelicus, non legalis, ab effusione sanguinis, a domorum incendio non solum oculos avertere verum hostiles incursus, qui sine altero istorum vix aut nunquam fieri possunt [9], plerumque ambobus concurrentibus fiunt [10], totis viribus debuit impedire: sed nec ritum patriæ infringendum nec patrum statuta infirmanda decernit, nec se patribus suis meliorem existimat. Tandem, docente eo cujus unctio docebat eum de omnibus, ex divinis Scripturis intelligens quod omnia possibilia sunt credenti, de Dei omnipotentia et virtute confisus, omnia supradicta se completurum promisit. Non fraudantur a promisso, si hostium impugnationem, quam materiali gladio exercendam intelligunt, in spiritualem pugnam convertit. Porro quorum corda noverat indurata, quorum furor secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium nec venefici incantantis sapienter, seorsum vocans [11] duritiam cordis eorum increpat [12], tantoque acriori invectione percutit, quanto majori insensibilitate duruerunt. Dormientes

[1] *ita* 2; revolvens 1. — [2] *ita* 2; proponit 1. — [3] Deum 1. — [4] accingi 1. — [5] *om.* 2. — [6] *om.* 2. — [7] (h. g.) genus humanum 2. — [8] *ita* 2; consideratis 1. — [9] (f. p.) possunt fieri 2. — [10] *ita* 2; furit 1. — [11] vocat 2. — [12] increpans 2.

in sepulcris quatriduanos excitat, et [1] evaginato gladio verbi Dei persequens inimicos prostravit [2], manus suas lavans in sanguine peccatoris. Ad muros Babylonis comminationum [3] gehennæ machinam erigens, sacrarum promissionum Domini, quæ omne desiderium superant, ariete perfodit, iter faciens ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Insuperabile genus armorum assumens, assiduis et consuetis [4] jejuniis, orationibus et vigiliis castra diaboli et munitiones evertit ; vasa fortis diripit [5], in virtute Dei fortior [6], superveniens. De propria possessione tenebrarum ejicit possessorem, ut qui aliquando fuerunt tenebræ, fiant lux in Domino; qui [7] aliquando non populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti; de faucibus lupi oves errantes et quasi jam perditas [8] bonus pastor, non in fugam conversus, excutere non formidat.

25. Non sine stupore et admiratione multorum per ejus doctrinam et exemplum derelinquit impius viam suam et vir iniquus cogitationes suas; resipiscit impius ab impietate sua : repentus [9] factus alter ex altero. Ignitum eloquium ejus vehementer accendit illos et inflammat quorum caritas refrigescit, subitoque [10] de lupis agnos, de persecutoribus amicos, de peregrinis familiares reddit et domesticos, ut [11] in ipsis perfecte impleatur [12] quod scriptum est : *Hæc* [13] *mutatio dexteræ Excelsi.* Nam qui potens est elicere [14] mel de petra oleumque de saxo durissimo, qui respicit terram et facit eam tremere, qui tangit montes et fumigant, quique dixit : *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet et* [15] *majora horum faciet*, ipse in servo suo promissiones suas implere dignatus est. Nec eidem in justis petitionibus suis defuit, qui nec famulo suo [16] defuit Moysi, cum percussit petram in deserto et effluxerunt [17] aquæ largissimæ. Nec mora, cujus vultus absconditus erat quasi [18] et despectus

[1] *om.* 2. — [2] prosternit 2. — [3] comminationis 2. — [4] cotidianis 2. — [5] *ita* 2; disrupit 1. — [6] *add.* ipse 2. — [7] (qui-Dei) *om.* 2. — [8] (et-perditas) tanquam 2. — [9] repente 2. — [10] que *om.* 2. — [11] *add.* et 2. — [12] *ita* 2; implicatur 1. — [13] *add.* est 2. — [14] educere 2. — [15] (et-faciet) *om.* 2. — [16] famulo suo *om.* 2. — [17] fluxerunt 2. — [18] (a. e. q.) erat quasi absconditus 2.

aliquibus, repentina mutatione non sine divino nutu facta, in tanta veneratione habebatur ab omnibus, ut ipsum non tantum archiepiscopum sed sanctum archiepiscopum nominarent. Parent subditi pastoris imperio; ad votum velociter jussa complentur. Parere nolentes tanquam ethnici et publicani habentur ab aliis. Felices credunt quibus imperare dignatur, quibus obviam procedentibus benedictionis munus impertitur, quique [1] saltem fimbriam vestimenti ejus tangere possunt. Conversationis merito cunctorum gratiam sibi [2] conciliat, quia nimirum, quibusdam signis decenter erumpentibus, cum [3] apud se esse humilem subjecti deprehendunt, et in auctoritate ejus quod formidare debeant vident et [4] humilitate quod imitentur agnoscunt.

26. Sane non est prætermittendum quod circa præsulatus ipsius primordia multas persecutiones passus [5], multa toleravit adversa, quibus palmes vitis Dominicæ concuti potuit, non avelli. Nam quod fornax auro, quod flagellum grano, quod lima ferro, hoc fecisse creditur tribulatio justo. Iram namque et indignationem illustris regis Francorum, qui, cum esset christianissimus, in eo tamen [6] facto fallente diabolo ignoranter peccavit, ob quasdam causas in præjudicium ecclesiastici juris cedentes, rationi et veritati obvias, diu et patienter sustinuit. Quæ suggillantium facibus accensa et exagitata [7] in dies acrius cœpit incandescere. Hinc etiam sumpta occasione frivola, multi optimates regni, qui sereno tempore ei videbantur amici, facti sunt inimici. Insuper et satrapæ regis, plus hominis quam Dei gratiam affectantes, quorum molliti sunt sermones super oleum, et [8] ipsi sunt jacula : primum blandis [9] persuasionibus instant, ut regiæ obtemperans voluntati tam potentem et ingenuum principem juste, sicut falso asserebant, offensum placare non differat. Quod si forte petitionibus eorum nolit acquiescere, bona ipsius in proximo confiscare et ipsum tanquam reum læsæ majestatis a regni limitibus expellere comminantur.

[1] quibus 2. — [2] (g. s.) sibi gratiam 2. — [3] eum 2. — [4] *add.* in 2. — [5] (p. p.) passus persecutiones sit 2. — [6] *ita* 2; cum 1. — [7] agitata 2. — [8] (et-jacula) *om.* 2. — [9] *add.* sermonibus et 2.

Sed stat immobilis columna Ecclesiæ : sciens quod magis oportet obedire Deo quam homini, nec terrore concutitur nec blandimento seducitur. Rursum ille qui separat hominem a Deo, filium a patre, amicum a proximo, inexorabiles discordias inter ipsum et clericos matris Ecclesie seminavit. Adeo ut quidam eorum minus cauti gravibus contumeliis eum afficerent et probrosis insultationibus impeterent. In quibus impletum est illud Jeremiæ : *Facti sunt hostes ejus in capite.* Quorum furori tanquam vir patiens nec reddens maledictionem pro maledicto, magis elegit cedere quam lite [1] litem ulterius provocare.

27. Sed Dominus sedatis utrarumque persecutionum fluctibus, sopitis hinc et inde quæstionibus et discordiis, mediantibus bonis viris, inter regem et sacerdotem, inter patrem et filios pacem et veram concordiam reformavit. Utraque vero discordia, Domino procurante qui de malis elicit bona, sibi cessit ad gloriam et honorem, dum qui quasi ignotus erat, qui quantus esset in oculis Domini prius ignorabatur, agnita in eo veritate et robustæ mentis constantia per operum merita declaratur. Audito namque sanctitatis ejus præconio, quod ad principis aures pervenit, suffragantibus ipsius meritis illius gratiam obtinere meruit et favorem. Conversi sunt in amorem patris filii pœnitentes; ampliori affectione diligitur, et impensa sibi majori reverentia ab eisdem solito amplius honoratur. Versa vice, exemplo beati protomartyris Stephani incitatus, cui sincero pectore [2] serviebat, qui sibi rebelles antea fuerant, amplius veneratur et [3] diligit, ceterisque qui nunquam eum offenderant, impensi honoris exhibitione præferre dignatur [4]. Nullam deinceps in ecclesia rebellionem invenit; omnia pro voluntate sua nullo resistente statuit et disponit. Quod scimus loquimur et [5] quod vidimus testamur, et testimonium nostrum verum est. Tanta namque virtus divinitatis erat in eo, utpote quem plenum Spiritu sancto pluribus et certis comperimus indiciis, ut volenti sibi aliquid facere vel statuere si quis eo absente

[1] *om.* 2. — [2] corde 2. — [3] ac 2. — [4] (p. f.) dignatur præferre 2. — [5] *om.* 2.

resistere antea cogitasset, in ejus præsentia positus non valeret. Immo, quod magis stupendum est et admiratione dignum, votis omnium non tam mirabiliter quam miraculose in unum concurrentibus, jus conferendi præbendas, quod usque ad hæc tempora secundum antiquam [1] illius ecclesiæ consuetudinem inviolabiliter observatam, universitati eorum competebat, in ipsum et gratia ipsius in successores suos canonice substituendos plures et unanimiter transtulissent, si vir beatus, damnum Ecclesiæ in posterum prævidens imminere, consentire voluisset. Sed futura mala præcavens quæ forsitan [2] prævidit in Spiritu, et se jam dissolvi præsentiens, licet multoties rogatus ab eis quatinus donationem istam sponte et liberaliter sibi oblatam admittere dignaretur, assensum præstare noluit; sed liberalitatem eorum plurimum commendans, quod eos devotos invenerat et benignos uberius exultabat.

28. Verum, quoniam pugnandi necessitas militem strenuum facit et expeditum, quies et [3] otium [4] desidem et ignavum: ipsa etiam arma quæ præliandi studio refulgent, propter vacationem continuam hebetante [5] rubigine consumuntur: pretiosa ornamenta, nisi de loco ad locum sæpius transferantur, veterascunt et atteruntur a tinea, et vitium capiunt ni moveantur aquæ: ne sub ignavæ quietis otio mens torperet, ne in pace amaritudo ejus esset amarissima, semper Jebusæum [6] habuit a latere ipsum et [7] ecclesiam suam [8] jugiter infestantem. Qui dolose semper agens, utpote cujus verba iniquitas et dolus, noluit intelligere ut bene ageret: adversus christum Domini levavit calcanenm suum, quemadmodum et antecessores ipsius pertinaci et inveterato odio fuerat persecutus. Et quoniam prodiit iniquitas ejus ex adipe, transiit in affectum cordis. ut, quia pastorem animarum nostrarum mansuetum, simplicem viderat et modestum, jura [9] ecclesiæ confidentius mutilare attentet et in [10] ipsum toto malignitatis spiritu debacchatur. Sed hæc secum non recte

[1] *om.* 2. — [2] forsan 2. — [3] *om.* 2. — [4] otiosum et 2. — [5] ebetatæ 1. — [6] *ita corr.; antea scriptum erat* Cananeum, *sicut et nunc adhuc in* 2. — [7] *ita* 2; ad 1. — [8] ejus 2. — [9] *ita* 2; vera 1. — [10] *add. ex* 2; *om.* 1.

cogitans, excæcavit enim eum malitia sua, non considerat nec attendit quod frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Stabat namque ex adverso vir Israelita in quo dolus non est, dolos dolosi [1] considerans : qui simplicitatem columbinam [2] conservat interius, ut prudentiam serpentis non deserat; ceterisque virtutibus quibus decenter emicuit [3], ut alteram contemperet [4] ex altera, utramque copulat et adjungit. Itaque Abel esse non renuens, quem Cain exercebat malitia, ecclesiam cujus gubernacula Deo auctore suscepit [5], non patitur opprimi ; sed opponens se murum pro domo Israel, quantum exigebat justitia tamdiu humiliter restitit persequenti, quousque migrans a seculo diem clausit extremum.

29. Adhuc gravior intonat persecutionum procella, pugna major succrescit; immo pugnandi necessitas se ingerit, ut vincendi gloria et victoris præmia latius augeantur. Contigit namque eo tempore quod Ecclesia Dei, cujus supra dorsum fabricare non desinunt peccatores, in regione Aquitania in extremis regni finibus hæreticorum flagitiis et persecutionibus vehementer attrita langueret, Petri navicula periculis tentationum exposita pene mergeretur in fluctibus et periret. Obsederat muros Hierusalem princeps Babylonis cum exercitu magno, ut captivos traheret filios Israel in terram suam, de terra promissionis in manu forti potenter ejiciens. Egressi sunt de finibus Syriæ latrunculi; ponentes insidias ut Eliseum prophetam comprehenderent, captum [6] traderent in manus inimici, regis Syriæ, ne de cetero surgat propheta in Israel. Insurgebat adversus unicam et inclitam matrem nostram, eductam de latere Christi Ecclesiam, synagoga sathanæ, variis erroribus dedita, per diversas hæresum sectas dispersa, cujus regnum in seipsum divisum, juxta vocem Veritatis, stare non poterat. Ejecta cum filio ancilla liberam et filium ejus persequens, a paterna hereditate quam nec [7] sibi vindicare, nec ejus [8] particeps fieri potest, conaba-

[1] *ita* 2; dolensis 1. — [2] (s. c.) columbinam simplicitatem 2. — [3] enituit 2. — [4] contempneret 2. — [5] susceperat 2. — [6] captivum 2. — [7] *om.* 2. — [8] *ita* 2; esse 1.

tur ejicere. Catholicæ fidei unitatem solvere, et christianum nomen prorsus extinguere paulatim subrepens hæreticæ pravitatis machinabatur perfidia: quæ in tantum pullulando excrevit, ut satellites satanæ præcursores antichristi tanquam locustæ operirent faciem terræ, jam non occultantes errorem suum, sed peccata sua sicut Sodoma prædicantes.

30. Qui dum sacræ legis verba non recte intelligerent, saluberrimum vini potum in fellis amaritudinem, et in [1] veneni sibi poculum convertebant: de ipso etiam sacræ Scripturæ lumine interius excæcati, quæ in nocte vitæ præsentis quasi quædam lucerna nobis est posita; ut quæ fidelibus est odor vitæ in vitam, non credentibus fieret odor mortis in mortem. Cuncta sibi licere publice [2] protestantes, ut licentius peccent et ad quælibet illicita perpetranda prorumpant, impunitatem peccati sequacibus suis promittebant: cæci duces cæcorum effecti, quos secum pariter erroris in abyssum involventes trahebant. Promissa siquidem peccandi impunitas efficacissima erat causa cur mundanis voluptatibus deditos sibi pene allicerent universos. Adeo namque tenuit eos superbia quod, se sapientes præ ceteris arbitrantes, sequi alios ad melius intellecta despicerent; atque, ut apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen vendicent [3], studebant summopere et ab aliis recte intellecta destruere et intellectum pravum et erroneum falsis ac perversis assertionibus roborare. Jam divinus cultus ibidem pro maxima parte perierat, jam quasi ad nihilum redactus, dum velut stabula jumentorum vilescebant ecclesiæ, quarum quasi neglecti et ruinosi ex vetustate parietes non reficiebantur ab aliquo. Immundis animalibus patebat introitus, quæ locum baptisterii et altaria tua, *Domine, polluebant*. Sordida quælibet et immunda ante januas ecclesiarum in conspectu introeuntium in contumeliam Salvatoris deferri faciebant et projici. Contaminaverunt sanctuarium Dei, profanaverunt testamentum ejus, nomen Altissimi blasphemantes.

[1] *om.* 2. — [2] *om.* 2. — [3] vendicarent 2.

31. Porro ad convincendam ma
eorum insaniam, ad destruendam in
profanas hæreses radicitus extirpand
papa Innocentio viri religiosi Cister
ctitatis eximiæ, morum honestate
mandata non mediocriter edocti [4],
auditores tantum, ne fallerent semeti
sent cum magna humilitate seminar
sterilem et infecundam et prorsus in
nec apta aratro nec vomeri congrua
tempore expectet agricola jacto semini
quia *superbia eorum qui te oderunt,*
per, servos tuos habuerunt in derisum
nem eorum æstimantes insaniam, ver
debuerant, judicantes se indignos, a
repulerunt. Cum ergo viderent viri s
proficere, corpore et animo recesser
et probrosis insultationibus lacessiti.
pedibus suis in facies eorum, ibant
dentes a conspectu concilii quoniam
Christi [10] contumeliam pati.

32. Verum, ne modicum fermenti t
pat, visum est summo et universali p
siasticæ paci provisum, quatinus fune
pessimos fructus facientes, ne ramos
gando amplius lascivirent, terram no
perniciose occupantes, securi ad radice
insererentur demum olivæ fructiferæ,
liquorem [12] uberius ministrarent. Mo
Sedis epistola ad omnes provincias e
eradicandam [13] hæreticorum perfidi
adversus infideles pro fide pugnatur
rum nomina de libro vitæ jam [14]

[1] et *add.* 2. — [2] sanctissimo 2. — [3] Sisterciensis 1. —
suum 2. — [7] semine 2. — [8] (t. o. D.) t. D. o. 2. — [9] (v
— [11] succiderentur 2. — [12] *ita* 2; livorem 1. — [13] *om.*
vitæ 2.

eorum memoria [1] perpetuo deleretur [2] in terris. Dignum namque erat ut,.qui a capite suo Christo contumaciter recesserant, nec post multas commonitiones ab errore poterant revocari, non parceretur eis amplius, sed tanquam rei læsæ summæ majestatis capitibus plecterentur, quique heredes Dei, coheredes autem Christi esse [3] contempserant, ipsum [4] Dominum exheredare temere fuerant attentati, justo Dei judicio exules fierent et extorres, ut [5] exterminarentur a finibus suis, materiali quidem gladio spirituali invicem succurrente.

33. Igitur ad capiendas vulpeculas quæ demoliebantur vineam Domini Sabaoth [6] commoti sunt universi, dives et pauper, nobilis et ignobilis, et infirmi accincti sunt robore, parati ulcisci contumelias Creatoris. Quorum primus inter principes sacerdotum, beatissimus primas noster Willermus, quem defectio tenuit pro peccatoribus derelinquentibus legem Domini, inspectis sanctissimi patris apicibus nec sine amaritudine cordis fletuque largissimo lectis in publico, zelo Phinees inflammatus exarsit. Quique [7] crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portavit, pro defensione fidei contra inimicos crucis [8] crucem bajulans, in anteriori parte [9] vestimentis consuit exterius cujus jugis memoria non recessit interius. Imbecillis quidem corpore sed mente robustus, nec tam fractus senio quam jejunio, assiduisque confectus vigiliis, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans [10], si ecclesiasticæ unitati rebelles exterminans, pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Erubescit, tanquam præveniente sua culpa contigerit quod qui diu iniquitate suppressa latuerant, nunc eamdem palam sine metu et verecundia protestantur, per pastorum suorum fortassis incuriam [11] palmites suos latius protendentes. Convocatisque subditis, facto silentio, enumerans innumera quæ humano generi salutis actor [12] dignatus est impendere beneficia æternæ beatitudinis, invitat ad

[1] nomina 2. — [2] delerentur 2. — [3] *om.* 2. — [4] *add.* etiam 2. — [5] et 2. — [6] Sabaoh 1. — [7] Qui 2. — [8] *add.* Christi 2. — [9] *add.* vestimenti 2. — [10] *om.* 2. — [11] (f. i.) incuriam fortassis 2. — [12] auctor 2.

præmia, crucis mysterium pandens ostendit, ne gloriari debeant nisi in cruce Domini nostri [1], per quem mundus crucifixus sit ipsis et ipsi mundo. Et, ne beneficiorum Dei sint immemores, aut ingrati propter eum qui pro salute eorum crucis patibulo affigi voluit, abnegare se ipsos et tollere crucem [2] contra crucis derisores studiosius exhortatur, quatinus causam Dei apud populum infidelem gladiis allegare festinent. Ipsa etiam Veritatis verba commode proponebat in medium : *Si quis vult venire post me* [3], *abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me*. His atque aliis sedulis exhortationibus quas replicari [4] necesse non est, ad conterendas inimicorum [5] cervices incitatæ, vitæ quoque ipsius consideratione et operum exemplis in Christo fortius roboratæ [6] oves pastorem animarum, assumpto Dominicæ crucis vexillo, se quocumque ierit secuturas promittunt.

34. Illæ quidem [7] promissum alacri animo devotius impleverunt; pastor vero, temporalis mortis obstaculo præpeditus, votum vivens [8] non potuit adimplere. Verumtamen quod vivus non implevit, defunctus, ut creditur, implere curavit. Spiritu prælia Domini præliantibus [9] interfuit, qui morte præventus corporalem nequivit præsentiam [10] exhibere. Præliantes juvit, gladios in hostes vibravit, ferientium manus, ne ictus eliderentur, direxit [11]. Nec enim credendum quod abbatem Cisterciensem, quondam magistrum suum et dominum, ducem ac præceptorem super omnes fidelium bellicosas acies constitutum, in tam artis [12] rebus desereret, sub cujus imperio, dum in mundo vixit sed non mundo, in monachali schemate Christo diutius militavit. Facto namque impetu in hostes, subito apparuerunt multis, et eis maxime quibus Dominus voluit revelare, militiæ cœlestis exercitus, præcedente signo crucis [13], quo et ipsi erant signati, vestibus candidis coruscantes. Quorum in [14] numero beatum antistitem nemo fidelis ambigat [15] affuisse, ut cujus laudabile proposi-

[1] *add.* Jesu Christi 2. — [2] *add.* suam 2. — [3] (v. p. m.) post me venire 2. — [4] replicare 2. — [5] impiorum 2. — [6] roborarae 1. — [7] (I. q.) Illi siquidem 2. — [8] virus 2. — [9] (D. p.) præliantibus Domini 2. — [10] *om.* 2. — [11] duxit 2. — [12] arduis 2. — [13] (s. c.) crucis signo 2. — [14] *om.* 2. — [15] (n. f. a.) nullus ambigat fidelis 2.

tum et intentio prosequi infideles jugiter erat in terris, voto in morte expleto adversus eos dimicet, majori et inexpugnabili exercitu congregato de cœlis. Irruit formido super hostes, terror apprehendit universos, prostrata est multitudo eorum. Foris vastabat eos gladius et intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Terga vertebant fugientes: nam virtus cœli contra eos pugnabat. Nec ætati parcitur nec sexui, ut qui sine lege peccaverant, legem Domini profanantes, sine lege perirent. Qui in labore hominum non fuerunt, non cum hominibus nec ab homine flagellati sunt. Quoniam [1] via illorum tenebræ et lubricum, Angelus Domini persequens eos coartabat. Damnati sunt eorum justi in matutino.

35. Nam capta est in momento illa populosa civitas Bitterris [2], immo civitas Babylonis, sedes idolatriæ effecta et habitatio dæmonum, quæ non jam de pravis sceleribus cogitabat, sed ad ulteriora se extendens facinora, in tantum prorupit excessum quod magnam videbatur sibi suscepisse [3] religionem, quia nullam respuit falsitatem. Conturbati sunt principes Edon, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaam [4]. Inter ubera matrum necantur parvuli, quibus parcere [5] impietas, pietas erat trucidare. Fundunt [6] lac antequam sanguinem; dant autem mortem sentire quam vitam; tenebras ingerunt intrantibus lucem. Nec monasteria nec ecclesiæ [7] tuentur [8] eos qui ecclesiasticam [9] impugnaverant [10] unitatem, quoniam voluit Dominus perdere memoriam eorum de terra, qui dereliquerunt [11] Deum factorem suum et obliti sunt Domini creatoris sui. Itaque profecti [12] in aliam civitatem, quæ Carcasona [13] vocatur, fugatis omnibus infidelibus et expulsis, tandem comprehenderunt principem et dominum totius terræ, spectabilem quidem genere sed fide moribusque degenerem, qui non solum iniquitatibus eorum consenserat sed foverat in errore. Captum

[1] (Quoniam) Et q. 2. — [2] Biterrensis 2. — [3] (v. s. s.) sibi videbatur assumpsisse 2. — [4] Canaan 2. — [5] *add.* erat 2. — [6] (Fundunt-lucem) *om.* 2. — [7] (m. n. e.) ecclesiæ nec monasteria 2. — [8] tuebantur 2. — [9] ecclesiæ 2. — [10] impugnaverunt 2. — [11] reliquerunt 2. — [12] *add.* sunt 2. — [13] Carcassona 2.

et vinculis alligatum intra septa murorum tamdiu tenuerunt inclusum quousque miserabilem vitam finiens [1] expiravit. Contritis inimicorum cervicibus, aliis in fugam conversis, aliis in speluncis et in cavernis terræ præ timore latentibus, emundantur altaria, construuntur templa, reædificantur ecclesiæ dirutæ. Constituuntur in eis sacerdotes et levitæ aliique clerici divina celebrantes officia; reparatur divinus cultus [2], quo diutius fuerant desolatæ. Hæc autem omnia in virtute Dei et in magnitudine brachii ejus facta esse nemo hæsitet [3]; nam qui aliter credit fidem negavit, et est [4] infideli deterior.

36. Beatus igitur Willermus audito venerabilium patrum, Turonensis videlicet et Parisiensis pontificum, inopinato ex hoc mundo recessu, contristatus est valde et planxit eos planctu magno. Et re vera de tantorum virorum obitu inconsolabiliter doleret, nisi vim doloris ratio mitigaret. Quorum alter alterum moriendo præcessit, altero infra [5] trimense [6] spatium comitem subsequente. Erant autem [7] isti duæ olivæ fructiferæ in domo Domini, et duo candelabra superni luminis luce [8] radiantia [9], quæ verus Oriens ad occiduas partes mundi [10] miserat illustrandas. Expectabant et ipsi tertium collegam suum sanctorum numero colligendum, non sibi imparem sanctitate, sed excellentiorem vitæ meritis apud Deum, in brevi recessurum a seculo, ut, quemadmodum se mutuo in vita dilexerant, ita et in morte non sint separati. Nam quos olim locorum sejunxit [11] distantia, non fictæ caritatis jungebat dilectio. Erant sibi ad invicem quasi quodam vinculo familiaritatis astricti, super his quæ ad regimen animarum et ad salutem populi spectant, cum se aliquando cujusdam spiritualis gratia [12] recreationis viserent, secum secretius conferentes. Insuper et ardua ecclesiarum [13] negotia mutuis collocutionibus pertractabant. Cum his duobus eximiis patribus sanctissimus [14] patriarcha noster consilium

[1] *om.* 2. — [2] (d. c.) cultus divinus 2. — [3] *ita* 2; exitet 1. — [4] *add. ex* 2; *om.* 1. — [5] intra 2. — [6] *ita* 2; trimenstre 1. — [7] *om.* 2. — [8] *om.* 2. — [9] lucentia 2. — [10] *om.* 2. — [11] sejunxerat 2. — [12] (s. g.) gratia spiritualis 2. — [13] *add.* suarum 2. — [14] eximius 2.

inire consueverat, universa secreta sua eisdem communicans [1], et [2] ea quæ gesserat iis quæ gerenda erant prius habita deliberatione conferre [3]. Versa vice et illi, secretorum ejus conscii [4], arcana conscientiæ suæ eidem committere non verentes, super his quæ apud ipsos acta erant vel agenda consulebant, utpote cujus consilium expetibile ut Chusi [5], jocunda societas ut Jonathæ, omnes vero zelatores justitiæ effecti ut Phinees. Sed quoniam constituisti [6], Domine, [7] terminos hominum qui præteriri non possint [8], expletis diebus suis de medio iniquitatis rapuisti eos, ne malitia immutaret [9] corda eorum aut [10] perverteret. Tertiam vero olivam fructificantem, ut luminare majus præesset diei, noctis fugaret caliginem, tenebras expelleret peccatorum, in medio pravæ nationis [11] parvo tempore reliquisti, donec consummarentur dies ejus qui in brevi erant consummandi. Supervixit namque illi qui ultimus recessit sex mensium spatio vix expleto.

37. Cupiens ergo dissolvi et esse cum Christo, licet notum sibi fecerit Dominus finem suum et numerum dierum suorum Domino revelante didicerit, quia tamen cupienti animo nihil satis festinatur, extremæ diei adventum ardenti desiderio concupiscit, seque mole carnis exui postulans cum apostolo [12] clamat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ita tamen vivit in carne ut non ea quæ carnis sunt curet: carni spiritus [13] in eo dominatur et [14] imperat, adeo factus liber et expeditus tanquam [15] carnis sarcinam [16] abjecisset. Et jam pene abjecerat. Jam enim consumptis carnibus pellis ossibus inhærebat, jam artus ejus admodum tenues erant et exiles; ipsos tamen [17] tam enervatos et debiles spiritui servire compellit. Itaque succinctus ad cursum, in præsenti vitæ stadio sic currit, non quasi in incertum; sic pugnat, non quasi aerem verberans; sed [18] qui in agone contendit ab

[1] (sec.-comm.) secreta communicans eisdem 2. — [2] ut 2. — [3] conferret 2. — [4] *add. ex* 2; *om.* 1. — [5] Cusi 2. — [6] *ita* 2; constituti 1. — [7] *add.* omnes 2. — [8] *ita* 1; poterunt 2. — [9] (immutaret) mutaret intellectum et 2. — [10] *om.* 2. — [11] (p. n.) n. p. 2. — [12] (cum apostolo) *om.* 2. — [13] (carni spiritus) carnis spirito 1. — [14] *ita* 2; ut 1. — [15] quasi 2. — [16] (c. s.) sarcinam carnis 2. — [17] *om.* 2. — [18] *add.* sicut 2.

omnibus se abstinet, ne quid retardare currentem aut luctantem [1] valeat impedire, ut, cursu tandem consummato, æterni bravii particeps fieri mereatur, quod et multi cari ejus et domestici, qui jam eum præcesserant, accipere meruerunt. Quorum sacro numero gliscit adjungi : ut eorum perpetuo et felici consortio gratuletur in cœlis, quorum jocunda societate lætabatur in terris. Inter hæc autem de salute populi cogitans, ad dilectum sibi gregem misericordia motus oculos cordis flectit, cujus desolationem dum [2] in recessu pastoris agnoscit, deserere pertimescit [3], ne, si forte lupus absque pastoris regimine vagas et errantes invenerit, rapiat oves et dispergat. In quamdam perplexitatem animi ductus, dubitat pene quid malit, quia nec gregem desolatum relinquere nec a cœlestis aulæ militibus diutius sejungi nec supernorum civium voluit ulterius carere consortio. Verumtamen velle suum prorsus abjiciens, in neutram partem pronior [4] inclinatur, sed divinam in omnibus præferens voluntatem superni regis se semper committit arbitrio.

38. Peracto igitur natali die Salvatoris [5], Circumcisione quoque ipsius a sancto præsule et fideli [6] populo solemniter celebrata, sequenti die [7] quæ est [8] ante diem festum Epiphaniæ, se dissolvi præsentiens et sciens quia venit hora ejus [9] ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Tunc vero multitudine populi congregata in ecclesia beati [10] protomartyris Stephani, ut bibulis [11] auribus verba ejus perciperent et capaces fierent sermonum ipsius, cœpit seminare verbum Dei sicut et sæpius consueverat [12]. Jam febrili calore correptus acutissime torquebatur, nec tamen infatigato spiritu a divina laude cessabat. Jam dissolutioni proximus jamque ex vi morbi viribus corporis destitutus, solo spiritu roborabatur; nam interioris hominis vires ipsa firmat infirmitas. Porro solidissimum intentionis suæ jaciens fundamentum, ab illo apostolico sermone sermonem inchoat [13] : *Scientes*

[1] latantem 1. — [2] *om.* 2. — [3] (deserere pertimescit) *om.* 2. — [4] *ita* 2; prompnior 1. — [5] (nat.-Salv.) Salv. natali die 2. — [6] *ita* 2; fidei 1. — [7] *ita* 2; diem 1. — [8] *ita* 2; etiam 1. — [9] h. e. (e. h.) 2. — [10] *om.* 2. — [11] bubalis 2. — [12] fecerat 2. — [13] (s. i.) inchoat sermonem 2.

quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc autem [1] *propior est nostra salus quam cum credidimus.* Ecce pastor bonus qui super gregem vigilat, somnolentos increpat, corda torpentium excitat; divina auctoritate sermonis [2] ut evigilent pulsat, ne intrent in tentationem. Qui post paucos dies obdormivit in Domino, dormientes a letali somno peccati resurgere [3], sanctis occupationibus hortatur insistere, ut ille callidus insidiator humani generis, qui insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca [4], ipsos semper inveniat occupatos : horam quippe surgendi a somno certis argumentis venisse demonstrat [5]; et ne præoccupet eos hora mortis, docet semper esse [6] paratos, quia nesciunt qua hora dominus domus veniat, sero an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente inveniat [7] eos dormientes. Docet ergo [8] similes esse hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Prope namque quod nostra sit salus [9] insinuat, salus, inquam [10], justorum, de qua scriptum est : *Salus autem justorum a Domino.* Sed hæc eadem [11] salus est impiorum perditio, quoniam idem Deus [12] et Dominus noster Jesus Christus, juxta quod Symeon justus de eo prophetasse legitur, positus est [13] in ruinam et resurrectionem [14] multorum. Ipse enim est lapis angularis, divisa conjungens, qui duorum parietes populorum compage fidei et caritatis univit, ut accresceret Domino genus electum, gens sancta, populus acquisitionis : iis autem qui credituri non sunt [15] in nomine ejus, fiet lapis offensionis et petra scandali. Docet itaque mitissimus magister noster et verus Christi discipulus summopere cavendum ne, quæ prope est, propter delicta nostra a nobis [16] recedens vita convertatur in mortem, resurrectio in ruinam, in perditionem salus. Docet cavendum ne offendamus ad lapidem angularem, lapidem sine manibus, de

[1] *om.* 2. — [2] (d. a. s.) divini sermonis exhortatione 2. — [3] (p. r.) resurgere peccati 2. — [4] *add.* sua 2. — [5] denuntiat 2. — [6] *add.* debere 2. — [7] *ita* 2; inveniet 1. — [8] *om.* 2. — [9] (s. s.) salus sit 2. — [10] imquam 1. — [11] *om.* 2. — [12] (i. D.) Deus idem 2. — [13] *add. ex* 2; *om.* 1. — [14] (r. et res.) resurrectionem et ruinam 2. — [15] (c. n. s.) sunt non credituri 2. — [16] (a nobis) *om.* 2.

monte præcisum, ne nos conterat aut [1] confringat. Docet orandum, quatinus salus nostra [2] quæ prope est, propior et propitior venire dignetur. Et, si forte peccatis nostris exigentibus a nobis longe recessit, intercedentibus vitæ meritis ad nos rursum accedat, et per orationum pia suffragia revocetur.

39. Postquam vero sermonem complevit, data populo benedictione, ex imbecilli [3] imbecillior, ex infirmo infirmior factus recessit, non post multum temporis recessurus omnino. Quia [4] Boreæ [5] media jam hyeme sævienti et solito asperius inhorrescenti caput discoopertum et nudum cum reliquis membris febrili languore fatiscentibus exposuerat. Locus [6] ipse in quo manserat dum subjectos instrueret, omni vento erat, [7] expositus, ideoque algore [8] nimio sancta membra obriguerant. Nullius tamen, tanquam non indigeret, auxilium invocans, nec sustentatus ab aliquo, domum ingreditur, de eadem domo et de tabernaculo corporis egressurus in brevi, ut in domo patris sui maneat in æternum, in qua conspecturus est lucidas [9] mansiones [10]. Cœpit igitur febris, dissolutionem corporis operans sanctumque pontificem incessanter affligens, de die in diem magis ac magis [11] invalescere. Jam sol ad occasum properat, ut, cursu suo fideliter consummato, ad verum rediens [12] orientem, remota nube qua latuit, nullo præpeditus obstaculo diluculo [13] clarior oriatur.

40. Sexta itaque feria, quæ est quinto Idus Januarii, quarta videlicet die post Epiphaniam Domini, cum jam omnibus ritę peractis disposuisset domui suæ et testamentum suum assistentibus multis [14] viris religiosis et prudentibus condidisset, ne quod [15] quod catholicæ fidei sinceritati consonet [16] desit impendium, fratribus convocatis jam super imminente dissolutione patris una plangentibus, extremæ unctionis sacramentum humiliter ac [17] devote suscepit. Tunc vero sacri olei liquore perunctus, carni et sanguini Domini nostri Jesu

[1] atque 2. — [2] *om.* 2. — [3] imbecille 2. — [4] *add.* nimirum 2. — [5] Borea 2. — [6] *add.* enim 2. — [7] *add. ex* 2; *om.* 1. — [8] argore 1; a caloe 2. — [9] lucidissimas 2. — [10] mansionis 1. — [11] (ac magis) *om.* 2. — [12] diem 2. — [13] *om.* 2. — [14] (a. m.) m. a. 2. — [15] quid *codd.* — [16] (s. c.) c. s. 2. — [17] et 2.

Christi, in quo est vita, salus [1] et resurrectio nostra, sicut ab eodem docente didicimus, communicare desiderans, quatinus tali ac tanto duce prævio, hostium cuneos penetrare et ad Patrem luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, valeat securus accedere, cœlesti pane refici justissime [2] postulabat. Ut autem Dominum et creatorem suum ad se venisse agnoscit [3], illico resumptis viribus, de stratu suo prosiliens, tanquam relictis febribus convaluisset omnino, non [4] sine stupore et admiratione circumastantium [5], cum jam fere in extremis laboraret, nec solidum cibum sumere, vix etiam liquidum posset aliquid deglutire, gressu tamen concito procedit obviam Salvatori : quia nimirum vires quas infirmitas denegat, caritas ministrat. Ipsum ergo Dominum, in cujus nomine, quod est super omne nomen debere flecti docuerat omne genu, cœlestium, terrestrium et infernorum, flexis genibus totus resolutus in lacrimis [6] adorat [7]. Quæ ut sæpius flectat, sæpius prostratus erigitur, ut iterum coram Domino prosternatur erectus. Cui agonem suum tota devotione commendat, humiliter exorans quatinus quæ in ipso restant purganda purgare dignetur, ne quid funestum in eo reperiat inimicus.

41. Sed, quemadmodum nec falsa proponi, sic nec debet veritas occultari. Ille qui in virtute et magnificentia omnipotentis Dei [8] sollicitus [9] erat aperire linguas mutorum, jam nervis linguæ contractis jamque per biduum pro maxima parte [10] privatis [11] officio, tantum extremitates verborum proferens verba media syncopabat. Quæ cum coram positi intelligere vix possemus, illæsa semper manente memoria, nutu signisque evidentibus dabat intelligi. Quod non sine nutu et dispositione illius factum creditur qui Job, famulum suum, rerum affluentia denudatum, ut amplius patientiam ejus [12] probaret ulcere pessimo vulneravit. Ipsius quoque providentia credimus ordinatum, qui Paulum apostolum usque ad tertium cœlum raptum et ea quæ non licet homini loqui pa-

[1] (v. s.) salus, vita 2. — [2] instantissime 2. — [3] cognoscit 2. — [4] *add.* tamen 2. — [5] circumstantium 2. — [6] lacrimas 2. — [7] adoravit 2. — [8] (o. D.) D. o. 2. — [9] solitus 2. — [10] *add. perperam* linguæ 1. — [11] *ita* 2; privatur 1. — [12] (p. e.) e. p. 2.

radisi secreta rimantem, ne magnitudo revelationum extollat, carnis suæ stimulo colaphizari voluit, nec, licet ter rogatus, ab ipso amoveri permisit. Iste similiter electus Dei modo quo dictum est a Domino percussus esse creditur [1], ut vel Dominus patientiam ejus probet [2], vel humilitatem conservet. Sufficit enim sibi gratia Domini, quæ in eo vacua non erat, ad [3] quælibet flagella toleranda, ut virtus in infirmitate perfectius roboretur. Recte et competenter subjungi et alia ratio potest validissima, ut videlicet manifestentur opera Domini [4] in illo. Est namque evidens manifestatio operum Christi, qui mirabiliter operatur omnia in omnibus, ut per eum non loquentibus loquelam restituat qui loqui non potest. Quid igitur hoc mirabili mirabilius ? Sed mirabilia Creatoris quæ creatura mirari non sufficit, devotis laudibus prosequatur. Is igitur qui ad plenum verba formare non poterat, nutu signisque loquitur quæ linguæ supplent officium, adeo ut desideria cordis et affectus animi tanquam verbis manifeste declaret. Prostratus coram Domino, ut dictum est, nonne [5] his paucissimis verbis flens et ejulans [6] uti videtur : *Et* [7] *unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Ego potius ad te venire, ego te, Dominum unicum* [8] *et Deum meum, servus tuus quamvis indignus adire debui. Fecisti, Domine, quod facere me oportuit, si non infirmitas obstitisset. Sed tu, Domine, qui omnia nosti antequam fiant tu scis impotentiam meam, tu scis imbecillitatem corporis et desiderium cordis mei* [9]. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Domine, qui dixisti : Ego sum panis vivus* [10] *qui de cœlo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum : pane isto cœlesti, qui videlicet panis* [11] *cor hominis confirmet* [12], *esurientem me refice, ut in me maneat vita æterna et ego in ipsa permaneam. Invita me ad convivium* [13] *epularum tuarum in regno tuo, ubi non est esuries, ubi epulantur amici tui ad æternas epulas invitati. Domine, prævenisti me in benedictionibus dulcedinis misericordiæ tuæ, ideoque gratias tibi ago, quoniam* [14] *tempus resolutionis meæ instat meque in extre-*

[1] (p. e. c.) c. e. p. 2. — [2] (D. pat. c. prob.) pat. e. pr. D. 2. — [3] *ita* 2; sed 1. — [4] Dei 2. [5] *om.* 2. — [6] ejulens 1. — [7] *om.* 2. — [8] *om.* 2. — [9] *om.* 2. — [10] *om.* 2. — [11] *om.* 2. — [12] confirmat 2. — [13] *add.* æternum 2. — [14] quia 2.

mis laborantem dignatus es visitare. Trahe me ad portum salutis æternæ, ubi vera tranquillitas, [1] *qui in hujus mundi pelago, fluctibus ejus concussus, diutius navigavi* [2]. *Ne in æternam prædam pirata crudelis abducat. Veni, Domine, et noli tardare: suscipe me, fæmulum tuum, in numero electoruu tuorum ascribens; et animam meam quam redemisti in sinu Abrahæ* [3], *dilecti tui, collocare digneris. Et nunc tibi, Domine, quos tradidisti mihi, quos ministro tuo, licet indigno, committere dignatus es, commendo filios tuos, quos* [4] *virgo vestra* [5] *mater Ecclesia, nova semper prole fecunda, sacro fonte baptismatis generavit.* Hæc et his similia verba ipsius, quæ, quamvis a circumstantibus semiplene fuerint intellecta, ille verus scrutator cordium qui cogitationes hominum antequam ad cor ascendant agnoscit, non surdus auditor percepit, et secundum promissum suum justas ejus petitiones implevit. Tunc vero oratione Dominica et apostolorum symbolo prælibatis [6], primi parentis qui junctis manibus ad pomi vetiti gustum accessit vetustate deposita, novum hominem induens, ad exemplum et imitationem ipsius cujus vestigia sequebatur, expansis in crucem [7] manibus, oculis sublevatis in cœlum [8], carnem et sanguinem [9] Salvatoris non sine fletu [10] largissimo [11], corde contrito et humili degustavit. Quo facto, lætior effectus confortatur in Domino, quoniam [12] fortissimum adjutorem habet in prælio, ducem [13] itineris, præmii largitorem.

42. Continuo ad stratum rediens, ope circumstantium adjutus, cum jam fatigatus ex itinere paululum respirasset, cœpit fratribus innuere corpus suum exanime apud Karolilocum, unde assumptus fuerat velle deferri, cum de ipso humanitus contigisset. Et quoniam loci illius regimini diu præfuit et in ipso forsitan arduum sanctitatis iter aggressus fuerat, ipsum sepulturæ suæ præelegit, utpote quem ceteris amplius diligebat. Aderant ibidem fratres ejusdem loci, beati præsulis exitum expectantes. Quorum fortassis ad instantiam, ut eorum voluntati satisfaceret in hac parte, penes ipsos

[1] *add.* ei 2. — [2] navigavit 2. — [3] Habrae 1. — [4] *add.* tibi 2. — [5] *om.* 2. — [6] prælia-batis 1. — [7] *codd.* cruce. — [8] (s. i. c.) i. c. s. 2. — [9] (et sanguinem) *om.* 2. — [10] lacrimis 2. — [11] *om.* 2. — [12] quem 2. — [13] *add. ex* 2; *deest in* 1.

postulabat sepeliri. Primum quidem reluctantes ne petitio ejus impleatur omnes qui aderant pariter [1] contradixere dicentes : *Absit a nobis, sancte pater* [2], *ut corpus tuum ad loca remota deferri et ab hac* [3] *ecclesia nostra subtrahi patiamur. Corporis tui præsentia carere nolumus, quod in* [4] *nobis boni pastoris memoriam jugiter refricabit. Volumus namque et obnixe petimus ut plebem tuam quam a malis imminentibus hactenus protexisti vivus, protegas et defunctus, quosque variis ac fortuitis malorum casibus eripuisti dum viveres apud nos, et sepultus tuis precibus et meritis digneris eripere.* Sed nec his nec aliis verbis flecti poterat quin perseveret [5], pulsans et cum lacrimis innuens, quatinus, quod nulli catholico [6] prohibetur, liceat sibi sepulturam eligere, et ad monasterium memoratum corpus suum deferri absque ulla contradictione permittant. Cedunt qui præsentes aderant lacrimosis precibus ; victi coguntur velle quod nolunt, patrem filii contristari nolentes. Sacrilegium enim esset, ea hora præcipue qua recessurus erat ab eis, extremæ ejus resistere voluntati. Concesserunt itaque, sed inviti, quod post obitum ipsius fratribus illius monasterii corpus suum penes se deferre volentibus se non opponerent, nec supremam ipsius voluntatem aliquatenus impedirent.

43. Facta hujusmodi non spontanea concessione, osculatus est universos osculo pacis, incipiens a majoribus et senioribus ecclesiæ [7], quibus supplicando innuebat ut orent [8] pro ipso, et ut tanquam filii pacis pacem et concordiam [9] diligant et conservent. Omnes vero se sancti patris orationibus commendantes, impetrata hinc inde venia super his in quibus se invicem offenderant, ne multitudo eorum quietem impediat formidantes, postquam benedixit eis, accepta ab eo licentia, non sine fletu compassionis ad propria redierunt. Abeuntibus illis assistebant ei pauci et [10] familiares et domestici, nec non et secretorum ejus conscii, expectantes ut viderent finem. Ille non obstante infirmitate, ut erat orationi semper

[1] *om.* 2. — [2] (s. p.) p. s. 2. — [3] *om.* 2. — [4] *om.* 2. — [5] perseveraret 2. — [6] (n. c.) catholico non 2. — [7] (et s. e.) eccl. et s. 2. — [8] orarent 2. — [9] (et c.) *om.* 2. — [10] *om.* 2.

intentus, totus in opere Dei versabatur. Labia divinis laudibus assueta, quæ sine intermissione aliqua moveri videntur, orationum secreta reticere non possunt. Expectato tempore congruo, horis competentibus observatis, velut in sua consueverat sospitate, divina coram ipso celebrantur [1] officia, et quos pronuntiare non poterat psalmos [2] saltem patulis auribus audire mentique [3] altius imprimere satagebat. Verum omni tempore, omni hora, aut orationi vacat aut raptus in spiritu cœlestia contemplatur. Jam [4] angelorum visionibus confortatus stabat securus de præmio, quorum innumeras legiones sibi occurrere sibique applaudere lætius [5] intuetur.

44. Itaque illo die elapso, subsecuta est nox, quæ diem sanctam sabbati præcedebat. Nox in qua spoliantur Ægyptii, ditantur Hebræi. Nox ista arcet tenebras, fugat caliginem, quæ justum hujus seculi eruit ab ærumnis. Hac autem nocte impletum credimus quod Veritas in Evangelio testatur, dicens : *Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit* [6], *exite obviam ei*. Venit sponsus lumine prævio, vestibus coruscans, cum militiæ cœlestis exercitu [7] suscepturus sponsam in thalamo : et egressa est sponsa obviam ei, et quæ parata erat introivit cum eo ad nuptias. Sed, quia de egressu sponsæ, videlicet animæ sancti pontificis, mentionem fecimus, qualiter egressa sit in occursum sponsi, et qualiter ab ipso [8] suscepta, diligenter audiamus. Nocte igitur succedente, qua juxta solitum cursum naturæ [9] morbus ægrotantium invalescit, cœpit vir sanctus gravius infirmari. Sciens autem quod appropinquabat hora dissolutionis suæ, tanquam pontificalibus velit indui ad sacrarum [10] missarum solemnia celebranda, scrinia sua jussit [11] proferri in medium. Quibus reseratis, universa antistitis ornamenta in conspectu suo singillatim [12] fecit [13] revolvi. His autem quæ, quia erant auro gemmisque contexta, ad augendum divinum cultum et honorem [14] summi sacerdotii ampliandum, ecclesiæ suæ in testamento legave-

[1] celebrabantur 2. — [2] (n. p. p.) ps. n. pot. 2. — [3] mentibus 2. — [4] Jamque 2. — [5] *om.* 2. — [6] (ecce-venit) *om.* 2. — [7] *ita* 2 ; exercitus 1. — [8] *add. ex* 2 ; *om.* 1. — [9] (c. n.) n. c. 2. — [10] sacra 2. — [11] *add. ex* 2 ; *deest in* 1. — [12] sigillatim 1. — [13] *add. ex* 2 ; *deest in* 1. — [14] *add. ex* 2 ; *deest in* 1.

rat, loco suo repositis, quædam minus pretiosa seorsum inventa produci et sibi mox tradi innuendo præcepit. Et hæc quidem gestaverat quando in antistitem fuerat consecratus : quibus eo tempore decenter ornatus munus consecrationis suscepit [1]; et immutabile ejus propositum extitit quatinus eisdem indutus sepeliri deberet. Ideoque usque in diem obitus sui diligenter jusserat custodiri. Ut autem sibi fuere tradita, ut nec unum ex [2] eis deesset studiose considerans et revolvens, cirothecas [3] manibus cœpit aptare. Aptatas postmodum extrahens, cum reliquis episcopalibus vestimentis reponere [4] omnia in unum [5] collecta et in fasciculum redacta [6], uni de familiaribus suis [7] circumstantibus, cujus fidem expertus [8] noverat, ad tempus seorsum servanda commisit.

45. Porro non tradens oblivioni quod scriptum legerat, *In die mandavit Dominus misericordiam suam et nocte canticum ejus*, utriusque verbi factor et non auditor tantum, utrumque implere curavit, ut et singulis diebus opera pietatis exerceat et nocte canticum et laudes ejus [9] annuntiet [10]. Circa mediam noctem ad horas matutinales surgere, psalmos, hymnos et alia quæ a patribus sanctis [11] instituta sunt cum omni devotione et solemnitate qua decuit, consueverat decantare, illud propheticum implens, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Quibus omnibus rite celebratis, invictum ab oratione spiritum non relaxans [12], nunquam [13] dabat membra sopori; nunquam fatigata quiescere permittebat; sed tamdiu erat ad orationem prostratus donec dies clarius illucesceret. Cum igitur, morbo gravius invalescente horam expectare non posset qua, sicut prælibavimus, surgere consueverat ad matutinale officium peragendum, ne non peracto recedat, horam solitam voluit [14] prævenire, ne præveniatur hora mortis. Et signo dato his qui sibi assistebant fratribus, ut laudes Domini inchoarent [15], ipse labiis et pectori

[1] accepit 2. — [2] *add.* ex 2 ; *om.* 1. — [3] *ita* 2 ; cerothecas 1. — [4] (ep. v. r.) vestibus pontificalibus fecit reponi 2. — [5] *add.* itaque 2. — [6] (et-redacta) *om.* 2. — [7] *om.* 2. — [8] *om.* 2. — [9] Domini 2. — [10] agnuntiet 1. — [11] (p. s.) s. p. 2. — [12] *ita* 2 ; relaxens 1. — [13] nonquam 1, *et mox iterum*. — [14] (h. s. v.) voluit horam s. 2. — [15] incoharent 1, *et mox* incohans.

suo signo crucis impresso, solum hæc duo verba *Domine, labia*, balbutiendo [1] pronuntians, reliqua formare non poterat. Quæ cum ab illis semiplene intellecta fuissent, mentem [2] ejus potius intelligentes quam verba, finem suum instare ex ipsius horæ [3] anticipatione verisimilibus conjecturis perpendunt. Quorum quidam religiosus sacerdos, admodum familiaris ipsius, ab eisdem verbis inchoans, cetera quæ sequuntur aliis coadjuvantibus ordine debito ad finem usque perduxit, justo cordetenus audiente.

46. His expletis, *terram* ingeminans ad terram velle deponi voce et manu insinuat, ut quod terrenum est terræ relinquens, spiritum qui de cœlo est regnis cœlestibus inferat. Parent patris imperio circumastantes, et quia non decet christianum nisi in cinere et cilicio mori, sparso cinere super terram, manibus eorum sublatus deponitur, cilicio semper indutus, paucis admodum oculis consciis, quod nunquam deseruit nec unquam sibi detrahi permisit. Ubi cum paululum horæ transegisset, benedicens fratribus, ipsi cujus in manus crebris gemitibus commendabat, spiritum suo tradidit conditori. Et [4] consummatus in confessionis gloria noster Abel [5] in brevi explevit tempora multa. Nihil in eo morte dignum inveniens confusus actor mortis [6] abscessit. Erubescit impius, exturbatus est pacis nostræ turbator : eo ipso torquetur quod torquere non potest. Occurrunt cives supernæ Jerusalem concivi suo; lætantur bonorum spirituum agmina et [7] in occursum ejus procedunt, qui a primis pueritiæ suæ rudimentis ruinam angelicam semper implere curavit. Exultat ille sacer duodenus apostolorum numerus et apostolicum virum veneratur amplexans [8]. Assurgit devotissimo famulo suo, cujus vultus sudorem [9] detersit ille primus athleta Domini et potentissimus princeps [10] martyrum [11] Stephanus, stipatus eorum consortio qui venerunt de magna tribulatione, qui [12] laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Candidati confessorum et virginum chori

[1] balbutiando 1. — [2] *ita* 2; mentes 1. — [3] *add. ex* 2; *om.* 1. — [4] Ecce 2. — [5] *add.* consummatus 2. — [6] (a. m.) mortis auctor 2. — [7] *add. ex* 2; *deest in* 1. — [8] amplexus 2. — [9] *om.* 2. — [10] *om.* 2. — [11] *add.* Christi 2. — [12] et 2.

læti suscipiunt patriarcham patriarcharum numero computandum [1]. Præsulem sacræ cohortes præsulum, sacerdotem venerabilis sacerdotum caterva salutare festinant [2]. Inter quos ille maximus monachorum pater Benedictus accurrens, eidem applaudit [3] uberius, cujus Ordinis instituta servaverat [4], eo præsertim tempore quo pontificali apice præminebat.

47. Et his quidem quæ gerebantur in cœlis fidem faciunt et attestantur signa et prodigia subito facta in terris. Fracto quippe sancti corporis alabastro, dum esset rex in accubitu suo, dum sponsus sponsam suis fovet amplexibus, nardus ejus dedit odorem suum et miraculorum fragrantiam [5] per orbem terrarum longe lateque diffusam, et domus Domini impleta est ex odore unguenti. Audito namque [6] piissimi patris recessu [7] subito commota est universa civitas, et in ipsa hora egreditur vir de cubili suo et sponsa de thalamo suo. Passim omnis ætas et uterque sexus currunt cum cereis et luminaribus ad ecclesiam beati protomartyris Stephani, ubi corpus exanime cum hymnis et canticis psallentium ferebatur. Mira res : multi qui suis sceleribus præpediti, nec honorem nec reverentiam [8] exhibuerant vivo exhibent nunc defuncto. Quodque justum aliquando contempserint [9] aut ipsum dictis vel factis contristaverint pœnitentia ducti, flere non erubescunt, sed ad sanctum corpus prostrati adorare non cessant. Totam illam noctem aliis in planctu et mœrore protrahentibus transegerunt; quia et, sicut [10] de beato Martino, Turonensi antistite, scriptum legitur, pium est flere Willermum et pium est gaudere in [11] Willermo.

48. Illucescente die sabbati, sparso circumquaque rumore, de vicinis locis multitudo populi tanquam ad diem festum cucurrit. Domus et tuguria habitatoribus vacua ac sine custodia [12] relinquuntur. Servi et ancillæ dominos suos, omni pavore deposito, rebus eorum et supellectili domi relictis et quibuslibet ingredi volentibus expositis, aut sequi aut præ-

[1] sociandum 2. — [2] festinat 2. — [3] (e. a.) a. e. 2. — [4] servarat 2. — [5] *ita* 2; flagrantiam 1. — [6] itaque 4. — [7] *ita* 2; cecessu 1. — [8] reveranciam 1. — [9] contempxerint 1. — [10] sic 2. — [11] *om.* 2. — [12] custode 2.

cedere non formidant. Matres ad ubera lactantes [1] parvulos gestant, ut funus pastoris cum suis parvulis prosequantur. Quarum nonnullæ, propriam moram arguentes, dum pii patris exequiis se non posse interesse existimant, suorum parvulorum oblitæ, dum ad sanctum concito gradu properant, ostiis domorum patentibus ipsos in cunabulis reliquerunt. Quæ dum ad se reversæ quid egerint recordantur, præ stupore nimio consternatæ cum fletu et ejulatu magno ad beati viri corpus accedunt, ipsi pro cujus amore immansuetis bestiis agrorum ferisque silvarum expositos dimiserant parvulos commendantes. Et ad propria redeuntes, ipso per merita sancti custodiente de quo scriptum est: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam,* infantes suos sanos et incolumes invenerunt. Ad cujus rei insigne miraculum majori stupore et extasi repletæ Conditori omnium, qui in sanctis [2] semper est mirabilis, grates uberrimas referebant. Necnon et omnes illi qui, in amore patris ferventes, nullo custode adhibito sua domi [3] reliquerant, universam rerum suarum substantiam absque alicujus rei detrimento se in regressu suo invenisse, sunt sæpius et publice protestati.

49. Dies vero illa solemnis ab omnibus habebatur, et in illa die tanquam in die celebri, nemine suadente, nullius monitione præmissa, omnes ab omni servili opere [4] quiescebant. Mirabile erat spectaculum videre viros ac [5] mulieres, senes et pueros, fortes et imbecilles, nullo penitus vocante ad sanctum corpus undique confluentes, ut intueantur vultum ejus tanquam vultum angeli, ut deosculentur manus et pedes: quos semel deosculari non sufficit, sed iterum atque iterum reverti ut impresso osculo, prostratis genibus patrem adorent [6], fervor caritatis [7] impellit. Non alicujus voce præconis citantur, non tubæ clangor excitantis præcedit, non vocat præses nec principis edicta compellunt. Qui pastoribus in Judæa apparuit quando exortum est in tenebris lumen

[1] lactentes 2. — [2] *add.* suis 2. — [3] *add.* exposita 2. — [4] (s. o.) opere servili 2. — [5] et 2. — [6] *ita* 2; adorant 1. — [7] *om.* 2.

rectis, misericors et miserator et justus, quique eos in Bethlehem [1] venire fecit ut Verbum incarnatum viderent, videntes adorarent, qui magos ab Oriente vocans ad adorandum Deum et hominem in præsepio mysticis oblatis muneribus stella duce præmisit, ille idem novis apparentibus signis, ut ex perceptione præsentium firma sit expectatio futurorum, ad adorandum mortuum in terris, gloria immortalitatis indutum in cœlis, multitudinem populi congregavit. Sane eadem die circa horam vespertinam cum universitas cleri et populus [2] ad celebrandas pastoris exequias convenisset, quasi globus igneus in aere suspensus super sancti protomartyris ecclesiam ad instar stellæ coruscantis apparuit, quam non solum hi qui prope aderant, verum nonnulli qui de aliquantulum remotis locis nostram properabant ad urbem, se vidisse fere per dimidiæ horæ spatium cunctis admirantibus nuntiabant.

50. Parabatur interim [3] cum magna festinantia feretrum sive loculus ad referendam sancti corporis glebam apud Karolilocum juxta supremam ejusdem [4] beatissimi patris voluntatem, populo quæ ab ipso patre statuta fuerant adhuc penitus ignorante. Ubi vero crebescente [5] rumore rei veritas patescit [6], subito commoti sunt universi. Cumque sole ad occasum vergente [7] declinasset jam dies, unanimiter inierunt consilium, quatinus cum omni diligentia adhibitis custodibus valvas et [8] aditus ecclesiæ cum armis, gladiis et fustibus, ne qui violentiam inferre vel sanctum corpus [9] possent eripere, caute facerent custodiri, nec non et [10] eorum pars non minima totam illam noctem sine somni quiete transigens, intra [11] ecclesiam excubaret. Quod et factum est. Mane vero facto, cum jam dies dominica illucesceret, prope altare sancti martyris humo defossa profundius, et iis quæ sepulturæ ejus necessaria erant celeriter præparatis, ne quod medio tempore impedimentum emergat, sanctum sepelire corpus etiam ante sacra missarum solemnia cogitabant.

[1] Bellhem 1. — [2] populi 2. — [3] *om.* 2; iterum 1, *sed perperam.* — [4] *ita* 2; eisdem 1. — [5] crescente 1. — [6] patefecit 1. — [7] (a. o. v.) v. ad o. 2. — [8] *add.* omnes 2. — [9] *add.* si 2. — [10] *om.* 2. — [11] *ita* 2; inter 1.

Verum ille rerum et temporum ordinator æternus qui famuli sui gloriam in nullo minui voluit sed augeri, nihil agi more indebito, nihil ordine perturbato vel præpostero fieri unquam permisit. Celebratis igitur sacris missarum solemniis, stabant seorsum fratres Karoliloci, suspenso animo quid agere debeant, omnia quæ fiunt a longe intuentes, non ausi propius accedere; nec ut suprema voluntas pastoris impleri debeat ausi sunt postulare. Et quamvis parata sint feretrum et alia quæ ad deferendum funus necessaria esse videbantur, proferre [1] in medium et sanctum corpus debere sibi tradi [2] ut ad proprium deferrent monasterium petere formidabant. Timebant [3] turbam ne facto impetu in ipsos [4] irrueret [5], ideoque sibi silentium indixere. Jam enim [6] conjuratione facta conspiraverant ut si alienæ manus ad sancti patris corpus tollendum insurgerent, aut si qui advenæ vel ignoti ipsum fortassis comprehendere conarentur, in momento perirent. Porro surgentes quidam [7] de majoribus et senioribus ecclesiæ, ne pactum quod habuerant erga patrem infringerent, confessionis [8] sibi factæ non immemores, liberam tollendi [9], quo ad [10] ipsos pertinet, concedunt prænominatis fratribus potestatem. Sed et hoc eo ipso confidentius et [11] facilius concedunt quod non ignorant se ipsos, etiam si velint, tollere aut alias transferre, aliis fratribus ejusdem ecclesiæ minime consentientibus et turbis reclamantibus, non valere. Itaque [12] dicti monasterii fratres videntes nihil posse se [13] proficere, cleri et populi devotionem [14] mirantur, et, quia divinæ [15] ordinationi resistendum non erat, nec tantam multitudinem conturbare nec discrimen capitis subire volunt, cedunt ergo spe et [16] expectatione sua omnino frustrati, dum ipsis cernentibus cum honore debito sepelierunt beatissimi viri corpus sese deinceps per multa miracula declarantis [17].

[1] (quæ-prof.) sacro funeri deferendo necessaria, proferre tamen 2. — [2] (d. s. t.) sibi tradi debere 2. — [3] *add.* vero 2. — [4] (imp. i. i.) in ipsos i. 2. — [5] irruerent 2. — [6] *om.* 2. — [7] quidem 1. — [8] concessionis 2. — [9] *add.* corporis 2. — [10] (quo ad) quod 2. — [11] ac 2. — [12] Ita 2. — [13] (n. p. s.) s. n. p. 2. — [14] *ita* 2; devotione 1. — [15] *om.* 2. — [16] *add. ex* 2; *om.* 1. — [17] declarandum 2.

II. MIRACULA POST MORTEM.

51. Quoniam superabundante malitia, multorum caritas refrigescit, quotidie necesse est ut Deus omnipotens, ordinator rerum et temporum, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, sanctos suos, quos hereditatis æternæ voluit esse participes, quosque jam glorificatos coronavit in cœlis, ad laudem et gloriam nominis sui, clarificare dignetur in terris, populis ad eorum tumulos undique confluentibus, quorum corpora in pace sepulta sunt, et vivunt nomina eorum in æternum, signa et prodigia sua sæpius manifestans. Nonnunquam enim fiunt miracula, divina operante [1] clementia ob sanctorum suorum merita declaranda, ut in omnem terram exeat sonus eorum et in fines orbis terræ exempla eorum, quatinus ad contemptum mundi et [2] amorem cœlestis patriæ ipsorum sanctis provocentur exemplis. Insuper et [3] excitanda est fidelium devotio, ne fervor fidei in humanis cordibus per insolentiam tepescat : quam signis et miraculis credimus nutriendam. Sed nec tacenda sunt opera Conditoris quæ mens humana cogitare, scriptura comprehendere, lingua laudare, supernorum civium exercitus mirari non sufficit. Suppleat ergo defectum nostrum divina miseratio, ut quod possibilitas nostra non obtinet, nobis ejus munere concedatur. Sane propositum quod ad quorumdam instantiam super miraculis beati Willermi, Bituricensis patriarchæ, scripto commendandis assumpsimus [4], diu distulimus prosequi, tam corporis negligentia soporati quam aliorum negotiorum occupatione detenti. Verum, licet vereamur [5] indigni digna tractare, ne lacerandi objiciamur morsibus detractorum, quamvis etiam ex eo quod, cum simus inferioris ingenii, valde timendum est ne, si huic operi nos præponimus, cui propter imperitiam sufficere minime credimus, quasi ponere os in cœlum videamur, et potius debeat

[1] (d. o.) operante divina 3. — [2] *add.* ad 3. — [3] *om.* 3. — [4] sumpsimus 3. — [5] *ita* 3 mereamur 1.

imputari temerariæ præsumptioni quam caritati ascribi : considerantes tamen quod, cum mundus in maligno sit positus [n]ullusque adhuc scriptorum in simili opere potuit declinare quod timemus, inter procellas linguarum expositi, nec submersi omnino nec tuti ex toto, proposuimus navigare. Igitur quasi horum [1] obliti et excusso torpore [2] robustiores effecti, propositum opus quod vires nostras transcendit aggredimur, miraculorum insignia quæ vel vidimus vel a viris fide dignis audivimus, prout Dominus dederit qui meritis ejusdem sancti eadem operatur, stilo humili descripturi. Et tamen licet [3] multa prætermittamus miracula, tanquam oblivione deleta, et alia etiam [4] quæ propter temporis lapsum labilisque memoriæ vitium in ea nobis veritatis specie non occurrunt quam stilus ad ædificationem exigit auditorum [5], recentiora quæ fides [6] oculata commendat, ipso dante cui præterita et futura præsentia sunt, breviter exarando perstringere libet.

52. Sane inter cetera divinæ potentiæ miracula quæ in ipsa die per merita sui sancti, nondum corpore ejus sepulto, operari dignatus est ille qui operatus est salutem in medio terræ, unum pulchrius elucescit quod et [7] præcipue [8] est memoriæ [9] commendandum. Quidam puerilem agens ætatem qui necdum decimum ætatis suæ [10] annum compleverat, collo humeris intercepto, toto corpore incurvatus [11], cœlum videre non poterat; terram tamen [12] intuebatur proclivius. Elapsum quippe erat triennium quod in [13] tantam infirmitatem inciderat, ut [14] et pedum et manuum officium penitus amisisset. Cibus, quoniam [15] manu [16] palpare non poterat, ori porrigitur, et ad necessaria naturæ ferebatur a matre. Quæ languente parvulo suo languet, infirmato acrius infirmatur, afflicto magis affligitur : ipsius animam pertransit gladius passionis, et materna dolore viscera quatiuntur, ac si filium denuo parturiret. Hic, audito sancti patris obitu, instantissime postulabat a matre quatinus ipsum deferret ad

[1] homines 3. — [2] tempore 3. — [3] *om.* 3. — [4] *om.* 3. — [5] autitorum 1. — [6] fide 3. — [7] eo. 3. — [8] *om.* 2. — [9] (e. m.) m. e. 2. — [10] *om.* 2. — [11] incurvatur 1. — [12] *om.* 2. — [13] *om.* 2. — [14] *om.* 2. — [15] quem 2; quia 3. — [16] *om.* 2.

ecclesiam, ut oscularetur corpus sancti. Mater vero petitioni ipsius sæpius factæ satisfaciens, accepit eum in ulnas suas; et inde [1] progrediens vix potuit eum [2] inferre præ turba adhuc constituta in loco. Et constanti animo accedens prostravit se cum parvulo suo ad corpus [3] sancti, et osculati sunt ambo pedes et manus, et in ipsa hora auditus est a matre quasi fragor ossium pueri; qui, sicut eadem protestabatur a multis etiam posset audiri, nisi impedirent circumstantis turbæ strepitus et tumultus. Reversa [4] ergo [5] mulier [6] cum sarcina sibi carissima, et [7] cum jam longissime processisset a turba, exclamavit puer et dixit: *Dimitte me abire, mater, ecce enim per virtutem sancti corporis sanus factus sum et incolumis.* Et [8] his dictis deposuit eum, et consolidatæ sunt bases ejus et plantæ et nullo juvante fultus, cunctis admirantibus gradiebatur. Stupor apprehendit matrem et omnes vicinos qui eum viderant triennali languore percussum. Porro mater [9] timens de imbecillitate pueri ob restitutæ sanitatis recentiam, non cum ipso ad ecclesiam mox reversa [10], ut ei qui salus est et fortitudo omnium in se sperantium et ejus gloriosissimo confessori Willermo gratiarum referat actiones, expectare voluit donec sepulto corpore populus debilium ingressus impediens [11] longius secessisset. Sed dum hujusmodi expectatione manet stupida [12] et admirans mirabilia Creatoris, ecce Dominus elapso modico temporis intervallo secundum promissum suum volens augere decus ecclesiæ et clarificare præsulis sui nomen, ad ejus tumulum populis catervatim confluentibus, antiqua potentiæ suæ miracula innovare dignatus est, ut signa signis crescentibus convalescant, et quæ præcesserunt miracula miraculis sequentibus confirmentur. Nec mora apprehensa manu pueri non obstante populorum [13] concursu ad ecclesiam properat, ut [14] aliis qui ibidem miraculose sanati sunt gratias agentibus, gratias agat et ipsa pro salute [15] filii totius gratiæ largitori.

[1] *ita* 2, 3; idem 1. — [2] *om.* 2. — [3] pedes 3. — [4] *add.* est. 3. — [5] *om.* 2. — [6] mater 2. — [7] *om.* 3. — [8] *om.* 3. — [9] *add. ex* 2, 3; *deest in* 1. — [10] regressa 2. — [11] præpediens 2. — [12] stupenda 3. — [13] populi 3. — [14] *add.* cum 2. — [15] sanitate 3.

53. Sepulto venerabili ac beatissimo patre Willermo cum jam unusquisque ad propria remeasset, in ipsa die dominica multi de nostra civitate et [1] locis finitimis qui variis infirmabantur languoribus [2], cum jam secessisset [3] turba debiles ingredi non permittens, humiliter ac devote ad sancti tumulum accesserunt, sperantes in eo qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum quatinus per ejusdem sancti merita oblatam recuperare debeant sanitatem [4]. Quorum quidam adolescens quartanis febribus diutissime fatigatus in ipsa hora qua febrili languore per omnia membra diffuso vehementer arripi se [5] præsensit, quam cito cœpit toto [6] corpore trepidare jugi tremore [7] et frequenti percussione dentium signa febricitantis [8] ostendere, de Dei confisus clementia ad sepulcrum sancti confessoris trepidans et exsanguis primus accessit, virtutum ejus sensit primitias, restituta sibi pristina sanitate.

54. Convicaneus quidam noster et conversatione diutina nobis bene notus [9], Suignevus [10] nomine, qui in lapidicina lapides excidendo victum sibi factus et vocatus perrerius acquirebat, tantæ vitium incurrerat [11] surditatis ut cum magno clamore vocatus vel interpellatus de alicujus rei negotio vix posset audire vocantem, et cum aliquem sonitum vocis audiret, quasi stupefactus ad vocem, de alia penitus re quam interpellatus fuerat responderet. Qui cum in surditate illa annos plurimos transegisset, nullumque remedium percipere potuisset auditus, contigit ut cum mortuo beato Willermo archiepiscopo [12] Bituricensi [13] de sepultura ejus inter canonicos Bituricensis ecclesiæ et abbatem et monachos Karoliloci, quorum monachus et abbas olim extiterat, litigium haberetur, concurrentibus populis civitatis ex divino miraculo et per violentiam dirimentibus litem illam, sibique ex jure regiminis, quod tanquam pius pastor in eos vivens habuerat, vendicantibus corpus sancti, ipse una cum aliis strenuus vendica-

[1] *add.* de 3. — [2] infirmitatibus 2. — [3] recessisset 2. — [4] *Hic abrumpitur cod.* 2 *et statim clausulam refert.* — [5] *ita* 3; arripisse 1. — [6] (c. t.) toto cepit 3. — [7] stridore 3. — [8] *ita* 3; febricitatis 3. — [9] *add. ex* 3. — [10] *ita* 3; Bingnetur 1. — [11] *ita* 3; incurreret 1. — [12] *om.* 3. — [13] *om.* 3.

tor affuit et indefessus in corporis retentione [1] defensor. Tantamque curam et sollicitudinem ex devotionis ardore in ejus adhibuit sepultura, quod graviorem præ ceteris visus est [2] sustinuisse laborem. Cujus devotionem pondusque laboris debita nequaquam volens sanctus mercede fraudari, ex tunc, sicut ille surdus asseruit, aures ejus paulatim effecit ita patulas ad auditum ut magis ac magis audiret et sonitum campanarum insolitum miraretur. Procedente sic tempore ad auditus augmentum cum ipsi, qui nobis prius ei clamore loquentibus ex obliquo responderat, in suppressæ [3] vocis silentio loqueremur, certumque nobis daret in recta verbi locutione responsum, dignas et debitas Deo gratias fecimus cum solemni decantatione referri.

55. Erat vir in pago [4] Autissiodorensi [5], in villa quæ appellatur Arconium, Joannes nomine, toto corpore adeo incurvus [6], quod cum de loco ad locum vellet procedere, quasi super pectus suum gradiens nates rependo trahebat, spina [7] quoque [8] capite celsior apparebat. Hic autem prono vultu terram semper aspiciens, nec [9] sedere nec cœlum poterat aliquatenus intueri. Cumque fama crebescente audisset quia Dominus mirificavit sanctum suum Willermum innumeris coruscantem miraculis, de Dei omnipotentis clementia et meritis gloriosissimi patris confisus [10], votum emisit adeundi Bituricas, non ignorans quia Dominus erigit elisos, Dominus dirigit justos. Venit igitur causa voti implendi et recuperandæ gratia sanitatis ad tumulum sancti; non sine magna laboris et sudoris angustia, quam ex itineris nimia fatigatione passus est, maxime cum in gradiendo [11] a reptilibus terræ sicut prælibavimus [12] parum distaret [13]. Considerans autem quod exercitatio [14] ad modicum utilis est, nisi merita suffragentur, cum sit afflictus corpore, sibi afflicto exterius interioris hominis afflictionem adjungit. Secumque revolvens quod cor contritum et humiliatum Deus non despicit, contribulato [15]

[1] receptione 3. — [2] *add.* in his omnibus 3. — [3] suppresso 3. — [4] *ita* 3; pelago pago 1. — [5] Antisidorensi 3. — [6] *ita* 3; incurvis 1. — [7] spinaque dorsi 3. — [8] *om.* 3. — [9] *ita* 3; ne 1. — [10] *ita* 3; confusus 1. — [11] gradiando 1. — [12] *ita* 3; præliabavimus 1. — [13] distat 1; disset 3. — [14] *add.* corporis 3. — [15] *ita* 3; contribulatio 1.

spiritu ingemiscens, lacrimas devotionis infundit [1], sese holocaustum Domino in ara cordis incendens. Nec immemor quia prope est Dominus omnibus invocantibus in veritate, ad tumbam beatissimi patris provolutus, quam [2] torrente lacrimarum inundantium irrigabat [3], Dominum Jesum Christum et beatum Willermum sæpius invocans, humiliter precabatur ut is qui salus est omnium in se sperantium, ad laudem et gloriam nominis sui et ob merita servi sui Willermi optatam sibi conferre dignetur corporis et animæ sanitatem. Nec mora, qui incurvus [4] fuerat per decennium, sicut tota vicinia testatur, stat [5] supra pedes erectus, nervis qui prius contracti erant singulorum artuum in ipsa hora mirabiliter a sua ariditate curatis et in pristinum vigorem miraculose reductis. Tantumque robur accepit cum omni agilitate membrorum quantum nunquam se meminit habuisse. Et omnis plebs ut vidit, dedit [6] gloriam Deo. Relictis ergo sellulis et suspensis in eodem loco, quarum obsequio rependo sese trahere consueverat, ob perpetuam recentis facti memoriam, laudans [7] Deum cum gratiarum actione recessit, reversus Arconium ad propriam mansionem. Cui redeunti occurrerunt [8] turbæ, viri et mulieres, senes et pueri, fortes et imbecilles, nobiles et ignobiles, flagranti desiderio cupientes aspicere in ipso mirabilia Creatoris. Quo viso sed non statim agnito, repleti sunt stupore et extasi, quia quem nuper incurvum viderant, modo intuentur erectum, quemadmodum singuli eorum stabant erecti. Quem cum allocuti fuissent, vultui ejus inhærentes, tum ex mutua [9] collocutione [10] præhabita cum ipso, tum ex vultus dispositione frequenter inspecta, tanquam convicaneum suum agnoscentes, osculati sunt eum et congratulabantur ei. Qui ut perfecta sanitas cœlitus missa compleatur in ipso, paucis postmodum diebus elapsis ad Cisterciensem Ordinem se transtulit, religiosam [11] ducens vitam.

56. Erat quidam diutino et intolerabili languore obsessus,

[1] effudit 3. — [2] cum 3. — [3] *ita* 3; irregebat 1. — [4] incurvatus 3. — [5] stabat 3. — [6] *ita* 3; Deo 1. — [7] *ita* 3; laudens 1. — [8] occurrunt 3. — [9] *ita* 3; muta 1. — [10] *add.* sæpius 3. — [11] religiosem 1.

infirmitatem habens quam medici hydropisim vocant. Inciderat autem [1] paulatim ex inveterati morbi contemptu præhabito in illam ægritudinis speciem quæ, sicut ipsi asserebant, omnino curari non potest nec eidem ulla medicorum arte subveniri. Nec ullum salutis optatæ dicto languenti superesse credebatur remedium, nisi ad impetrandam cœlestis [2] medici curam ipsius unicum et salubre humiliter imploret [3] auxilium. Voluntas Dei erat, sicut ex [4] evidentibus signis et certis indiciis comperimus, ipsum sine spe humani subsidii insanabili dolore passionis affligi, ut opera Dei manifestentur in illo. Aspectus ejus horribilis omnem abominationem inferens his qui intuebantur eum. Tantus itaque [5] tumor, procedens ex humorum corruptione per singulos artus diffusa, totum corpus apprehenderat, quod nec erat ei species hominis neque decor, sed humana effigie quasi jam deleta in ipso, tanquam truncus pelle et carnibus apparebat indutus. Anhelitus ejus supra quam credi potest fœtidus et corruptus, appropinquantibus sibi nauseam provocabat. Cutis ejus distenta et tanquam olei perfusa liquore relucens, tympani percussi sonum reddit. Genæ tumentes naribus defossis et parum apparentibus supereminent ; oculi languentes et concavi vicinæ mortis signa declarant. Tota facies [6], quodam fusco obumbrata pallore, tumentis vesicæ similitudinem gerit, neque considerata dispositione vultus agnoscitur. Accedens ergo dictus æger humiliter ac devote ad tumulum sancti patris Willermi, turba impediente quæ aderat vix ingredi potuit: qui etiam in [7] ingressu ab eadem oppressus, fere spiritum exhalavit. Quo cum pervenisset, statim resumptis viribus quas infirmitas denegat, caritas ministrat, sanctum tumulum copioso lacrimarum imbre rigavit, deinde in oratione prostratus, cum ipse anhelo pectore syncopim pateretur, nec strictis faucibus posset ad plenum verba formare, et adeo syncopando proferens [8], plerumque etiam in ipsa verborum prolatione deficiens, beati Willermi, cujus memoria in corde ipsius jugi-

[1] enim 3. — [2] *ita* 3 ; cœlesti 1. — [3] implorare 3. — [4] *om.* 3. — [5] namque 3. — [6] *add. ex* 3 ; *om.* 1. — [7] *om.* 3. — [8] (nec-proferens) *om.* 3.

ter versabatur, se sibi opem quærere ad optatæ salutis remedium dabat intelligi. Erant ibi, præter populi multitudinem causa orandi more solito congregatam, quam plurimi sub eadem spe et [1] expectatione recuperandæ salutis, variis obsessi languoribus, qui intolerabilem ejus fœtorem pati non poterant. Præterea timebatur ab omnibus et merito verebantur ne, si forte ruptis visceribus et diffusis crepet medius, cum crepandi tempus eidem imminere credatur, locus ille sanctus et omni [2] veneratione dignus, per aliquot dies desolatus et ab accessu hominum immunis penitus habeatur, ecclesia quoque non sine ingenti scandalo divino interim fraudetur [3] obsequio. Nec mora, consilio inito statutum est et provisum [4] ut ob supradictas causas a conspectu populi secederet, candela sibi prius facta et [5] ad staturam corporis ejus dimensa et ad sepulcrum sancti ab eodem oblata. Abiit ergo, quamvis invitus [6], in domum pauperum Christi eidem ecclesiæ contiguam, misericordiam Salvatoris, qui salvat et sanat [7] sperantes in se, cujus miserationes super omnia opera ejus, patienter expectans. Erant in illis diebus nonnulli qui de divinis miraculis, illis etiam quæ oculata fide perspexerant, tanquam increduli dubitabant. Quin etiam cæcos, claudos et aridos ac debiles quosque pro salutis suæ remedio sancti sepulcrum præsulis visitantes in derisum habentes, non solum dubietatis vitium, verum etiam execrabile blasphemiæ crimen incurrerant, adversus Deum et sanctum ejus turpia et inhonesta verba sed tacenda sobrie proferentes. Ubi vero [8] dictum ægrum inenarrabili languore afflictum, et præ doloris angustia jam pene suffocatum viderunt, Dei omnipotentiæ derogantes dixerunt : *Si possibile est istum hominem curari a Domino per merita archiepiscopi Willermi, quem nec sanctum scimus esse nec credimus, jam non ultra de sanctitate ejus et miraculis nos oportet ambigere. Quin etiam omnis dubietatis scrupulus resecabitur a nobis et præteritis præsens miraculum fidem faciet, firmaque erit et inconcussa expec-*

[1] *add. ex* 3 ; *om.* 1. — [2] *om.* 3. — [3] defraudetur 3. — [4] (et p.) *om.* 3. — [5] *om.* 3. — [6] *ita* 3 ; invictus 1. — [7] (s. et s.) sanat et s. 3. — [8] ergo 3.

tatio futurorum. Verum insperatæ rei eventus, illius providente clementia qui, salutem omnium desiderans, neminem vult perire, divino paulo post subsequente miraculo illos in fide tanto firmius tantoque mirabilius solidavit [1] quanto antea corda eorum fortius fuerant indurata, nec quisquam ex [2] eis ab illa die crescente caritatis igniculo, de æterni Patris omnipotentia et de beati Willermi sanctitate et meritis, amplius dubitavit. Factum namque est ut, dum æger orationi insistens superveniente quodam lento sopore nocte quiesceret, obdormienti sibi apparuit quidam vir venerabilis et aspectu decorus, candidatis vestibus refulgens, pontificalia gerens insignia. Hic apprehendit manus ejus et pedes, singulos manuum digitos et articulos pedum manibus suis [3] palpans leniter et attrectans [4] et a planta pedis usque ad verticem per omnia membra discurrens, totam saniem studiose purgando projecit. Cujus expulsionem locus ipse, in quo erat quiescens, apparentibus sordium projectarum vestigiis in crastinum indicavit. Tanta namque sanies sub illius noctis silentio ex ipsius membris repente prosiliit, quod tanquam de quodam magno vase confracto torrens aquæ videretur effusus. Evigilans mane vir ille et expergefactus a somno, seseque respiciens, quod sic subito factus alter ex altero, sanus ex ægro, robustus ex debili, potens ex impotente, levis ex ponderoso, ex deformi formosus, stupidus admiratur. Et in se reversus, eadem hora consurgens, ad ecclesiam properabat, omnia quæ sibi acciderant, et qualiter beatus Willermus in somnis sibi apparens eum sanaverat, fidelibus populis seriatim enarrans. Et accurrens cum gaudio amplexatus est sepulcrum ejus, laudans ac benedicens Deum, populo acclamante et laudes [5] Domino referente.

57. Erat quidam [6] latomus nomine Stephanus, qui veteres muros reficere, novorum fundamenta locare, de lapidibus excisis parietes erigere, et ex illa arte sibi et familiæ suæ [7], victum acquirere consueverat, pauperem et honestam ducens

[1] *ita* 3; solidant 1. — [2] ab 1. — [3] *om.* 3. — [4] attractans 1. — [5] laudem 3. — [6] *ita* 3; quidem 1. — [7] *ita* 3; tibi 1.

vitam : in quo præcipue imitatus est [1] illum egregium doctorem gentium cui cum ex officio prædicationis liceret ab his quibus verbum vitæ seminaverat cibum accipere, maluit illa benedictione prophetica perfrui : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit,* quam cuiquam onerosus existere. Hic autem habebat quemdam filium triennem et alium jam provectæ ætatis juvenem, excolentem terras et agri culturæ non inscium, cui nomen erat Joannes, paternarum æmulatorem virtutum, morum [2] et honestatis sicut et possessionis heredem. Et hic quidem cum omni humilitate subditus [3] erat patri, a Deo sibi datus ut et ejus provisionis ope [4] patris senescentis [5] inopia fugaretur. Cum igitur pater ad reparandum quemdam murum veterem et ruinosum procederet, accidit ut parvulus ejus filius, ipsum solito more secutus, sederet ad pedem muri, illo videlicet [6] in loco ubi murus debilior se inclinans majorem minabatur ruinam. Porro is qui teneræ ætatis erat, nec ullius [7] capax ingenii, ab imminente sibi periculo cavere non noverat. Pater circa custodiam parvuli [8] illa hora minus diligens extitit, cujus circa curam operis incepti tota intentio versabatur totumque ejus exhauserat spiritum. Sedente itaque puerulo [9] maxima pars muri corruit super illum et cooperuit eum totum ita ut nec aliquod membrum nec aliqua vestimentorum ejus particula compareret. Audito repentino fragore ruinæ pulverisque [10] non exigui aerem obfuscantis notata caligine, statim cucurrit ad locum pater, exsanguis et amens [11], et quid facere debeat prorsus ignorans. Tactus anxietate cordis, nervis linguæ quasi contractis, fere per dimidiæ horæ spatium loqui non poterat, doloris vehementia lacrimas absorbente. Qui circumquaque respiciens, puero non reperto, velut quemdam terribilem rugitum emittens scidit [12] vestimenta sua, et corruens volutabatur in terra. Cumque paululum respirasset, in se reversus, sciens quod in omni casu potius invocandum est divinum auxilium quam humanum, tandem in has voces

[1] *add. ex* 3 ; *om.* 1. — [2] *ita* 3 ; moris 1. — [3] subjectus 3. — [4] opere 3. — [5] *scriptum in* 3 patris *secunda vice.* — [6] *om.* 3. — [7] (n. u.) nullius 3. — [8] *add.* sui 3. — [9] puerolo 1 ; puero 3. — [10] *om.* que 3. — [11] *ita* 3 ; amans 1. — [12] scindit 3.

p…
de te …
commendo, …
cui semper placu…
cordis eorum sinceriu…
et parvulum tua pietas ex…
Adhuc illo talia proclamante, rejecta co…
tanquam furore arrepta, profusis crinibus, c…
bus, soluto capite, genas unguibus lacerans proprio…
ostentans, seque miseram et infelicem vociferans, b…
tatas; quæ infantiæ parvuli sui multoties exhibuerat, ejulan…
sine lacrimis memorabat; et beati Willermi gloriosum nom…
invocans, hæc et his [4] similia cum ingenti clamore dicebat…
Sancte Willerme, pastor bone, ubi est parvulus meus, quem di…
et nocte tuæ indesinenter [5] *custodiæ commendabam* [6]*? O fidel*…
custos gregis dominici, quisnam rapere [7] *potuit oviculam tu*…
de manu tua? Si vero [8]*, quod absit, rapta est, scimus quia pot*…
es [9] *prædam excutere* [10] *de faucibus illius truculentissimi l*…
qui circuit quærens quem devoret, et insidiatur in abscon…
quasi [11] *in spelunca sua. Redde mihi, gloriosissime pater, m*…
thesaurum meum tibi commissum, omnibus divitiis incom…
bilem, ut te [12] *sentiam in commisso fidelem.* Dum hæc e…
loqueretur, accurrit Joannes, primogenitus ejus filiu…
erat in agro, relictis vomere et aratro celerisque agric…
necessariis instrumentis. Nec [13] tam pro amisso fra…
vulo quam pro utriusque parentis inconsolabili dol…
batus, patientibus compati, dolentibus cœpit fervent…
dolere. Aderant huic miserabili et miserando s…
vicini qui ex omni parte convenerant, ut consolaren…
lorem eorum. Sed mox, agnito quod sua sunt …
frustrati, cum nullum restet consolationis remediu…
sarculis cœperunt fodere in profundum, et humu…

[1] *ita* 3; *qui* 1. — [2] *ita* 3; *meum* 1. — [3] *ita* 3; *collo* 1. — [4] *aliis* 1. — …
1; *indesinanter* 3. — [6] *commendabamus* 3. — [7] *ita* 3; *repere* 1. — [8] …
impotens est 3. — [10] *ita* 3; *excetere* 1. — [11] *add. leo* 3. — [12] *ad*…
[13] *hic* 3. — [14] *consolenrentur* 1.

projicere festinabant, ut pueri corpusculum extraherent, quod exanime credebatur. Tantus namque erat supra puerum acervus lapidum, tantaque terræ et pulveris glomerata congeries, ut non solum ab omnibus crederetur extinctus, sed et ossa ejus dissipata, confracta omnino et penitus demolita. Mira res et admiratione digna: amotis lapidibus et terra projecta [1] apparuit puer vivus et illæsus, nec inventa sunt aliqua indicia læsionis in eo. Quodque mirabilius est censendum, puero manente illæso, vestimenta ejus adeo demolita [2] sunt et attrita, ut nec essent cujuspiam rei ad usum necessaria. Cujus novitate miraculi gavisi sunt omnes, et eadem hora confortati sunt parentes, et revixit spiritus eorum et sumpserunt cibum cum gaudio una cum Joanne, filio suo primogenito, cui et dicebant: *Oportet nos, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est.* Quorum fidem et devotionem Dominus ex alto prospiciens, vota eorum complevit ut de [3] beneficiis ejus gratulantes, ipsum exultantibus animis laudare [4], benedicere et prædicare non desinant [5], qui sancti sui Willermi merita longe lateque declarat.

58. Mulier quædam, Ameniardis [6] vocata, de Enmordia [7], in tantam mentis insaniam ferebatur, ut die ac nocte in clamores continuos excitata, verba quæ in nullum fere rationis usum poterant adaptari [8], proferret. Quæ, cum eos qui ipsam duris vel blandis aliquando increpationibus corrigebant si [9] deprehendere poterat, morsibus laceraret, vinculis [10] in pedibus et in manibus ipsius injectis aliquantulum furore represso quiescebat, ab [11] hujusmodi violentia insaniæ refrenata. Cumque a duobus filiis quos habebat cum vinculis ad tumulum beati Willermi sic deducta fuisset, in consuetos vociferationis resoluta clamores [12] totam ecclesiam et divina officia perturbabat, ita ut post lectum evangelium ipsam extra ecclesiam oporteret educi, ne secreta missæ possent ejus clamoribus impediri. Accidit autem aliquando quod

[1] *ita* 3; perjecta 1. — [2] *ita* 3; demoluta 1. — [3] *add. ex* 3; *om.* 1. — [4] *add.* et 3. — [5] desi 1. — [6] Armenzardis 3. — [7] Emnordia 3. — [8] adoptari 1. — [9] *add. ex.* 3; *om.* 1. — [10] in vinculis *perperam* 1. — [11] *ita* 3; ad 1. — [12] *add.* et 3.

custodibus negligenter agentibus circa ipsam, manibus pedibusque solutis eadem arrepto [1] fortiter baculo in circumstantes adeo desæviret [2], quod, nisi fuisset baculo de manibus violenter extorto coercita, pauperibus et infirmis qui se tueri non poterant vulnera non sine mortis subsequentis incommodo contulisset. Tandem cum in ecclesia diutius sic vexata mansisset, puerorum et etiam [3] aliorum plurium qui ejus dicta, tanquam risum moventia, libentius audiebant, turba circumstante frequenter, die jovis infra octavas resurrectionis Dominicæ cœpit quasi lenta quiescere, ac suppressis clamoribus aliquantulum respirare. Sicque largius solito cibo sumpto blandoque superveniente sopore, mente incipiens confortari, pristini vires furoris amisit. Cœperunt membra tanquam gravissimis laboribus fatigata lentescere [4] gemitusque cum suspiriis prodeuntes, in planctus [5] doloris cum blanda recreatione converti. Capax itaque mulier rationis auxilium sancti cum gemitu imploravit, et inquisita de die et horis diei et aliis cum sufficienti ratione ad interrogata respondit. Ad ultimum laudibus celebratis eadem sanitati pristinæ restituta cum gaudio ad propria remeavit.

59. Stupenda valde infirmitas quamdam mulierem invaserat, quæ nomine Emeniardis [6], de diocesi Lemovicensi adveniens ad tumulum sancti Willermi archiepiscopi ob recuperandæ gratiam sanitatis, cum morbi anxietas [7] eam arriperet, circumstantes clerum et populum ex inaudito motu membrorum quasi in sui spectaculum mirabile convocabat. Morbus etenim ille qui eam interpolate vexabat, ter vel quater aut quinquies et [8] amplius quandoque, tam [9] nocte quam [10] die ab inferiori parte membra in motum subitum excitabat, ita ut et pedes primo et genua et sic deinceps alia [11] membra mirabili et mirando tremore concussa, quasi ex dissolutione paralytica [12] movebantur; et cum manus modo ad [13] genua modo ad latera seu ad spatulas feriendo fortiter retor-

[1] arrecto 3. — [2] sæviret 3. — [3] *om.* 3. — [4] *ita* 3; lantescere 1. — [5] *ita* 3; planctu 1. — [6] Emensardis 3. — [7] (m. a.) a. m. 3. — [8] *add.* eo 3. — [9] *add.* in 3. — [10] *add.* in 3. — [11] *ita* 3; illa 1. — [12] *ita* 3; paratica 1. — [13] *ita* 3; et 1.

queret, tandem ipsæ manus in sese mutuis insultibus [1] diutissime insurgentes bella movere ad invicem videbantur, in tantum ut, cum id fieret cum omnium inflexione seu incurvatione membrorum, deducerentur omnes in admirationem pariter et stuporem, quonam modo humana fragilitas tantæ et tam anxiæ impugnationis posset sustinere [2] laborem, ubi etiam quilibet fortissimus vir nulla posset sustinere ratione. Verum cum incipiebat hæc passio quietem vel potius finem habere, mulier quasi mortua aliquamdiu prostrata jacebat. Et quid amplius dicendum? Dum taliter pateretur, omnes ex tanta compassione movebat, ut alios ad preces, alios ad lacrimas excitaret, pluribus etiam affirmantibus vehementer quod, si eam posse contingeret liberari, nunquam super miraculis de cetero dubitarent, id [3] summum, si fieri posset, inter alia reputantes. Inter medicos etiam altercatio gravis emerserat et dubitatio inter multos quo nomine hæc passio censeretur, cum esset omnibus inaudita. Ad ultimum, cum sic [4] diutius vexata mulier ad tumulum sancti [5] jacuisset, factum est divina miserante clementia ut ipsa omnino curata per plures dies penes nos postea moraretur; sed tamen ita erat ex [6] præcedenti membrorum concussione confracta, ut priorem dolorem membrorum collisio et subsecuta debilitas testarentur. Quæ nimirum, postquam fuit aliquantulum recreata, cum optata sospitate recessit.

60. Puer quidam [7] decennis, de vico Sancti Privati Bituricensis, subito membrorum dolore correptus, post aliquot dies in gravi passione deductos in illam exinanitionem ad ultimum est deductus, ut quodam sero languescentibus oculis morti proximus videretur, in tantum ut, cum illuc presbyter introductus gratia visitandi venisset, puerum loquendi penitus privatum officio totisque viribus corporis destitutum invenit; eoque semianimi sic relicto, corpus Domini ad ecclesiam reportavit. Quem cum parentes statim cum ingenti clamore et anxietate animi ad tumulum sancti Willermi

[1] impulsibus 3. — [2] subsistere 3. — [3] *ita* 3; ad 1. — [4] *codd.* sit. — [5] *add. ex* 3; *om.* 1. — [6] *ita* 3; sed 1. — [7] *ita* 3; quidem 1.

archiepiscopi detulissent, vix intercedente unius horæ spatio, ita eum sanum et incolumem receperunt ut[1] statim super pedes astaret, iret et libere loqueretur; ciboque et[2] potu, quibus diu abstinuerat recreatus, paulatim vires fugata penitus infirmitate recepit.

61. Venerat quidam cum sua uxore pauper[3] agricola Bituricas, lucrum sibi vineas excolendo facturus, quo vitam inopem sustentaret. Qui, cum quodam sero[4] portionem panis in subsidium laboris more solito paravisset, lectum adiens obdormivit. De nocte ad requisita[5] naturæ consurgens, quamdam imaginem teterrimam, sicut ipse narravit, non sine multo horrore conspexit. Iterumque ad lectum rediens, cum aliquantulum dormivisset, turbato cerebro et immanissimo arreptus furore surrexit, frendensque dentibus ac terribilis clamores vociferationis emittens, cum arreptis fustibus et eis quæ ad feriendum apta manibus occurrebant parietes, lectos et arcas percutiebat, hinc inde mortem hominibus, si qui occurrerent, procul dubio illaturus. Sed cum omnes qui aderant fugam et latebras potius elegissent, declinando sic furentis[6] impetum evaserunt. Ad hæc audito strepitu et furioso[7] clamore, vicini domum violenter irrumpunt[8], et tandem cum magna[9] difficultate comprehendentes hominem furiosum, vinculis funium fortissimis manus pedesque constringunt. Detinentes sic frendentem dentibus et stridentem atque morsu avidissimo dissipantem quidquid potuisset occurrere, ad tumulum sancti eumdem ligatum sic in mane deducunt. Per totam fere diem cum idem ecclesiam clamore turbasset, proferens turpissimas in Deum et in sanctos blasphemias quas humanus abhorret auditus, ibidem circa nonam blando sopore correptus vidit quemdam in candidissimo habitu sibi dicentem: *Surge velociter: sanus es factus.* Qui tunc, nobis officium mortuorum celebrantibus, taliter excitatus, cœpit voce maxima divinum auxilium implorare. Sicque sanus se ante altare cum devotione prostravit, ita demum pristinæ memoriæ restitutus, omnia fere quæ præmissa sunt

[1] *ita* 3; et 1. — [2] ac 3. — [3] *add. ex* 3; *om.* 1. — [4] *ita* 3; fero 1. — [5] *codd.* exquisita. — [6] *ita* 3; furandis 1. — [7] *ita* 3; furiose 1. — [8] irruperunt 3. — [9] multa 3.

continua oratione nobis [1] narravit, cetera vicinis qui præsentes affuerant referentibus seriatim. Manens itaque apud nos aliquot diebus, cum præ debilitate corporis quam ex furoris ipsius fatigatione contraxerat, laborare non posset ; qui etiam propter strictionem nervorum manuum solitam agilitatem amiserat, vixque poterat faucibus cibos commasticare immissos propter conquassationem ictuum quos in ipsas fauces receperat ne morderet, a nobis petita licentia cum humili supplicatione recessit.

62. Erat [2] quidam paterfamilias, Hugo nomine, cujusdam villæ Autissiodorensis diœcesis, quæ Ria appellatur, habitator et incola, disciplinis militaribus eruditus. Qui cum uxore sua Osanna cælibem ducens vitam, militiæ suæ contentus erat stipendiis, neminem concutiens, aliena nec rapere nec appetere, de rebus propriis Christi pauperibus tanquam fidelis Domini dispensator abundanter noverat impertiri. Erant siquidem ambo justi, ita ut placeret Deo vitæ eorum sinceritas et castitas conjugalis. Penes quos morabatur quidam vir qui et Hugo appellatur, quem a tenero puerili ævo alendum susceperant, prius ad ostia mendicantem ; cui non fictæ caritatis intuitu, victui et vestitui necessaria ministrabant. Qui cum usque ad illam diem qua cœpit acrius infirmari, quinque sensibus corporeis omnique agilitate membrorum pro suæ voluntatis arbitrio usus fuisset ad plenum nec ad usum illorum aliquid obstitisset, tandem Domino permittente seu dilectum sibi filium flagellante, auditum perdidit pariter et loquelam. Cum igitur esset utroque privatus, dolebat plurimum nec lacrimas ab oculis uberius defluentes poterat cohibere. Stupebat dicta matrona cum viro suo, totaque familia mirabatur quod tam repentina tamque stupenda mutatione [3] facta loquelam simul amiserit cum auditu, quem paulo ante audientem viderant et loquentem. Quia vero initio simulatio credebatur a multis, famuli et ancillæ domus captata domini et uxoris ejus absentia, quorum verebantur offensam, ad aures illius obstrictas magnis irruebant clamoribus, ut sopitum

[1] (o. n.) n. o. 3. — [2] *Deest sequentis miraculi narratio in* 3. — [3] *cod.* miratione.

in eo excitarent auditum et per punctiones subularum et acuum aliasque quamplures injurias sibi violenter illatas de ore ipsius verbum aliquod extorquerent. Videntes autem se non posse proficere, cum non tantum semel sed et pluries tentassent, ipsum turpiter et inhoneste tractando, nec aliqua nisi surdi et muti perpendere possent indicia, tandem in se reversi et veriti [1] ne propter immanitatem scelerum vel hic puniantur a Domino vel in districto examine pœnalis eorum servetur impunitas, ab injuriis quieverunt. Quadragesimali tempore, quo se quisque consuevit affligere jejuniis et orationibus vacare, sacerdoti suorum secreta facinorum revelare, ipse cum aliis Christi fidelibus peccata sua confiteri volentibus ad ecclesiam properabat. Et, ad pedes sacerdotis prostratus, humiliter, sicut idem sacerdos nobis astantibus publice confessus est, cum loqui non posset, nutu et signis se confitebatur peccasse. Insuper et omnia signa pœnitentis tum lacrimarum effusione, cum crebris gemitibus et suspiriis, cum frequenti tonsione pectoris ostendebat. Adveniente die festo resurrectionis Dominicæ, post prioris missæ celebrationem apposuit domina sibi ova et famulis suis discumbentibus, sicut in eadem die hactenus facere consuevit. Ille dominæ suæ innuenti ut pranderet, parere noluit ; sed, egressus de cœnaculo, in secretiori parte domus latuit et quod ore promere non poterat lacrimis innuebat. Quo comperto, illa quæ ad exemplum Marthæ circa frequens ministerium satagebat, illum non sine rationabili causa abstinere ab esu statim intelligens, sacerdotem consuluit quid agere oporteret. Qui panem benedictum dedit illi, veritus dare eucharistiam. Et ille pane accepto gavisus est, et exhilaratus est vultus ejus, et comedit. Quia vero aliqua de miraculis beati Willermi dicta domina fama nuntiante audierat, cogitans et esse bonum existimans adire Bituricas et ad sepulcrum sancti cum suo surdo et muto peregre proficisci, a conjuge suo licentia, prout decuit, expetita et assensu [2] ejus obtento, celeriter parabat omnia quæ necessaria erant itineri, ut in crastinum summo mane iter arriperet suorum clientium stipata con-

[1] *ita* 3; inviti 1. — [2] *ita* 3; assessu 1.

sortio; facto illico ceriali et circumdato collo Hugonis, matrona dixit quod vovebat eum ad sanctum Willermum. Ille vero extrema verba repetens, tecte loquendo subjunxit: *Ad sanctum Willermum*, et iterum obmutescens nunquam ex illa hora visus est loqui donec veniret Bituricas. Qui cum venisset ad tumbam sancti pontificis, domina sua præcedente, facto modico temporis intervallo, audiens et recte loquens ad pristinam rediit sanitatem. Turbæ circumstantes, stupefactæ ad hujus novitatem miraculi, gratias agentes glorificabant Deum qui in sanctis gloriosus extitit. Servum quoque ejus Willermum magnis efferebant præconiis et dicebant: *Bene omnia fecit, quia et surdos fecit audire et mutos loqui.*

63. Quædam mulier in parochia Sancti Pantaleonis, Bituricensis diocesis, constituta, unicum habebat filium triennem. Cujus vir, pater ejusdem [1] pueri, nuper ab humanis rebus exemptus [2] est, sola matre superstite. Quæ amisso conjuge desolata, parvulum sibi carissimum, in quo paternos vultus effuderat quique similitudinem patris gerebat expressam, tenerius educabat. Igitur cum quadam die de domo sua fuisset egressa et secus atrium domus sedisset, parvulum suum sugentem [3] ubera quem gestabat in gremio suo ponens, ecce lupus in insidiis positus, egrediens de nemore quod non longe distabat a domo, solam et absque alterius consortio mulierem reperiens nactus tempus opportunum quo rapere possit, facto impetu rapuit puerum de manibus matris ; et tanquam violentus prædo ad nemus confugiens, ac per vepres et spinas parvulum secum trahens, et circumquaque respiciens, ne videatur ab aliquo, properabat. Jamque intra densitatem nemoris innocentem traxisset [4], nisi mater cum magnis sequens eum clamoribus, beati Willermi nomen sæpius repetitum in auxilium sibi invocans, eidem sancto filium commendasset. Facta namque invocatione sancti nominis parvuloque [5] beatissimo præsuli commendato, quod mirabile est auditu, lupus tanquam intelligens alicujus jubentis parendum esse imperio, in ipsa hora inter vepres

[1] eidem 3. — [2] erreptus 3. — [3] subgentem 1; surgentem 3. — [4] *ita* 3; transisset 1. — [5] *add.* suo 3.

prædam dimisit victumque sibi alias quæsiturus abscessit. Congregati sunt vicini ad dictæ viduæ terribilis clamoris auditum, cum gladiis et fustibus irruentes, ut lupum comprehendere vel saltem prædam de faucibus ejus fortiori manu ipsis adhuc ignorantibus jam excussam, violenter possent eripere. Quorum sacerdos prævius [1], Radulfus nomine, tanquam bonus pastor quærens oviculam suam perditam, quia diligens et indefessus [2] quæsitor extitit, primus meruit invenire. Inventus est ergo puer vivus sed læsus et cruentatus, vestium tamen integritate servata. In quo maxime [3] miranda sunt opera Redemptoris, dum veste integra nec conscissa a vepribus puer vulneratus apparuit. Dependebat oculus quasi jam fere erutus et a loco suo violenter avulsus. Quem dictus sacerdos ad locum suum statim reduxit, consuens acu manu propria : et in sequenti die illius mirabiliter operante clementia qui in sanctis suis semper est mirabilis, visum recepit. Cujus vulneris cicatrices in facie circa oculum vidimus, et cum prænominato sacerdote aliisque parochianis suis super præmissis testimonium perhibentibus omnipotenti Deo et sancto famulo suo Willermo gratiarum retulimus actiones.

64. Quædam valde horribilis infirmitas quemdam sacerdotem, virum utique satis et [4] honestum et strenuum in temporalibus, repente invaserat, quæ nullo medicamine curari potest, nec ullum patiens expectat salutis remedium. Quin etiam tactus [5] omnino hominis refugit, nec se tangi patitur, unde et ex re vendicans sibi nomen et approprians, *Noli me tangere* nuncupatur. Hic autem sacerdos, Hugo nomine, capellanus erat Castri de Navis, quod ad domnum Bituricensem archiepiscopum nullo mediante pertinere dinoscitur. Cui quasi quædam verruca valde pruriginosa [6] secus nasum suborta est, in initio ortus sui admodum parva : sed, crescente pruritu processu temporis in tantum excrevit ut a læva parte totam fere faciem occuparet. Quæ adeo deturpata erat et ab insanabili morbo corrosa, ut nec auderet missarum solemnia

[1] *ita* 3 ; primus 1. — [2] (et indefessus) *om.* 3. — [3] maxima 3. — [4] *om.* 3. — [5] *ita* 3 ; tectus 1. — [6] *ita* 3 ; prurigina 1.

celebrare; nec populo cujus regimen et curam animarum susceperat, sine scandalo divina pandere mysteria, nec oves sibi commissas sicut bonum decet pastorem visitare valeret. Sicque [1] aliquandiu abstinens a celebratione missarum, secessit a conspectu hominum, in domo sua se occultans, palam egredi erubescens. Ad quem chirurgicus, circa vulnerum curationem edoctus, sectionem facturus accessit, nihil omnino proficiens sed operam impensam perdens. Venerunt et alii qui se doctiores asserebant, alia et prorsus diversa medicamenta [2] secum portantes, circa infirmum curam omnimodam adhibentes: et ipsi similiter defecerunt. Tanta namque tamque insuperabilis erat violentia hujus morbi, quod nullius medicinæ poterat evinci juvamine. Insuper et medicaminum frequens diversitas videbatur obesse potius quam prodesse, quia nihil æque impedit [3] sanitatem quam remediorum crebra mutatio. Tunc memoratus sacerdos, relictis omnibus medicis, qui non sine rubore recesserunt, sua intentione frustrati, spretoque ex illa die omni [4] hominis morituri consilio, de æterni medici salute cogitans, sciens quia [5] directa [6] salus in manu ejus qui solo sermone universa restaurat, ad cœlestis medicinæ thesauros incomparabiles animum suspendebat. Et ante oculos mentis revocans quantam familiaritatem quamque jocundam societatem cum beatissimo patre Willermo habuerat, quam benignum et affabilem se illi olim pius pastor exhibuerat, dum adhuc præsentis vitæ luce frueretur, non sine blanda mentis recreatione cœpit ex ordine recensere. Subiit namque non minima delectatio mentem de præteritorum recordatione gestorum. Hæc secum volvens, de Domini pietate nec non et antiqua beatissimi confessoris familiaritate confisus, corde contrito et humili per ejusdem sancti merita summi medici curam et salubre implorabat [7] auxilium, fusis lacrimis altius ingemiscens. Nec mora, Dominus orantem servum [8] respexit, et promissa sua complens in illo ostendere dignatus est quam fidelis sit in omnibus ver-

[1] *add.* aliqua 1, *sed redundat.* — [2] medicamina 3. — [3] *ita* 3; impendit 1. — [4] omnis 3. — [5] *ita* 3; que 1. — [6] *add.* est 3. — [7] implorat 3. — [8] *add.* suum 3.

bis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Ille petiit et accepit, quæsivit et invenit ; pulsavit ad januam [1] Salvatoris et gratis aperta est ei [2]. Ecce, quod non est impetrabile, impetrat ; quod impossibile est, potest ; quod incurabile est, curat ; quod insanabile est, sanat, si [3] in conspectu Domini cum devotionis affectu effundatur oratio, si in spiritu humilitatis aliquid petiturus precator accedat. Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum verum est. Oratione completa, statim fugienda ab omnibus et a nullo unquam gratanter admissa fugatur infirmitas, cara omnibus et amplectanda redit sanitas ; cedit omnis pruritus et in loco corroso facta est carnis generatio, locum vacuum replens : nulloque morbi vestigio deinceps comparente, absque aliqua vultus deformitate infra breve tempus æger ad plenum convaluit.

65. Quædam mulier vidua, de Liriaco, Rocelina nomine, unicam habebat filiam. Quæ cum decimum ætatis suæ annum nondum complesset, illius providentia disponente qui ait : *Percutiam et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere*, subito irreparabile damnum cæcitatis incurrit. Cumque esset omnino visu [4] privata et apertis oculis nihil videret, nulla tamen in illis lippitudo, nulla prorsus macula apparebat. Protestabatur publice Joannes canonicus Liriacensis et presbyter cum aliis viris et mulieribus fide dignis, quod quando dicta cæca, quæ paulo ante erat videns, matre sibi ducatum præstante gradiens ingrediebatur ecclesiam beati Martini, non longe a materna domo distantem, pedes suos ad gradus ecclesiæ crebrius offendebat, et eidem post lectum evangelium offerre volenti, ne deviaret, manum obviam ad oscula [5] porrigebat. Adiit ergo mater cum filia Bituricas, quam ad manum trahens, ad sancti pontificis Willermi tumulum introduxit et moram faciens in eodem loco per octo dies pro salute filiæ suæ sine intermissione orabat, a tumulo sancti aliis recedentibus non recedens, sed cum omni devotione auxilium pii patris implorans. Adveniente die qui

[1] *add.* misericordiæ 3. — [2] *om.* 3. — [3] *om.* 3. — [4] (o. v.) v. o. 3. — [5] obstacula ?

ab adventu ejus nonus [1] poterat [2] computari, de salute filiæ jam desperans [3], et quasi tædio jam affecta recedere voluit, adhuc cæca filia permanente. Et conversa ad tumulum, credens se spe sua omnino frustratam [4] veræ tristitiæ nec simulati signa doloris insinuans, coram omni populo, qui causa orationis hora matutinali solito more convenerat, in hæc verba prorupit : *O beate pater Willerme, quo se vertet ancilla tua, quæ te semper et absque aliqua* [5] *simulatione dilexit ? Ut quid dereliquisti me desolatam, et omni consilio penitus destitutam ? Ecce per novem dies pulsavi ad ostium clementiæ tuæ nec aperire dignatus es. Invocavi auxilium tuum, nec fuit qui adjuvaret. Quæ nunc est expectatio mea, domine ? Recedam, quia avertisti* [6], *ut credo, aurem tuam ab orationibus meis. Multiplicavi orationem meam, et exaudire noluisti. Verumtamen adhuc obsecro, clementissime pater, illumina oculos filiæ meæ, remota omni caligine cæcitatis. Præsta illi auxilium gratiæ tuæ, et quod peccata mea fortassis impediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Recordare verbi tui quod in corde meo abscondi, quod tenaci memoriæ commendavi, quod inter cetera vitæ æternæ verba, quæ olim mihi et aliis Christi fidelibus proponebas, humiliter protulisti : “ Orate pro me pastore vestro, oves meæ, quia pro vobis oro. Vos autem, o viduæ, præcipue vos exhortor quatinus oretis pro me, ut* [7] *et ego orem pro vobis ad Dominum. „ Ego quidem ex illa die pro te oravi, pater ; sed necdum agnovi virtutem* [8] *orationis tuæ mihi in aliquo profuisse.* Vix verba finierat, exclamavit ejus filia et dixit : *Ne timeas, mater, exaudita est oratio tua. Confortare ergo, et confide in Domino, quia cum essem cæca, modo video.* Quo audito mater exhilarata cucurrit ad eam, et cognito quod videret, eo quod mittebat filum per foramen acus, statim a se tristitiæ nubem abjecit. Conversus est dolor in gaudium, planctus in risum, mœror in exultationem. Congratulabatur ei turba quæ aderat populi circumstantis, et omnes una voce laudabant Deum et magnificabant opera ejus, qui magnus est et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus [9] non est finis.

[1] *ita* 3; non 1. — [2] potuit 3. — [3] (j. d.) d. j. 3. — [4] *ita* 3; frustratem 1. — [5] ulla 3. — [6] *ita* 3; advertisti 1. — [7] *om.* 3. — [8] *ita* 3; virtutis 1. — [9] *add. ex* 3.

66. Q
moram fecera
borabat, sicut medi
adstruebat [2] opinio. Sed,
firmitas, subortum erat aposto
igneo rubore circumquaque perfusum
bus [3] perpendi poterat conjecturis, de acc
stione procedens et ex ejusdem corrupti humoris
compactum, totum etiam guttur penitus occuparat,
dum non in recta locutione verba proferret, recte in
non posset, lingua tanquam palato seu faucibus adhæ
Cibum quoque nec sumere nec masticare poterat, nec
aliquid liquidum deglutire; quin immo per os immissu
tim per nares rejicere cogebatur. Cumque propter tum
faucium, strictionem gutturis, arteriarum læsionem,
meatum liberum non habente, respirare vix posset, c
aeri [5] via fere esset præclusa, jamque proximus esset
tioni, sicut postmodum ab eodem referente didicim
clauso ostio intra cubiculum mentis orare ad patre
cordiarum et Deum totius consolationis, ut consola
in tanta tribulatione et a tam gravi ac intolerabili
curare misericorditer dignaretur. Multos enim
qui sibi memoriæ occurrebant, se devotis precibus
pro salutis remedio memorabat, sed nec tunc mer
Tandem inspirante eo cujus spiritu mortui revi
currit ei memoria sancti Willermi, cui tanqu
pastori suo, sicut ab eodem spiritu suggerente
debuit commendare. Divina quippe providentia
luntas, ut per illius merita curaretur, qui cu
viveret in carne susceperat. Cum igitur se in
beatissimo præsuli commendasset, cereale
Quo facto et ad collum [7] circumvoluto, in i
per os saniem copiosam, cujus fœtorem inte
non poterant circumstantes. Qui continuo su

[1] *squinatico* 3. — [2] *ita* 3; *abstruebat* 1. — [3] *visibilibus* 3.
[5] *ita* 3; *acri* 1. — [6] *etiam* 3. — [7] *ejus add.* 3.

num vigorem rediit, gratias agens Deo, qui est benedictus in secula [1].

67. Quoniam [2] enumerare longum est nec omnino tacere possumus ea quæ non solum ad sepulcrum beati Willermi, verum etiam in diversis regionibus ad invocationem sancti nominis ipsius [3] singulis diebus fiunt miracula; non singula generum, sed genera singulorum [4] paucis verbis expeditius transcurramus. Cæci vident, claudi ambulant, hydropici curantur, surdi audiunt, muti loquuntur, obsessi a dæmoniis liberantur, aperiuntur carceres, vincula solvuntur, letali vulnere sauciati sanantur, mortui suscitantur. Alii [5] epileptico [6] morbo laborantes, alii occulto dolore viscerum afflicti, alii omni membrorum [7] officio privati et quasi truncus immobiles effecti, alii tetra dæmonum effigie visa in stuporem capitis aut in alienationem mentis repente conversi, per virtutem sancti præsulis pristinæ restituti sunt sanitati. Aliorum sanguinis fons restingitur, aliis dolor dentium mitigatur; ab aliis maculæ corporis et impetigines recedunt, nullo deinceps vestigio comparente; alii in puteos corruentes, alii in fluvios et gurgites aquarum demersi, alii a muris corruentibus [8] obruti, alii præcipitati ex alto [9], invocato sancti Willermi nomine, nullam vel modicam membrorum læsionem senserunt; alii a serpentibus læsi sanantur, alii propinato sibi letali poculo non læduntur: nam veneni malitia et virtus virtute sancti pontificis effugantur. Nonnulli parvuli rapti a lupis et intra densitatem silvarum deportati, parentibus eorum ipsos beato viro commendantibus expleto biduo vel triduo cum [10] ipsis luporum fetibus [11] illæsi inventi sunt. Quidam vero secus materna ubera suffocati, et ab ipsis matribus circa eorum custodiam negligenter agentibus in somnis oppressi, ad invocationem sancti nominis revixerunt. Bruta etiam animalia, quod mirabile est auditu, ab iis quorum erant pio commendata pastori, a [12] variis infir-

[1] seculorum amen. *add.* 3. — [2] sed quoniam 2. — [3] (in-ipsius) ad invec. nom. ejus in div. reg. 2. — [4] (g. s.) s. g. 2. — [5] (Alii epileptico-revixerunt) *om.* 2. — [6] epilentio 1, epilentiloco 3. — [7] (o. m.) m. omnium 3. — [8] (alii in fluvios-corruentibus) *add. ex* 3. — [9] (p. e. a.) e. a. p. 3. — [10] ab 3. — [11] faucibus 3. — [12] *om.* 2.

mitatibus curata sunt, quoniam cura erat ei de omnibus. Multi adversitatis tempore fracti molestia, etiam [1] desperationis in foveam fere lapsi, dum pii patris eisdem occurrit memoria dulce consolationis remedium se invenisse lætantur. Quacumque fuerint homines infirmitate detenti, aut in quocumque periculo constituti, si sanctum [2] Willermi nomen, amabile angelis, terribile et exosum dæmonibus, humiliter ac devote invocaverint, a [3] malis omnibus liberati, sentiunt adesse virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto [4] vivit et regnat Deus [5] per [6] omnia secula seculorum. Amen.

III. CANONIZATIO SANCTI GULIELMI.

68. Igitur hæc et alia miracula quæ scripto commendare nostroque tractatui inserere supersedimus, ne tractatus prolixior fastidium paret auribus auditorum, a venerabili patre Willermo, Autissiodorensi episcopo, et religiosis viris, Willermo videlicet Boni Radii et Petro Calloniensi, abbatibus Cisterciensis ordinis, interposito testium fide dignorum juramento, diligenter examinata, in scriptis redacta et sigillorum eorumdem fuerunt munimine roborata. Fuerat quippe prænominatis patribus utpote his, qui magni nominis viri et summæ opinionis in Gallicis partibus habebantur, a beatissimo papa nostro Honorio, qui tunc apostolicæ sedis gubernacula [Deo] dante susceperat, eorumdem miraculorum nec non vitæ et conversationis beati patris Willermi examinatio commissa.

69. Igitur examinatione de mandato summi pontificis super vita, conversatione ac miraculis beatissimi patris Willermi, Bituricensis archiepiscopi, tam solerter quam fideliter facta, per venerabilem patrem Willermum, Autissiodorensem episcopum, et religiosos viros, Willermum Boni Radii et Petrum Calloniensem, abbates Cisterciensis ordinis, solemnes nuntii [7]

[1] *om.* 2. — [2] sancti 2. — [3] (a mal. l.) *om.* 3. — [4] (c. P. e. S. s.) *om.* 3. — [5] *om.* 3. — [6] in 3. — [7] nutu 1.

Bituricensis ecclesiæ, quæ circa exaltationem pii patris et patroni sui infatigato spiritu semper erat intenta, acceptis scriptis et apostolicam sedem celeriter accedentes, summo pontifici humiliter supplicabant, instantissime postulantes quatinus servum Dei Willermum sanctorum annumerare collegio apostolica dignaretur auctoritas. Et tradentes ei scripta, multis allegationibus affirmabant ipsum ob sanctitatis ejus merita, cujus miram odoris fragrantiam [1] subsecuta declarabant miracula, sanctorum catalogo debere ascribi [2], Et ut ad consequendum voluntatis suæ propositum ipsius animum facilius inclinarent, ad frugem intentionis suæ colligendam, toties iterati laboris immensitatem, fatigationem itineris, prædonum incursus et multiformia maris discrimina prætendebant.

70. Quorum magna cum devotione instantiam pater et pastor universalis attente considerans, scripta eorum sub sigillis inclusa, apertione facta coram fratribus distincte fecit legi et relegi. Et ut cum ipsis tractatum pleniorem haberet, aliquamdiu vota eorum suspendit. Exultabat quoque uberius, quod lucerna tam mirifice ardens et lucens inventa erat ad occiduas partes illuminandas. Cumque necessaria maturitate per aliquot dies suspensa fuisset petitio eorumdem, eo quod hujusmodi judicium divinum sit potius quam humanum, difficile est mortalem hominem judicare de illis qui veste mortalitatis exuti cum Christo creduntur vivere ac regnare, demum ipsis propter miraculorum frequentiam petitionem prædictam humiliter replicantibus, ne ministerium suum divinæ dignationi mirificanti suum subtrahere videretur, et ne illos longa expectatio trucidaret, statuit eis brevem diem, in quo de consilio fratrum pariter et assensu [3] in ipso negotio Domino annuente procederet.

71. Venerat in illis diebus ad sacrosanctam apostolorum principis sedem quidam vir venerabilis, decanus de Boemia, missus a suo archiepiscopo ob quasdam consuetudines in ecclesiastici juris injuriam in illa provincia a suo principe

[1] flagrantiam 1. — [2] abscribi 1.— [3] assessu 1.

introductas, per apostolicam jussionem, si quomodo fieri posset, eliminandas. Hic autem decanus laudabile testimonium habens ab his qui eum noverant, quamvis esset de barbaris nationibus oriundus, ubi hominum assueta et innata atrocitas mansuescere nescit, erat tamen justus et timoratus, exspectans liberationem ecclesiæ suæ quæ ab iniquo illius provinciæ tyranno afflicta erat admodum et oppressa. Pro cujus tuitione libertatis ut [1] ipsam a jugo tyrannicæ servitutis eriperet, et ne sceleratis principis legibus subjaceret, jam diutinam in curia moram fecerat, ut jura ecclesiæ illibata conservet, quorum mutilationem, zelo justitiæ velut alter Phinees exardescens, pati non poterat. Cum igitur quodam sero in ecclesia beati Petri orasset causamque suam potentissimo regni cœlestis clavigero non sine lacrimarum rivulis commendasset, ad hospitium reversus, intransque cubiculum membra diurno labore defessa dedit sopori. Et ecce quidam vir in somnis apparuit, cujus facies resplendebat ut sol, vestimenta vero illius candida erant sicut nix. Et vocans eum nomine quod sibi ex officio competebat [2], dixit : *Decane, quid turbaris de negotio tuo? Acquiesce consiliis meis, et expedietur in brevi. Dic sæpe et sæpius in memoriam et honorem beati Willermi, Bituricensis archiepiscopi, illum psalmum qui dicitur, Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, et ea quæ sequuntur usque ad finem psalmi. Quo dicto diligenter et attente, dic insuper orationem illam, Exaudi, Domine, preces nostras quas in sancti Willermi, et cetera.* Cui ille videbatur hujusmodi dare responsum : *Domine, nescio quis sit ille sanctus Willermus, de quo loqueris mihi, nec nomen civitatis ejus agnovi.* At ille nihilominus præmissa verba ex ordine replicans, iterum hortabatur ut diceret. Propterea adjecit quod ille erat sanctus qui infra triduum sanctorum catalogo per apostolicum examen debebat ascribi. Comminabatur illi etiam quod, nisi acquiesceret ejus consilio, non sine confusione, negotio suo imperfecto, ad patriam remearet. Expergefactus decanus a somno, surgens sedit in

[1] in 1. — [2] oppetebat 1.

lecto, aliquantulum ex ipsa visione turbatus, et omnia quæ sibi dicta erant seriatim commemorans, archidiaconum ecclesiæ suæ, qui cum ipso pro eodem negotio Romam venerat, in eodem thalamo secus se dormientem protinus excitavit, secretorum ejus conscium, laborum et tribulationum participem, sollicitudinum et curarum consortem. Et in primis de visione subticens persuadebat ei, quatinus ad matutinales horas decantandas consurgerent. Sed advertens [1] archidiaconus quod nondum hora tempestiva venerat ad surgendum, cum necdum gallus cantasset, nimis præproperum esse innuebat. Intelligens autem ex eo quod horam surgendi anticipare volebat, illum ex aliquo accidenti solito amplius esse turbatum, sciscitabatur ab eo interrupti [2] soporis causam, et qualiter se haberet. Ille ad interrogata semiplene respondens, ait : *Visum est mihi quiescenti in stratu meo quemdam apparuisse in candido habitu, loquentem mihi. Sed vereor plurimum ab insidiantis inimici phantasia me fuisse illusum; scio namque me non esse meriti tam præclari, quod Dominus ac redemptor noster, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, mihi servo suo indigno aliqua de secretis cœlestibus revelare dignetur.* Cui archidiaconus statim subjungens ait : *Dormite, domne mi, et requiescite, quoniam revera non est visio sed illusio.* Cumque iterum obdormisset, ecce ille idem vir qui sibi apparuerat ipsa similitudine et eodem schemate, cum eorumdem replicatione verborum, sicut et in primo visu apparuit, ei loquens et ut omnia memoriter teneret ac diceret crebro exhortans, si suum vellet negotium celeriter expediri. Addidit etiam denuo comminationes, constanter asserens quod male illi succederet, si acquiescere nollet. Ille universa quæ audierat conferens in corde suo, cito surrexit, et horis matutinalibus decantatis summo mane adiit Pragenum episcopum, virum utique discretum, providum et honestum, quodam sibi vinculo familiaritatis astrictum. Cui vocato seorsum omnia quæ viderat secretius intimavit, sub clave confessionis eidem inhibitionem faciens,

[1] avertans l. — [2] interruptis l.

quatinus nemini diceret visionem istam, quousque necesse esset eam revelari.

72. Accidit autem eo tempore ut is qui universalem regebat Ecclesiam super negotio beati Willermi deliberationem haberet cum fratribus. Quorum consilium fuit ut omnes episcopi et archiepiscopi qui præsentes erant Romæ, vocarentur, quatinus cum majori solemnitate et maturitate consilii statueretur, quidquid statuendum esse censerent. Quibus accitis et ad consilium suum admissis, dum gloriosissimi patris miracula legerentur, subiit mentem Prageni episcopi visio sæpedicti decani sibi pridie clanculo declarata. Et intelligens quod quæ in aure audierat jam necesse erat prædicari super tecta, noluit amplius tacere, sed surgens stetit in medio eorum et ea coram omnibus compendiose narravit, personam decani ex antiqua sibi familiaritate agnitam valde commendans. Sed quoniam delectabilius erat audire ex ore illius cui facta erat revelatio secretorum cœlestium, dulciores namque ex ipso fonte bibuntur aquæ, accersitus est decanus. Qui cum ingressus fuisset, vultu rubore perfuso humilem verecundiam protestante, primum trepidans expavit, causam suæ vocationis ignorans. Quem beatissimus papa intuitus et vultui ejus inhærens propius accedere jussit. Et adjuratus ab eo per catholicæ fidei unitatem, cujus potentissimus princeps apostolorum primum jecerat fundamentum et adhuc gubernator existit, quatinus eorum quæ vidit et audivit veritatem indicet, visionem ipsam semel et secundo sibi ostensam cœpit ex ordine propalare. Erat autem multitudo sanctorum patrum attentis auribus audiens quæ dicebantur ab illo, et præ gaudio commoti ad lacrimas mirati sunt universi, gratias Deo agentes, qui sanctum suum Willermum clarificare dignatus est.

73. Quorum devotioni clementissimus pater et vicarius Christi, qui non lacrimas poterat continere, gratanter assurgens, benedixit Deum et ait : *Scimus quidem, fratres carissimi, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Vere Dominus promissionum suarum non immemor, lucernam suam non per-*

misit abscondi sub modio, sed statuit eam super candelabrum et in medio domus suæ, ut qui ingrediuntur lumen videant. Ex his ergo quæ vestra meruit audire fraternitas, si dignum esse censetis, absque dubietatis scrupulo pronuntiare possumus, hunc bonum virum sanctorum collegio annumerari debere, cujus merita sanctitatis tot et tanta miracula circumquaque prædicant et declarant. Qui jocundum et facilem [cum] præbuissent assensum, surgens cum illo sanctissimo comitatu suo secessit a loco, ad alium locum spatiosum et ampliorem se transferens, in quo super arduis negotiis diffinitivam solitus erat proferre sententiam. Cumque sedisset in sede majestatis suæ, congregata multitudine cleri et populi, qui de diversis nationibus convenerant, indicto silentio inquisitorum litteras et ea quæ super miraculis beati viri confecta fuerant scripta, iterum produci in medium atque iterum in pleno jussit consistorio solemniter recitari. Quibus distincte perlectis, gratias agens et benedicens Deum dixit : *Vere laudandus et glorificandus est verus* [1] *iste israelita in quo dolus non erat, quoniam factus est angelorum concivis* [2], *apostolorum socius et prophetarum consors, collega martyrum, confessorum similis et virginum coheres, patriarcharum decus et præsulum gemma. Et si electi dicantur pauci respectu multitudinis vocatorum, non est tamen aliquatenus dubitandum quin ex tanto fidelium numero eligatur maxima multitudo : unde et prophetæ conquerenti se solum esse relictum, omnibus aliis interemptis, est responsum a Domino, Reliqui mihi decem millia virorum qui ante Baal genua non curvaverunt; et beatus evangelista Joannes cum revelatum sibi numerum signatorum ex duodecim tribubus conspexisset, vidit turbam magnam quæ dinumerari non poterat, amictam stolis candidis, tenentem palmas in manibus coram Deo. Porro justus et misericors Dominus fideles suos quos prædestinavit ad vitam, omnes quidem coronans in patria, quosdam eorum secundum altitudinem divitiarum sapientiæ suæ ac misericordiæ glorificat et in via, ut frigescentem jam in pluribus caritatis igniculum accendat mirabilium novitate suorum, et*

[1] vir 1. — [2] conscius 1.

pravitatem confundat hæreticam, dum, ad catholicorum tumulos faciens miracula pullulare, manifeste demonstrat eos habuisse dum viverent fidem rectam. Ipso igitur piæ recordationis Willermum, Bituricensem archiepiscopum, quem in vita non solum virtutibus sed etiam signorum ostensionibus insigniverat, faciente post obitum crebrioribus miraculis coruscare, venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii canonici Bituricenses ipsum per apostolicam sedem ascribi sanctorum catalogo instanti devotione ac devota instantia multoties petierunt. Cum igitur sanctitatem[1] *morum et signorum ejus virtutem ad favorem petitionis, pro qua dictæ ecclesiæ nuntii solemnes, una cum episcopis et prælatis ejusdem provinciæ aliisque quampluribus vehementius institerunt, concurrere videamus, divinum et humanum secuti judicium, de fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem, nec non cum archiepiscopis et episcopis existentibus ad sedem apostolicam, quos*[2] *ad consilium nostrum admisimus, de divina misericordia et ejusdem sancti meritis confidentes ipsum catalogo duximus ascribendum, statuentes ut in die depositionis ipsius ejusdem festivitas devote a Christi fidelibus annis singulis de cetero celebretur.* Quo dicto sublevatis oculis et ad sidera manus tollens, alta voce laudes Domini inchoavit, circumstante clero exultantitibus animis decantante, et easdem cum magni clamoris jubilo finaliter prosequente. Demum illam eamdem orationem quam præfatus decanus de Boemia a cœlesti nuntio edoctus fuerat, sicut superius prælibavimus, in honorem beati Willermi dicendam, cum quanta potuit vocis exaltatione et mirabili devotione subjunxit. Nos igitur, fratres dilecti, oves pastorem sequamur, filii patrem imitemur, discipuli salubria magistri documenta servemus, ut ipsum itineris ducem, æternæ hereditatis consortem, pium apud Deum pro nostris reatibus intercessorem habere mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

[1] sanctitate l. — [2] quod l.

IV. MIRACULA POST CANONIZATIONEM.

74. Erat vir in territorio Borbonensi, Petrus nomine, non infimis exortus natalibus, militiæ præclarus officio, facultatibus locuples et vita fidelis. Hic autem graviter infirmabatur, continuæ febris intolerabili passione laborans. Quem febrilis calor non exiguus nec declinationem suscipiens, sed augmentum, octo jam diebus totidemque noctibus indesinenter [1] afflixerat, naturæ vires paulatim enervans. Et ut frequenter solet fieri in hujusmodi passione laborantibus, nunc caput inordinate [2] agitans, nunc oculos huc et illuc terribiliter volvens, nunc frontem manu jam exsangui [3] tangens, dolorem capitis non mediocrem frequenti tactu insinuabat. Nunc projectis quibus operiebatur ad provocandum sudorem vestibus, reliqua membra nocivo aeri exponens, et de loco ad locum refrigerandi causa transferri se faciens, artusque tot et tantis defessos [4] laboribus blando sopore nunquam reficiens, se ipsum pati non poterat. Tanta namque erat vis [5] morbi, tantaque distemperantia [6] caloris intrinseci, cujus non minima pars exterius erumpebat [7], quod qui in tanto discrimine de peccatis suis dolere debuerat, commissa flere, indulgentiam a Domino pro excessibus humiliter postulare, sui prorsus immemor et quid agere oporteret ignorans, nec pro salute sua salutis actorem invocans, nec sanctorum implorans suffragia, nec de perennibus gaudiis cogitans, nec suppliciis æternis perterritus, stupidus stabat et attonitus : alio dolore præventus et omnino absorptus [8], qui totum sibi spiritum vendicans, in ipso lacrimarum rivulos desiccabat, nec cor scindi ad pœnitentiam, nec lingua solvi poterat, ut oris confessio fieret ad salutem. Idem miles paulo post mirabiliter et miraculose sanatus, sicut inferius dicturi sumus, sæpius et publice protestatus est, quod tunc temporis præ [9] magnitudine doloris sibi videbatur quod iniqui tortores oculos sibi erue-

[1] indesignanter 1. — [2] inordine 1. — [3] exangui 1. — [4] defossos 1. — [5] vix 1. — [6] distamperantia 1. — [7] erumpat 1. — [8] absortus 1. — [9] pie 1.

rent cum acutissimis subularum vel clavorum cuspidibus. Cum igitur fuisset tanto tempore et tam iniquo labore turbatus, ut etiam alienationem mentis plerumque incurreret, ille qui salutem omnium desiderat et neminem vult perire, quique Ezechiæ in extremis agenti super dies ejus quindecim annos misericorditer adjecit, huic etiam famulo suo misertus est abundantia pietatis suæ, et merita ipsius excedens et vota. Et quemadmodum misericors Dominus per Isaiam prophetam dicto regi nuntiavit, se vitæ illius spatium ampliasse, sic et istum per sacerdotem, qui curam ejus gerebat, visitare et consolari dignatus est, salutem pollicens si consiliis ejusdem patris et pastoris sui obtemperare festinet. Adveniens itaque sacerdos visitationis causa, tanquam spiritualis medicus missus a Deo, primo de statu ægrotantis ab his, quos noverat esse de domo et familia ipsius, quique illum servaverant diebus ac noctibus excubantes, diligenter sciscitatus est. Demum ad ipsum ægrotum accedens facto santæ crucis signaculo, dexteram suam super eum in modum benedictionis extendit. Et ut sopitam in ipso memoriam excitaret, in hæc exultationis verba prorupit: *Fili mi carissime Petre, evangelizo tibi gaudium magnum quod erit omni populo, ubicunque christianæ religionis palmites pullularunt. Gaudendum quippe est et exultandum, quoniam beatissimus pater et pastor noster Willermus ob sanctitatis suæ merita, quæ virtutum signa et miracula subsecuta declarant, a sanctissimo papa Honorio, de communi fratrum suorum consilio, sanctorum catalogo annumerari voluit et ascribi. Scire etiam te volo me redisse Bituricis, ubi convocatis clero et populo civitatis in medio ecclesiæ protomartyris Stephani audivi legi publice litteras apostolicæ sedis, continentes sublimationem, gloriam sancti præsulis et honorem. Emanavit insuper mandatum apostolicum ad omnes provincias quatinus dies depositionis ejus a Christi fidelibus cum gaudio celebretur. Vidi etiam in ipsa ecclesia cum omni apparatu festivo, quem in tantæ primordio solemnitatis fieri decuit, divina officia cum hymnis et canticis, nec non et sacra missarum solemnia in honore sancti confessoris, sicut in die Natalis Domini exultantibus animis celebrare. Cum igitur ipsum*

semper habuimus patrem propitium, nunc autem celæstem medicum animarum et corporum, nam, et quod mirabile est auditu, multi in multis locis ad solam invocationem sancti nominis ipsius quotidie sanantur a languoribus suis. Acquiesce, fili, consiliis meis, et te ipsum huic sancto patri nostro ex omni devotione commenda, et liberaberis ab infirmitate tua. Hæc et hujusmodi suluberrima sacerdotis verba patienter audiens is qui se ipsum pati non poterat, altius ingemiscens infremuit spiritu, et devotionis ardor lacrimas obtulit, quas negabat infirmitas. Nec mora uxore et clientibus suis [1] vocatis, duo cerealia fieri, unum quidem magnum et procerum ad dimensionem corporis, aliud vero circulare et sphæricum capiti circumvolvi ac postmodum Bituricas ad tumulum beati Willermi statim deferri præcepit, ejusdem sancti orationibus tribulato spiritu jugiter se commendans. Mira res et temporibus nostris maudita, sed relatione digna. Audistis sæpe, fratres carissimi, cum evangelium legeretur, socrum Petri, quæ tenebatur magnis febribus, sanatam a Domino. Qui cum imperasset febri, dimisit eam, et continuo surgens ministrabat discumbentibus. Simili modo imperante illo, qui imperat ventis et mari et obediunt ei, factis cerealibus in ipsa hora æger ad plenum convaluit, omni imbecillitate deposita pristinis viribus corporis in integrum restitutis, ac si nullam passus fuisset infirmitatem. Nam ut comprobaretur redditæ sanitatis effectus, surgens de lecto nullius ope sustentatus, cunctis ammirantibus et in stuporem conversis, indumenta corpori assueta, pedibus calceamenta strenue et studiose adjecit, qui circa familiaris rei negotia ex eadem hora sollicitus esse potuit et intentus. Adiit ergo vir ille festinanter Bituricas et ad sepulcrum beati Willermi provolutus, oratione completa, clero et populo circumstantibus universa quæ sibi acciderant seriatim narravit. At ille de his quæ audierant ammirantes, unanimiter, quasi ex uno ore, laudabant, et magnificabant Deum, qui facit mirabilia magna solus, quique sanctorum suorum splendor est mirabilis.

[1] uxorem et clientes suos 1

75. Vir quidam epilentico laborans, cujus nomen nostræ memoriæ non occurrit de finibus Italiæ egressus [1] est, patriam et cognationem suam relinquens : qui ab amicis et notis videri erubescens, inter ignotos latere elegit, aspectus suorum fugiens, ne infirmitas ejus paucis agnita, abominationem generans et notam incurrens infamie, crebescente fama de die in diem ad notitiam plurium perveniret. Et quia spectabilis genere, maluit spontaneum subire exilium, pauca de facultatibus propriis secum portans, quibus miseram vitam mediocriter sustentaret, ne genus ejus confunderetur in ipso, posteritas damnaretur infamia ac perpetuum civium suorum sustineret opprobrium. Ubicumque enim apprehenderet eum infirmitas, stridebat dentibus, oculos in obliquum vertebat, et elisus in terram volutabatur spumans, multum se lanians et discerpens. Et frequenter in ignem et in aquam sese projiciebat, ac si immundus spiritus exagitaret eum, ut ipsum perderet. Itaque omnium sanctorum loca visitare, et eorum maxime diligens esse studuit perscrutator, in quibus operante divina clementia signa et miracula frequentius fieri noverat ex auditu. Nec se prius ad propria proposuerat rediturum, donec infirmitatis suæ salubre remedium invenisset. Cum igitur ad imploranda sanctorum beneficia de quorum signis et virtutibus fama celebris habebatur, non solum finitima sed et remotiora [2] loca percurrisset, salute nondum adepta, tandem ad beatissimi patris nostri Willermi tumulum Domino ducente pervenit. Quem cum magna devotione deosculans et amplexans, multa cœpit lacrimarum effusione rigare, preces humiliter Altissimo effundere, vigiliis et orationibus vacare, ut optatam mereretur percipere sospitatem. Cumque per aliquot dies ibi [3] moram fecisset, tandem misericors Dominus et benignus respexit afflictionem servi sui, qui respicit in orationem humilium et non sprevit preces eorum. Et qui dixit, Percutiam et ego sanabo, servum suum percussit et sanavit, non tamen in una hora, nec in ictu oculi, sed sicut saluti ejus noverat expedire. Nam qui qualibet die ac

[1] ingressus 1. — [2] remoriora 1. — [3] *add.* per 1.

nocte septies ab infirmitate vexari consueverat, ne inter flagella deficeret, aliquantulum recreationis et quietis dedit ei ille a quo omne datum optimum et omne donum perfectum; illi septenario detrahens quod præviderat esse detrahendum, de vicibus unam in una dierum, alteram altera die tollens; sicque sequentibus diebus de reliquis novimus esse factum : ita quod crescente patientis devotione, salus augmentum, declinationem suscepit infirmitas, et decurso unius septimamæ spatio omnino convaluit et ad propria remeavit, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui dilecti sui Willermi merita manifesta fieri voluit in terris, quem sibi sociare dignatus est in cœlis, qui cum Patre et Filio [1] et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

[1] *sic.*

PASSIO SANCTI EPHYSII

MARTYRIS

CARALI IN SARDINIA.

De sancto Ephysio martyre egerunt Bollandus et Henschenius ad diem 15 Januarii. Sancti martyris Acta e Sicilia ad Heribertum Rosweydum transmissa, ibidem dederunt (1). Ea Acta, quæ, uti ipsi opinabantur, ab Octavio Cajetano retractata fuerant, Marcum quemdam presbyterum profitentur auctorem. Maluerant Marci primigeniam narrationem, sed eam nondum habere potuerant. Insuper accurate notarunt hæc quæ daturi erant S. Ephysii Acta plane similia esse Actis S. Procopii, quæ deinceps inter *Acta Sanctorum* ad diem 8 Julii impressa fuere (2). Postea e codicibus Romanis Bibliothecæ Vaticanæ primigeniam illam quam illi desideraverant, prædecessores nostri narrationem acceperunt, monueruntque lectores suos ad diem 28 Maii, inter prætermissos in sancto Juvenali, se eam Marci lucubrationem in Supplemento daturos. Latuere interim hæc Acta, quæ illi genuina et integra æstimabant, in scriniis. Quæ nunc *Analectis* inserimus, non quod ea tanti facimus quanti fecerunt illi, sed ne pereant; simulque ut, fideles instituto nostro, scriptionem primigeniam auctoris lectorum oculis subjiciamus, cum iteratis curis sequioris ætatis comparandam. Sequitur ergo Passio S. Ephysii martyris ex apographo nostro, descripto, uti in margine adnotatur, ex codice Vaticano n° 6453.

1. In tempore illo, regnante Diocletiano impiissimo atque crudeli et omni idolorum culturæ dedito, facta est ecclesiis christianis valida persecutio, ita ut per totum mundum edictum Diocletianus poneret, ut nullus auderet Christum nominare, et omnibus mitteret christianis, quatenus pacifice derelinquerent ecclesias Christi, et diis suis atque idolis culturam venerabiliter exhiberent : et vita illorum christianorum, qui hoc facere vellent, in pace finiretur; sin autem, tormentorum variis generibus puniretur. Hæc itaque dissensio prima descripta est adversus ecclesias Christi in toto mundo, ut derelinquerent christiani Christum colere, et sub imperio Diocletiani idolorum cultoribus se sociarent, quatenus omnes terrarum nationes essent unius culturæ,

(1) *Act. SS.*, tom. I Jan., p. 998. — (2) Tom. II Julii, p. 556.

et omnium ipse dominaretur. Et misit Diocletianus hujus dissensionis primam epistolam ad Æliam civitatem, hæc verba continentem : *Rex magnus et imperator Diocletianus, omnibus populis et tribubus et linguis salutem. Placuit excellentiæ nostri imperii deorum nostrorum ampliare et honorificare culturam, quoniam ipsi sunt per quos mundus regitur totus. Quicumque ergo in fide illius Galilæi inventi fuerint permanere, aut diis nostris thura ponant et sacrificent, aut atrocissimis consumentur pœnis. Nolumus enim varios sacrificiorum ritus fieri, ne forte dii nostri irascantur, cum debeant misereri. Una erit omnibus lex et cultura, una doctrina atque religio una, et nullus a nostra separabitur fide. Si quis ergo inventus fuerit, cui hæc nostra displiceat epistola, et quæ in ea præcipimus noluerit adimplere, quicumque fuerit punietur, et nostram dominationem in toto mundo fieri cognoscet. Nam qui dixerint, Quia christiani sumus, et deorum culturam affirmabunt nullatenus esse tenendam, sicque nostris obedire noluerint præceptis, omnibus quæ excogitari possint subjicientur tormentis. Qui vero ex ipsis ad nostrorum convertentur magnificam deorum culturam, de nostro accipient palatio auri et argenti plurimum. Hoc autem ideo facimus, quia deos nostros propitios habere volumus, et, ut nostro propitientur imperio, eos exaltare cupimus. Et quoniam cum festinatione partibus vestris appropinquare disposuimus, propter imperii nostri celsitudinem et debitam nostrorum deorum reverentiam exsurgentes, sacrificia ponite, thura incendite, festa celebrate, quatenus eorum claritas et potestas in finem usquequaque permaneat, et nostri altitudo imperii.*

2. His ita descriptis atque imperialibus jussis per epistolam populo supradictæ civitatis transmissis, parvo temporis spatio interposito, Antiochiam adiit civitatem. Exierunt autem ei obviam homines civitatis illius utriusque sexus et ætatis, cum tympanis et choris et omni genere musicorum, et introduxerunt eum cum gaudio magno, cantantes atque lætantes. Altera vero die, imperator fecit ad se vocari omnes primos civitatis illius et honorabiles viros. Quibus et dixit : *Quam fidem colitis ?* Responderunt illi et dixerunt : *Deorum qui permanent semper, Apollinis scilicet, Jovis et Mercurii, Saturni, Minervæ et Junonis, ceterorumque numinum.* Tunc Diocletianus, hilaris nimis effectus pro illorum fide, diis suis gratias egit, et donis amplissimis viros civitatis Antiochiæ exaltavit.

3. Tempore autem illo erat quædam femina, nomine Alexandria, nobili genere procreata et prima civitatis supradictæ Æliæ, græca utens lingua. Cujus vir, nomine Christophorus, Christi fide imbutus fuerat; ipsa tamen idola surda et vana colebat. Hæc ergo mulier audiens Diocletianum Antiochiam advenisse, cum unico filio suo, nomine Ephyso, venit ad eum. Quam cum imperator vidisset, interrogavit sibi assistentes unde ipsa esset mulier; illi autem qui nove-

rant eam, responderunt quod nobilis et sapiens mulier esset, et prima civitatis Æliæ. Et imperator iterum interrogat eos, dicens : *Habet virum, aut cujus est religionis ?* Responderunt illi : *Domine imperator, vir ejus mortuus est, et fuit unus ex colentibus Christum ; sed hæc mulier nostræ est religionis et omnia numina nostra colit.* Tunc imperator audiens hæc, gavisus est ; et jubens propius accedere Alexandriam, dixit ei : *Mulier, quid quæris ?* Alexandria respondit : *Rex magne et imperator, in æternum vivas. Veni ad imperii vestri celsitudinem, quo totus floret et regitur mundus. Habeo siquidem hunc unicum filium, nomine Ephysum, quem ad vos, domine imperator, adduxi, ut in vestro sit conspectu unus ex assistentibus miles.*

4 Quem Diocletianus videns decorum aspectu atque formosum et juvenilis ætatis flore lucentem, læto animo apud se recepit, et adeo cœpit diligere quod magnam partem sui exercitus illi concessit, et in Italiam ad christianos puniendos eum direxit. Tunc Ephysus imperatori dixit : *Audivi, domine imperator, quod illi qui Christum adorant magis eligunt mori quam Christum quem colunt derelinquant.* Tunc Diocletianus respondit, dicens : *Nulla ratio videtur esse cur Christus debeat dici Deus. Cum enim a principibus Judæorum reus mortis judicatus fuisset et ante Pilatum eorum præsidem flagellatus, sputis et colaphis et corona spinea delusus, et tandem in cruce suspensus et mortuus fuerit, patet Christum non fuisse Deum : qui de tantis injuriis et de crucis supplicio se ipsum non potuit liberare. Proinde in illum credentes poteris rationabiliter confutare ; et nisi ad deorum nostrorum culturam redierint, juste poteris damnare.*

5. Ephysus itaque, acceptis militibus et licentia ab imperatore, valefaciens matri et omnibus notis, adversus christianos in partes Italiæ ad locum qui dicitur *Transci* se contulit ; et cum præ nimio ardore solis non in die, sed in nocte equitaret, pervenit Vrittaniam : cui omnes populi obviam exeuntes, devote eum salutabant et suscipiebant. Cumque adhuc longe esset ab Vrittania, quasi stadiis triginta, hora noctis tertia factus est sonitus magnus valde et terribilis nimis super eos, ita ut efficerentur quasi mortui ; et vox de cœlo sonuit, dicens : *O Ephyse, unde venis, vel quo vadis ?* Ephysus autem nimium perterritus, dixit : *Ab Antiochia civitate venio, et filius sum Alexandriæ, primæ Æliæ civitatis. Diocletianus vero dedit mihi potestatem in terra Italiæ adversus christianos, ut eos multis pœnis afficiam, si diis omnipotentibus sacrificare noluerint.* Voxque iterum de cœlo audita est : *O Ephyse, et tu per martyrii palmam ad me huc venies.*

6. Ephysus vero respondit : *Quis es, domine ? Ostende te mihi, ut videam magnitudinis tuæ potentiam.* In ipsa autem hora apparuit ei crux in similitudine crystalli, et vox de cœlo audita est : *Ego sum Christus, Filius Dei vivi, quem crucifixerunt Judæi, quem tu persequeris.*

Dicit ei Ephysus : *Domine, audivi Diocletianum dicentem, quod a principibus Judæorum damnatus et multis opprobriis delusus fuisti, et postremo crucifixus, et in cruce mortuus fuisti. Si ergo filius Dei eras, cur ista sustinuisti ?* Dicit ei Dominus : *Ephyse, ab hac hora vas mihi electionis eris, et ego ostendam tibi hæc omnia. Dico tamen tibi quia, nisi omnia quæ dixisti patienter sustinuissem et judicatus ab impiis, qui judicare debeo, non fuissem, quæ prophetæ prædixerunt adimpleta non essent et a captivitate diaboli humanum genus eripi non posset ; et nisi in ligno crucis suspensus fuissem, patriarchæ et prophetæ de inferni claustris non exiissent ; et nisi mortem gustavissem, qui mortui erant peccatis ad vitam redire non possent.* Audiens autem hæc Ephysus, gaudio repletus est magno. Et adjecit Dominus, et dixit ad eum : *In virtute crucis quam tibi ostendi vinces omnes inimicos tuos, et pax mea semper tecum erit.* Et hæc dicens receptus est cœlo.

7. Ephysus vero, confortatus in Domino, retulit militibus suis omnia quæ audierat; similiter et omnes qui cum eo erant corroborati, dederunt gloriam Deo. Nocte autem insecuta, ingressus est Ephysus Gaietam; et convocans ad se omnes civitatis artifices, interrogavit eos si aliquis eorum vas sibi necessarium faceret. Illi autem, timentes ne de cruce eis diceret, dixerunt se illud non posse facere. Tunc Ephysus vocavit ad se quemdam, nomine Joannem, quem audierat peritum esse magistrum in auro et argento; et demonstravit illi crucem, quam habebat in dextera manu, ut ad illius similitudinem crucem sibi diligenti componeret studio. Quam Joannes videns, tremefactus et nimio pavore perterritus affirmabat se nullam in hac arte habere scientiam. Affirmabat etiam quod Galilæi et Christum colentes credebant hoc esse salutis signum, et quod Diocletianus præcepisset hoc signo utentes interfici variisque tormentorum generibus affligi, et quod nullo modo, si faceret, abscondi [posset]. Tunc Ephysus ducens eum secum in locum secretum, rogavit ut nullo timore conturbaretur, quia et secretum teneret et Diocletianus nequaquam sciret; et dans sibi aurum atque argentum multosque promittens honores, non permittebat abire, nisi prius quod volebat operaretur.

8. Annuens autem Joannes, operatus est ex auro et argento quod sibi Ephysus dederat pretiosissimam crucem. Cumque consummata esset crux in nocte atque erecta, tres in ea apparuerunt imagines litteris descriptæ græcis : in titulo superiori *Emmanuel,* in dextera crucis parte *Michael,* in sinistra *Gabriel*. Videns itaque Joannes tres illas imagines, perterritus nimis crucem et ejus imagines destruere laboravit ; sed minime quod voluit perficere valuit, quia Dei voluntati contraire non potuit. Veniens ergo Ephysus ante gallorum cantum, alterius noctis silentio, ad domum Joannis videre quam fecerat crucem, invenit tres illas imagines in cruce depictas. Unde admirans

valde dixit Joanni: *Quid est hoc, frater? Nonne dixi tibi ut crucem mihi tantum faceres, et alias nullo modo figuras? Unde hoc habuisti, vel quis docuit te talia facere?* Respondens autem Joannes dixit: *Domine mi, cruce in nocte absconse fabricata et coram* * *altera erecta, in ea tres quas vides apparuerunt imagines, me omnino ignorante quis eas ibi posuerit.* Tunc Ephysus, hoc evenisse Dei voluntate intelligens, tulit secum quam Joannes fecerat venerabilem crucem, et adorans eam magno amore, fusisque ante eam plurimis lacrimis, post orationem diligentissime involvit eam in purpura. Gaudens itaque Ephysus plurimas Deo gratias retulit, et de ipso opere crucis Joannem artificem dignissime remuneravit.

* *add. ex conjectura.*

9. In diebus autem illis quidam hostes Romani imperii quasdam Romanorum invaserant provincias, et tam viros quam mulieres et omnia quæ poterant captivaverant. Quo Ephysus audito per nuntios, nimium dolens ex eo quod acciderat, cum militibus suis contra illos perrexit, portans secum mirificæ crucis vexillum, et dicens in corde suo: *Nunc probabo si hoc signum quod mihi ostensum fuit ad auxilium, has barbaras gentes subvertet, ut per illud feliciter vincam.* Et ex equo descendens, atque cum honore et reverentia in loco sublimi sanctam collocans crucem, adoravit eam, flectensque genua sua ante eam orientem versus, cum lacrimis dixit: *Fiat mihi, Domine, in auxilium promissio tua, et spes mea quam habeo in te. Tu es enim Christus, Filius Dei vivi, quem credunt et adorant Galilæi. Per te ergo et per signum sanctæ crucis tuæ, gentes has, quæ in sua feritate confidunt, comprime atque prosterne.*

10. Orante vero eo cum lacrimarum multitudine, de cœlo ad eum vox facta est, dicens: *Ephyse, ne timeas, viriliter age et confortare. Ego enim sum Dominus Deus tuus.* Audiens autem hæc consolationis verba Ephysus, corroboratus valde, mansit intrepidus. Et exsurgens, atque nobilitatis quam prius deposuerat vestem reinduens, ad suos cum festinatione reversus est, dixitque illis et ceteris qui ad eum venerant et [quos] ad pugnam invitaverat: *State, fratres mei, viriliter a dextris meis et a sinistris, et pugnate adversus inimicos nostros. Deus enim nobiscum est, qui per sanctæ ac vivificæ crucis signum nobis victoriam præstabit. Denudate ergo gladios vestros, et percutite inimicos nostros, et eos nullo modo timeatis.* Illi autem corroborati et confortati, atque sanctæ crucis signo confidentes, corde ac mente unanimes iniere certamen. Saraceni vero omnia dimittentes, projectis armis et perditis viribus, fugere circumquaque cœperunt, et cunctam quam asportaverant prædam perdiderunt, et ex eis in illa die duodecim millia ceciderunt. Hæc omnia adeo acta prospera, et per virtutem sanctæ crucis factum est ut neque Ephysus neque aliquis ex suis militibus caderet vel vulneraretur.

11. His ita gestis, credidit omnia Ephysus quæ sibi de cruce Dominica promissa fuerant, ac fide divina armatus et ex Christi baptismate consecratus, nullam ulterius idolis vanis, mutis et surdis exhibuit reverentiam, et victor in omnibus existens, quotidie divinis intentus erat Scripturis. Reminiscens interea beatus Ephysus barbaricæ gentis quæ Sardiniam insulam tenebat, et quam illis diebus audierat crudelem esse et impiam omnesque devastantem terras atque provincias, militum multitudinem atque virorum belligeratorum congregavit exercitus; intransque navigium, usque ad insulam optime aptatus pervenit Sardiniam. Tunc gens illa barbarica volens illis resistere, usque ad mare se contulerunt obviam illis, et bellum iniere cum ipsis; cumque Deo concedente non valerent pugnare, terga dederunt atque ad propria redierunt.

12. Tempestas maris interea exorta est valida, ventusque validus naves Ephysi suorumque militum duxit ad terram, numero quindecim; sed in nulla earum, Deo volente, Ephysus fuerat. Barbari autem stantes in littore eos tenuerunt, et quotquot in navibus invenerunt trucidaverunt. Beatus vero Ephysus clamorem populi audiens, suosque magna ex parte mortuos esse cognoscens, perterritus nimium Dei misericordiam postulabat, cordeque contrito et humiliato Dominum exorabat : *Non me, Domine, tempestas aquæ demergat, neque me profundum absorbeat, neque super nos urgeat puteus os suum. Non me derelinquas, Domine, ne barbarica gens exaltetur, et dicant : Ubi est Deus eorum ? Sed intende de cœlo et vide, et ne patiaris nos fluctibus maris opprimi : Sed fac illud placidum et quietum : quia tu es gloriosus nunc et semper, et per omnia secula seculorum.* Hæc autem eo orante, facta est tranquillitas magna, et a fervore suo cessavit mare.

13. Ephyso vero et ceteris qui remanserant inde navigantibus et Deo eis propitio quietum mare habentibus, venerunt usque ad fluvium, in locum qui Arvorea nuncupatur. Et intrantes fluvium, descenderunt in terram ipse et milites sui, cum equis et omnibus quæ secum deferebant, quasi stadiis tribus. Deinde exierunt milites, ut considerarent terram illam et quid facere possent investigarent. Barbari interea eis obviam venerunt; sed illi ex illis quosdam occiderunt, quosdam vero manibus post tergum ligatis ad ipsum Ephysum, cognomine stratilatem perduxerunt. Et quos captos habebant, quomodo vocaretur locus ille interrogabant; dicebant autem locum illum nominari Arvoream.

14. Sequenti vero nocte, cum se Ephysus sopori dedisset, Christus Jesus, mundi salvator, sibi apparuit, dicens : *Gaudium tibi sit semper.* Et adjecit : *Viriliter age, et confortetur cor tuum.* Exsurgens autem a somno et formidine mortis abjecta, dixit militibus suis : *Nolite timere.*

Probavit enim nos Christus, pro genere humano crucifixus; nunc autem eum nobiscum permanere scitote. Pergamus tantum, et consideremus terram. Abeuntes vero, ad locum qui Tirus dicebatur pervenerunt: et ecce barbari viri iniqui veniebant, pugnare parati et eos vincere sperantes. Factum est autem, dum utriusque partis gentes magno clamore sibi invicem appropiarent, vidit beatus Ephysus ad dexteram suam in orientis parte virum eunucho cubiculari ac palatii primo similem, in equo albo sedentem, et in dextera manu sua rompheam utraque parte acutam tenentem et desuper sanctæ et vivificæ crucis similitudinem portantem. Dixitque ad beatum Ephysum: *Hoc venerabile signum regis est omnium hominum;* et invicem se salutaverunt. Tunc Ephysus, de equo descendens et arma bellica exuens, adoravit eum pronus in terra, cœpitque eum interrogare de rege de quo sibi mentionem facere paulo antea disposuerat. *Rex ille,* respondit, *de quo me interrogas, misit me in adjutorium tibi, cum romphea quam manu mea gestare cernis, in qua cunctos vinces inimicos et barbaros. Cumque eam acceperis et cum ea tibi resistentes prostraveris, memor illius qui tibi mittere eam curavit semper eris.* His ita dictis, in manu sancti Ephysi posuit eam, dixitque ei: *Sequere me.* Beatus vero Ephysus sequebatur eum. Cumque barbari ad prælium parati, hominem illum eunucho similem et beatum Ephysum viderent, timor eos incomparabilis apprehendit; et terga vertentes, fugere cœperunt undique confusi. Beatus autem Ephysus persecutus est eos cum suis militibus, prostravitque eos, victoria sibi de cœlo subministrata per angelum: et sic omnibus superatis, dominatus est in tota terra illa Sardiniæ, atque omnia barbarorum colla suæ ditionis jugo supposuit.

15. Caralis autem tempore illo civitas magna, populo et divitiis florens, non adeo barbaris moribus utebatur. Ad quam beatus Ephysus pergens, evulsis de illius populi corde zizaniis, vitæ semina serere non cessabat. Cognoscens autem se in omnibus Deum propitium et protectorem habere et in virtute sanctæ crucis inimicos vincere, Diocletiano per unum ex militibus suis, strenuum et præclarum virum, misit epistolam hæc verba continentem: *Diocletiano magno imperatori, Ephysus dux. Cum imperii vestri sapientia, tanta ac talis fieri debuisset, ut per eam totus nitesceret mundus, miror valde quare tam turpes colitis deos, qui, ex quocumque metallo fabricati, nec sibi nec aliis proficere possunt, quorum capitibus stercora aves cœli projiciunt, quorum oculi non vident, aures non audiunt, manus non palpant, pedes non ambulant. Hos tales deos dicere sapientia Romana non debet, sed Christum verum Deum esse credere debet, qui omnia creavit ex nihilo. Unde, imperator, imperii vestri celsitudo omni remota ambiguitate cognoscat me colere ipsum Christum, Filium Dei vivi ipsumque adorare, et ab ejus fide nulla me posse amplius ratione divelli.*

16. Misit præterea beatus Ephysus quemdam de militibus suis ad matrem suam, qui nuntiaret se atque suos, per gratiam Dei et per virtutem sanctæ crucis contra Romanorum hostes victores extitisse et barbarum populum Sardiniæ superasse, seque christianum per divinam gratiam factum fuisse. Quod mater audiens, tristis nimium effecta, ad Diocletianum imperatorem perrexit, plorans et dicens : *Rex, in æternum vivas. Sapientiæ vestræ celsitudo per universum rutilat orbem, ac imperii vestri moderamine totus regitur mundus, nullusque esse cognoscitur, qui deorum sacra contemnat vel qui religioni vestræ contradicat. Solus filius meus, magus atque galilæus effectus, numina nostra evacuat vestraque præcepta non curat. Jubeat ergo clementia vestra aliquem ad filium meum mitti, ut a stultitia et falsa doctrina resipiscat, et deos quos orbis Romanus colit, venerabiliter colat.*

17. Imperator ergo cum ista audisset et epistolam beati Ephysi perlegisset, turbatus et nimio furore repletus est. Et consilio cum suis accepto, unum ex militibus suis, nomine Julicum, vocavit, constituitque eum judicem, ut christianos affligeret in partibus Caralitanæ regionis consistentes. Cui et dixit : *Accipe tecum istius civitatis honorabiles viros, et hanc nostram potestatis epistolam habens, ad Caralim, civitatem Sardiniæ, quantocius perge; Ephysum vero, Alexandriæ nobilis filium, apprehende et variis tormentorum generibus, si non resipuerit, interfice. Audivimus enim quod errat in fide et nostros vituperat deos, quorum virtute ac potestate regnamus, et credit in Christum crucifixum, quem Judæi multis ac variis tormentis illusum crucis patibulo affixerunt. Hunc deserere et nostra colere numina si voluerit, in nostro gloriosior conspectu, donis etiam et divitiis ac honoribus magnificentior erit; si vero ad nostræ sapientiæ magnitudinem redire noluerit, omnem honorem ab eo tolle, et omnia ei tormentorum genera ostende, et omnia ejus membra, nisi diis sacrificaverit, dilacerare stude, ut ceteri qui sectæ illius doctrinam tenuerint, timeant et talia ulterius non committant.*

18. Tunc Julicus judex sicut imperator præceperat perficere non distulit, et cum viris fortissimis atque nobilibus quos Diocletianus dixerat, Caralim civitatem adiit. Cumque terram lustrarent, misit judex de militibus suis unum, qui diceret ad Ephysum : *Mittit tibi judex, quoniam illo major es. Ad te cupit venire ; videre ac salutare, ac debitam persolvere reverentiam festinat.* Ephysus autem ut veniret annuit. Cumque se alterutrum salutarent atque in osculum ruerent, confabulari de multis sicut est consuetudo, cœperunt. Judex tandem causa notificata ad quam venerat exercendam, dedit Ephyso epistolam quam secum detulerat legendam. Ephysus autem, lecta epistola, indignatus ait : *Stulti et fatui regis præcepta neque sunt facienda nec etiam auscultanda. Unde scias quia christianus sum et Christo servio, ac Diocletiani præcepta viliter sperno, ejusque epistolam pedibus meis con-*

culco. Tunc judex dixit ei : *Imperator in palatio suo te majorem vult facere divitiisque et honoribus ampliare. Crede tantum, et sacrifica diis. Regi enim necessarius es. Ideo præcepta ejus ne contemnas.*

19. Respondit Ephysus : *Sacrificium immaculatum quotidie offero Domino meo Jesu Christo, et ejus præcepta custodio ; minas vero Diocletiani non curo. Audivi enim Scripturam sanctam dicentem : Nolite timere eos qui occidunt corpus, quoniam animam non possunt occidere; sed eum potius timete qui potest et corpus et animam perdere in gehennam. Ecce corpus meum : omnes pro Christo sustinere pœnas paratum est.* Judex dixit : *Noli talia loqui. Compatior enim plane, quia meus es amicus, omnia quæ loqueris.* Respondit beatus Ephysus : *Dixi tibi quia christianus sum et ejus crucem die noctuque adoro qui habet super omnem carnem potestatem, et super omnes judices terræ et super reges et principes.*

20. Tunc judex una cum militibus suis furore et ira succensus, jussit eum ligari, ac ligatum in custodia carceris mancipari. Altera autem die, sedens pro tribunali, jussit eum in conspectu suo sisti ; et dum ante eum ligatus astaret, ecce Caralitanæ civitatis populi, qui idolorum cultores extiterant, vociferantes clamabant illum esse deorum suorum dissipatorem et blasphematorem, ac regis præceptis non inclinare cervicem. Hæc autem judex audiens, torvo vultu et nimia iracundia succensus atque a diabolo exagitatus, fustibus eum ante se mactari præcepit, et tamdiu quousque sexdecim militum manus mutatis vicibus lassarentur. Videntes itaque qui astabant populi beatum Ephysum juvenili ætate florentem et ejus pulchritudini compatientes, præ dolore nimio flebant. Quibus beatus Ephysus dixit : *Viri patres ac fratres, nolite super me flere, sed super vos, qui diaboli estis errore decepti, et quorum animæ, nisi convertamini, erunt in æterna damnatione.* Et orans dicebat : *Domine Jesu Christe, qui errata corrigis et elisa redintegras, tu sis in adjutorium mihi, et corrobora me, servum tuum, quatenus conculcare valeam omnem diabolicam artem.*

21. Milites vero qui secum antea fuerant, quousque ejus finem viderent ab eo non discedebant. Carnifices interea cum uncinis ferreis carnes ejus dilacerabant, ita ut ejus costæ ceteraque ossa nudarentur et dicerent eum mortuum esse : ipse vero erat spem habens in Domino, cui quotidie famulabatur. Et carnes ejus et nervi vix jam videri poterant, quoniam in terram defluxerant ; vox ejus tantum in oratione consistebat. Jussit iterum judex eum in carcerem trudi, quoniam advesperascebat, et qualiter eum igne cremaret cogitabat. Tunc caplicarius, Terrentianus nomine, qui suus ante fuerat amicus et nobilis valde, memor illius collegit eum solus ac involvit in sindone, et posuit in carcere clausitque ostia carceris, et ministravit ei. Statim autem angeli a Deo missi sunt, beatumque Ephysum visitantes dixe-

runt : *Nos sumus angeli missi a Deo ad consolandum te.* Dixit eis beatus Ephysus: *Si angeli a Deo estis missi, sanctæ et vivificæ crucis imprimite signum in frontibus vestris. Quod si feceritis, credam verum esse quod dicitis.* Angeli vero ita facerunt. Beatus itaque Ephysus dixit eis : *Scio quia tribus pueris in caminum ignis missis atque in eo orantibus missus est angelus Domini de cœlo, qui ignis flammam extinxit ; sed ego quid operatus sum boni, ut ad me mitteret Dominus angelos suos ?*

22. Angeli autem hæc audientes, deprecati sunt Dominum ut beato Ephyso seipsum dignaretur ostendere. Apparuit itaque Dominus ei, nimio in carcere coruscante splendore, et erigens eum sanum dixit ad eum : *Nec timeas, serve meus Ephyse, neque tyranni minas expavescas, quoniam ego tecum sum et non te deseram. Viriliter age, et confortetur cor tuum. Tu autem in hoc loco multum mihi populum acquires, atque innumeras congregabis oves.* Tremefactus itaque beatus Ephysus nimioque pavore exterritus, in terram cecidit, et oravit dicens : *Dominator Domine, cui nullus resistere potest, secundum multitudinem miserationum tuarum miserere mei, et ne memineris iniquitatum mearum antiquarum. Respice in me, Domine, quoniam tu me creasti atque te cognoscere mihi dedisti. Delicta ergo juventutis meæ, quibus te irritavi teque graviter offendi, ne recorderis, piissime Deus.* Dixitque ei iterum Deus : *Pax tibi, Ephyse, dulcis amice. Confortare, et viriliter age : accipies enim coronam vitæ, et per martyrii palmam gloriam consequeris æternam.* Et hæc dicens ascendit in cœlum.

24. Paucis itaque diebus transactis, misit unum ex ministris suis judex ad caplicarium Terrentianum, ut, si adhuc viveret Ephysus, interrogaret eum. Tunc caplicarius Terrentianus ea omnia quæ in ipso carcere evenerant retulit. Abiit autem minister ad carcerem et inclinans se ut videret beatum Ephysum, vociferando dixit ad eum : *Ephyse.* Et ipse respondens dixit ad eum : *Ecce ego.* Minister vero dixit ei : *Non possum te videre.* Respondit Ephysus : *Quoniam diaboli sagitta cor tuum vulneravit et idola vana et surda coluisti, cæcus eris, et me videre non poteris, et in tenebris eris et in tenebris ambulabis.* Rediens autem minister nuntiavit omnia judici et senioribus quæ dixerat ei beatus Ephysus.

25. Sedens itaque judex pro tribunali jussit beatum Ephysum præsentari in conspectu suo : et dum prætorium ingrederetur beatus Ephysus, facies ejus splendebat sicut sol, et nulla tormentorum macula suo corpori adhærebat. Videntes autem populi Caralitanæ civitatis mirabilia quæ Deus per servum suum operatus fuerat, quasi ex uno ore clamabant : *Deus sancti hujus, adjuva nos.* Tunc judex audiens clamorem populi et ejus tumultum ferre non valens, cum festinatione a throno surrexit, et manu annuens voce magna dixit : *Fratres mei carissimi, a fide vestra quam usque modo tenuistis extra-*

nei nequaquam efficiamini: in istum etiam, qui insanus effectus est, credere nolite. Scitis enim et deos nostros esse felices et cuncto mundo auxilium præstantes, quos imperator et omnis excolit orbis. Ipsi vero hunc servum suum Ephysum plasmaverunt, et ut ad sensum redeat eum sanum fecerunt.

26. Sanctus vero Ephysus clara voce dixit: *Dominus meus Jesus Christus, unigenitus Dei Filius, secundum carnem de virgine natus et pro humani generis redemptione crucifixus, plasmare me ad imaginem suam dignatus est, non dii tui lapidei vel ex quocumque metallo facti, de quibus Scriptura dicit quia surdi sunt et vani. Sed, si vis, tuorum ingrediamur templa deorum, et quis me ex ipsis plasmaverit deus cognoscamus, et isti in quem credere debeant populi videamus.* Tunc judex gaudio magno repletus, jussit scopis mundari terram, a prætorio usque ad Apollinis templum, ac sindones ac mollia stramenta super eam projici, ac Ephysum desuper ire. Mulieres vero super murum deambulantes, ad Ephysum, ad Apollinis templum euntem, voce magna clamabant: *O Ephyse dux, quoniam honorabilis es filius mulieris, convertere et sacrifica diis.* Pars etiam populi gaudens similiter dicebat. Omnes autem, viri et mulieres, pueri et senes, simul cum judice gaudentes et alacres Ephysum sequebantur ad Apollinis templum.

27. Cumque ad templum simul omnes pervenissent, dixit beatus Ephysus judici: *Placeat tibi, judex, et diis tuis, ut ad eos prius ingrediaris atque sacrifices eis, ut de tuo gratulentur adventu et honore.* Tunc judex nimium gaudens introivit in templum, et voce magna ad Apollinem dixit: *Magne deus Apollo, et o vos, omnia omnipotentissima numina, ecce Ephysus, servus vester, ad vos venit, sacrificare vobis. Suscipite ergo deprecatione mea servum vestrum, atque cum illo gaudentes misericordiam sibi vestram impendite: vos enim estis qui miseremini ad vos redire volentibus.* Et exiens de templo, dixit ad Ephysum martyrem: *Ingredere, Ephyse, deorum dulcis amice: dii enim te expectant recipere et tibi indulgentiam præstare.* Audiens autem beatissimus martyr judicem talem ex ore suo blasphemiam proferentem, et jam ulterius ejus iniquitatem ferre non valens, contra eum dixit: *Pereas tu et dii tui, et omnes qui illos colunt.* Ad hanc vocem febris valida apprehendit eum, ita ut se mori existimaret; templum vero totum cum omnibus idolis ruere cœpit. Tunc judex nimio pavore exterritus atque proximum morti se fieri non dubitans, mox ingressus cum militibus suis navem, ad propria redire non distulit, et dereliquit ibi vicarium, nomine Flavianum, in impietate et nequitia similem.

28. Statim vero beatum martyrem Flavianus ad se præsentari præcepit; quem blandis ac deceptoriis alloquens verbis, dixit: *Redi*

ad mentem sanam, Ephyse, et ab hac stultitia mentem tuam averte, ut imperatoris dona atque honores percipias nullasque tormentorum pœnas incurras. Sacrifica nunc diis, et eorum amicus eris ; a me quoque qnidquid volueris impetrabis. Si autem quæ dico adimplere nolueris, diversis tormentorum generibus punieris. Beatissimus vero martyr dixit ad eum : *Miror te, rationabilem virum, ad tantam insipientiam devolutum ut credas me vel per blanda verba vel per tormentorum minas a Deo vivo et vero separari, et diis tuis surdis et vanis, manibus hominum fabricatis, quacumque promissionis blanditiis sociari. Non enim est hominis sensum habentis, ligna et lapides colere vel pro auro et argento Dominum cœli derelinquere. Ego autem adoro Dominum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et sanctæ ac vivificæ crucis venerabile signum.*

29. Hæc sancto martyre prosequente, fulgur de cœlo emicuit, et facies ejus sicut sol lucens splenduit in conspectu nequissimi principis et militum. At illi, nimio pavore perterriti, dixerunt ad invicem : *Dignus est mori.* Unus autem ex militibus, nomine Archelaus, principem salutavit, et ut gladio suo caput martyris truncaretur confortavit. Cumque gloriosissimus martyr sententiam decollationis audisset, concurrit gaudens ad spiculatorem, et cervicem extendens spiculatorem ut feriret hortabatur. Cumque spiculator in altum manum erigeret, cecidit gladius de manu ejus, et eum ulterius erigere non valuit. Videns autem Flavianus et qui cum eo erant quæ fiebant, dixerunt : *Catenas in collum ejus mittite, et in custodia carceris ponite; quid vero postea sit faciendum de eo, inveniemus.* Beatissimus autem Christi martyr Ephysus gaudens ibat ad carcerem, catenis constrictus maximis. Cumque carcerem fuisset ingressus, posuit genua sua in terram, et oravit dicens : *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui totum mundum illuminasti et per crucem tuam a potestate diaboli liberasti, ne derelinquas me usque in finem. Et nunc, Domine, gratias ago tibi, quoniam tu me creasti et me peccatorem ad te convertisti. Tu enim omnes peccatores qui ad te redeunt recipis, et qui a via veritatis errant illuminas et exaudis. Et nunc, Domine, exaudi me, servum tuum, et perfice in bonum desiderium meum, ut merear introire in regnum tuum.* Hæc autem eo orante, facta est ad eum vox de cœlo, dicens : *Pax tecum, Ephyse, serve meus carissime. Scias quia tecum sum ego, et non deseram te, quia multa pateris pro me [et] adhuc patieris.*

30. Post octo itaque dies sedit Flavianus pro tribunali, jussitque in conspectu suo beatissimum Christi martyrem sisti. Cui et dixit : *Antequam carnes tuas ignibus tradam, sacrifica diis.* Beatus autem martyr respondit : *Ecce, corpus meum in tua est potestate. Fac quod vis et noli tardare. Regnabo enim ego cum Deo meo in æternum, et tu miser cum diabolo cruciaberis sine fine.* Perfidus Flavianus dixit : *Vana verba*

tua atque inepta ferre non valeo; quia per magicas artes tuas de spiculatoris manu gladium corruere fecisti: unde ego et milites mei admirati et stupefacti sumus. Jam desine, stulte, a vanitatibus tuis; cito enim videbis omnia membra tua dissolvi et carnes tuas uncinis ferreis lacerari. Audiens autem hæc beatissimus Christi martyr Ephysus talia minantem, magis in Domino confortabatur, pro nihilo ducens pœnas sibi promissas; et dixit ad Flavianum: *Audi, fili diaboli. Non timeo tormenta a te mihi promissa. Tu vero cum diabolo, patre tuo, in æternis incendiis permanebis et pœnis. Habeo enim regem cœli, Dominum Jesum Christum, qui te et patrem tuum diabolum in inferno alligabit, et ignem semper ardentem sine fine sustinebitis.* Iratus vero Flavianus dixit: *Per multa te tormenta faciam diis nostris sacrificare.* Beatissimus autem martyr respondit: *Sæva bestia et agrestis, cur talia minaris? Cur velut canis ad nihilum profanum os tuum aperis? Nec te nec deos tuos timeo; ignem, ferrum, catenas et omnia tormenta tua non expavesco.*

31. Flavianus dixit: *Corpus tuum certe igni superponi faciam, et vulnera vulneribus imprimentur; resinam, picem, oleum et omnem pinguedinem subministrare faciam, et cum forti aceto omnia aspergi corporis tui vulnera.* Tunc jussit ministris ut eum in pavimento extenderent et sicut dixerat omnia perficerent; et in manu ejus munera ad sacrificandum idolis ministri posuerunt, perficientes omnia, sicut eis imperatum fuerat. Tunc beatissimus Christi martyr Ephysus, quasi duabus horis in pavimento consistens, et de manu sua posita munera projiciens, in virtute sancti Spiritus omnia tormentorum genera devicit, et dixit: *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicos;* et iterum: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Tunc Flavianus et omnes astantes beato Ephyso martyri dixerunt: *Quid dicis, miser? quid loqueris? quare plangis?* Respondens autem beatissimus martyr dixit: *Propter peccata mea plango, ne forte animam meam impediant, quoniam multa mala commisi: unde corpus meum lutum et pulverem conspiciens, si pro Deo centies posset occidi, pro animæ salute plurimum lætarer. Dæmones enim in animarum perditione valde congaudent, quibus tu ad exurendum perpetuo sociaberis.*

32. Tunc Flavianus in carceris ima eum catenis constrictum trudi præcepit. Altera autem die sedens pro tribunali, eum ad se adduci præcepit, atque manus ejus extendi et conteri jussit, ne forte lapidem aut aliqua arma ferre valeret, quousque omnia sibi excogitata tormenta inferret. Accepto tandem consilio, clibanum miræ magnitudinis accendi præcepit et flammis exurentibus igniri mandavit, atque dilectum Deo martyrem in eum projici jussit. Gloriosissimus vero martyr, se sanctæ et vivificæ crucis signo muniens, decantabat dicens:

Igne me examinasti, Domine, et non est inventa in me iniquitas ; tanquam aurum in fornace probasti me, Domine. Et nunc, Domine, clementiam tuam peto, ut, qui liberasti tres pueros de camino ignis ardentis in Babylone, eruas me de medio istius ignis ardentis, ut gentes istæ videant mirabilia tua et glorificent nomen tuum in secula seculorum. Hæc eo in medio ignis orante, illæsum eum divina gratia conservavit, et de clibano flamma exiens ministros Flaviani, qui prope astabant, in ictu oculi exussit.

33. Omnes itaque populi qui ad hoc spectaculum astabant, stupefacti clamabant ad Flavianum, dicentes : *Dimitte eum cito ; quoniam, nisi cito eum dimiseris, moriemur.* Tunc civium pars maxima voce magna clamabat : *Et nos christiani sumus, et ejus crucem sanctam adoramus ; imperatoris etiam præcepta et suorum sacrificia deorum respuimus et anathematizamus ; et, o sanctissime pater Ephyse, dux noster, tecum pro nomine Jesu Christi parati sumus mori.* Hæc autem audiens Flavianus impiissimus, timor in eum mortis decidit ; surgensque a throno exivit de prætorio, dissensionem civium ferre non valens. Quidam enim ex ipsis clamabant virum sanctum et justum, vitæ æternæ et felicitatis perpetuæ ostensorem, non debere talia pati ; alii vero e contra ferventes, imperatoris præcepta atque sacrificiorum ritus non debere contemni affirmabant.

34. Alia autem die Flavianus impiissimus tribunal sibi parari præcepit ; et consilio transacta nocte accepto, ascendit super illud, ac decollationis sententiam contra Christi martyrem posuit, quam scribens sic exorsus est fari : *Ephysum rebellem, nostris diis credere nolentem eorumque sacrificia per superbiam respuentem, imperatoris atque totius orbis religionem vanam putantem, nostris precibus aures suas nullo modo inclinantem, honores et hujus vitæ gaudia pro nihilo habentem, contumelias, derisiones, opprobria, vincula et carceres pro Galilæo illo libentissime patientem, capite truncari præcipimus.*

35. Ministri vero eum accipientes, adduxerunt eum in locum qui dicitur Nuras, in quo qui capite plectebantur constitutum fuerat decollari. Et dum ad locum pervenisset, dixit spiculatori beatissimus martyr : *Frater, si tibi placet, antequam me decolles, da mihi orandi inducias.* Spiculator autem dixit ei : *Ora quantum vis.* Intendens itaque beatissimus martyr in cœlum, expandit manus suas et hanc fudit orationem ad Dominum : *Domine Jesu Christe, qui ante mundi principium de Patre genitus, per uterum intactæ virginis Mariæ in hunc mundum venire dignatus es et homo fieri propter nos et propter nostram salutem, et Deo Patri obediendo pro nobis mori non recusasti, resurrexisti autem propter gloriam nostram et sedes a dextris virtutis Dei, et es nobiscum, sicut ipse promisisti, usque in finem seculi, dabisque nobis post diem judicii corporis et animæ beatitudinem, exaudi orationem meam,*

et auribus tuæ pietatis percipe lacrimas meas, et propitius esto mihi. Concede itaque, Domine, ut martyrii mei cursum feliciter consummem, quod pro te libenter excipio. Adsit mihi misericordia tua ; nullum impedimentum patiatur anima mea ; humani generis inimicus non appropinquet mihi, atque inimica manus non me contingat. Peto etiam, Domine, ut hanc Caralitani populi ab hostium incursu custodias civitatem ; et ut desinant idola colere et dæmonum figmenta respuant, et cognoscant te, verum et vivum Deum, Jesum Christum Dominum nostrum. Quicumque vero ex eis ægri fuerint, ad locum in quo meum corpus depositum fuerit si pro recuperanda cura salutis advenerint, vel si aliquo modo fluctibus maris ultra posse constricti extiterint, aut barbaricis partibus oppressi, aut fame vel peste tabefacti permanserint, postquam me, servum tuum oraverint, per te, Domine Jesu Christe, Deus de Deo, lumen de lumine, salventur et ab angustiis suis liberentur, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto in trinitate cuncta regis et gubernas, per infinita seculorum secula. Cumque qui secum aderant christiani dixissent *Amen,* apparuit sibi Dominus Jesus Christus et dixit ad eum : *Ephyse, dilecte mi, audivi preces et orationes tuas. Veni, accipe coronam tuam semper mansuram, quia bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti.*

36. Miles ergo Christi et athleta fortissimus, de Domini pietate ac promissione confisus, spiculatori dixit : *Eia, frater, fac quod facturus es, secundum quod tibi præceptum est.* Et signo sanctæ crucis se muniens atque genua flectens, cervicem extendit * et dixit : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Tunc spiculator erigens brachium decollavit eum, et taliter pretiosus martyr Domino reddidit animam, angelorum manibus deportatam. Venerunt itaque christiani, et datis muneribus acceperunt beatissimi martyris corpus, et posuerunt cum psalmis et hymnis in loco celebri, sepelientes illud ex parte orientis, et glorificantes et laudantes Deum. In quo loco multa per eum fiunt mirabilia : nam cæci ibi illuminantur, leprosi mundantur, dæmones effugantur, surdis auditus, claudicantibus redditur gressus ; et non solum ibi, sed ubicumque in qualibet necessitate exoratus fuerit, merita ejus præsentia sentiuntur adesse.

* *cod.* extendens.

37. Post passionem vero beatissimi Ephysi, multi ad sanctum Juvenalem archiepiscopum ibant, qui tunc in montibus latebat, et percipientes sanctæ Trinitatis fidem baptizabantur ab eo. Quod audiens impiissimus Flavianus, jussit eum catenis vinctum in carcerem trudi et pedes ejus in cippo arctari, signavitque carceris januam, cogitans quali eum morte disperderet. Dumque Juvenalis beatus per totam noctem in carcere consisteret, hora matutina apparuit ei angelus de cœlo, dicens ei : *Juvenalis, præcingere et calcea te, et sequere me.* Tunc de collo ejus catenæ ferreæ cadentes nusquam comparuerunt et januæ

carceris apertæ sunt. Angelus autem Domini de carcere illum extrahens et ad montem excelsum deducens, in locum qui Caput Passeris nuncupatur, præcepit illi ut ibi maneret, donec Flavianum recessisse cognosceret. Die itaque sequenti, veniens Flavianus ad carcerem et beatum Juvenalem ibi non inveniens, cœpit nimium anxius esse et dicere : *Væ mihi, quomodo illusus sum a christianis.* Et videns se in omnibus superatum et populum Caralitanum propter passiones servorum Dei contra se vociferantem, die tertio cum suis navem ingressus in patriam suam redire festinabat, et populum Caralitanum apud Diocletianum accusare cogitabat. Sed dum per pelagus navigaret, valida tempestas exorta est. Procellis enim maris insurgentibus et equis inter se calcitrantibus, dirupta est navis, ita ut omnes mergerentur. Quod sanctus Juvenalis audiens, in suam disponebat redire civitatem. Sed populi qui in partibus illis erant congregati, rogabant eum ne tam cito eos velut orphanos derelinqueret. Unde aliquanto tempore ibi commoratus, ordinavit presbyteros ac diaconos de ipsis quos noverat in fide Christi doctos ; et viriliter eos agere docens, in suam rediit civitatem.

38. Martyrizatus est autem beatissimus Christi martyr Ephysus octavo decimo calendas februarii, apud Caralitanam civitatem in insula Sardinia, in loco qui dicitur Nuras, et sepultus est ex parte orientis, imperante Diocletiano imperatore, et Flaviano principe. Cujus passionem ego presbyter Marcus, dum a principio usque ad finem oculis meis vidissem, oratu ipsius beati martyris Ephysi fideliter veraciterque descripsi, præsentibus atque posteris profuturam, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

VITA

SANCTI SIGIRANNI

PRIMI ABBATIS LONGORETENSIS

IN DIŒCESI BITURICENSI

SECULO VII.

Vitam S. Sigiranni, qui colitur die 4 decembris, primus edidit Labbe *ex apographo Ill. ac Rev. D. Franc. Bosqueti episcopi Monspelliensis* (1), et paulo post, ex pluribus codicibus quorum nec numerum nec ætatem nec originem indicat neque ullas variantes lectiones distinxit, Joannes Mabillonius (2). At in omnibus illis codicibus Vita in fine mutila erat et desiderabatur prologus. Eamdem Vitam servat codex olim musei Bollandiani, nunc bibliothecæ regiæ Bruxellensis 8964, eodem loco quo in codicibus Labbei et Mabillonii abruptam, sed aliquo prologo adornatam (3) : hanc, ut notatur in capite, *misit anno 1750 Domnus Giroult Benedictinus Congregationis Sancti Mauri, abbatiæ Sancti Sulpitii Bituricensis*, et in titulo indicatur *ex Lectionario ejus* (i. e. Sancti Sigiranni seu Longoretensi) *monasterii fideliter excerpta.* Ac denique contigit nobis Vitam integram reperire in eximio codice Bruxellensi 8550-51, qui etiam quondam musei Bollandiani fuit, notatus ibidem ✠ Ms. 47. Ex præfatione quam præter prologum jam repertum in codice 8964 exhibet iste codex, docemur Vitam concinnatam esse ex alia antiquiori quæ *jam dudum ejus in monasterio* (scilicet Longoretensi) *descripta haberi videretur*, sed *tam vitio scriptoris quam primi etiam inertia tractatoris nimis esset absurda valdeque depravata* (4). Codicem Bruxellensem 8550-51 seculo X ineunte descriptum censuit doctissimus Bethmann (5); nec ab ea ætate vel paulo sequiori abhorrent notæ palæographicæ.

Quisnam hujus Vitæ Sigiranni scriptor fuerit, omnino nos latet. Latinæ linguæ non adeo gnarum manifestant non pauca sermonis vitia et perplexæ atque intortæ subinde sententiæ. Nævos hujusmodi emendare visum non est, quippe qui ipsi scriptori attribuendi sint; at more nostro correximus quæ librarius admisit

(1) *Nov. Bibl. Mss.*, tom. II, p. 439. — (2) *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 432. — (3) Incipit : *Benignitas quidem cunctipotentis Dei* (vid. infra p. 380, lin. 27). — (4) Infra, p. 380, lin. 1. — (5) *Archiv. für Kunde des deutschen MA.*, tom. VIII, p. 513.

menda et insolitos jam scribendi modos (1). Voces nonnullas quæ satis distincte in codice legi nequeunt, atramento vetustate exeso (quod præcipue locum habet in inferiori parte folii primi, in fine scilicet præfationis et prologi exordio), ac proinde conjectura aliqua supplendæ fuerunt, uncinis includendo notavimus. Tandem quæ hactenus inedita erant majoribus typis expressa sunt, minoribus vero ea pars quam vulgarunt Labbeus et Mabillonius, et quidem adjectis lectionibus variantibus, tum ex codice Brux. 8964, quem numero 2, tum ex editionibus Labbei et Mabillonii, quas numeris 3 et 4 signavimus. Præcipuum vero codicem Brux. 8550-51 indicat numerus 1.

Advertere juvabit jam longe certiorem esse ex documento nostro Aurelianum illum episcopum Bituricensem, quem auctoritate scriptoris anonymi seculi XIII extremi, omni alio deficiente indicio, admittere jure noluerunt auctores *Galliæ Christianæ* (2), quum præsertim nullus episcopo ejus nominis locus sit sub Chlodoveo II, quo rege obiisse S. Sigirannum existimabant. Nunc autem, quum idem nomen jam legamus apud scriptorem seculo X antiquiorem quique ipse longe antiquiori documento usum se esse profitetur, jam non licet tam facile illam traditionem respuere. Porro inde ulterius concludendum erit S. Sigirannum non Chlodoveo II rege, id est ante annum 657, ex hac vita excessisse, sed forte pervixisse usque ad tempora Chlodovei III, Francorum regis ab anno 691 ad annum 695, cui utique melius convenit quod antiquus scriptor ait de Chlodoveo, quo rege mortuus est sanctus, illum *prosperis successibus* regnasse, administrante scilicet illo tempore totum regnum Francorum titulo Majoris domus regiæ Pippino juniori seu, ut vulgo vocant, de Heristallo. Sed de his fusius disserendi locus erit ubi ad Acta S. Sigiranni tractanda sub die 4 decembris in opere nostro pervenerimus.

Incipit præfatio in vita sancti Sigiranni levitæ.

Benignus etenim ac misericors Dominus humanis in visceribus clementer se ingerit, atque ut dona sua homo percipere queat, mirabiliter eorum a cordibus falsa a veris expurgat. Quapropter ipso Domino Deo trino et uno totis præcordiis est flagitandum, quatinus qui juxta intellectus mei capacitatem, non quidem sermone cothurno sed simpliciter de vita et actus almi Sigiranni cupio proloqui, ab ipso etiam largifluam merear percipere facundiam. Nam cum

(1) Duplex littera ae plerumque exprimitur simplici e, aliquando litteris conjunctis æ (vel ę), rarius litteris separatis (ae vel oe); subinde vocalibus initio vocum vel syllabarum præmissa est littera h *(hatria, honus, nihilhominus)* vel eadem suppressa *(abitandum, aud, proibuit)*; littera d nonnunquam scripta est pro t *(adque, velud)*; etc. — (2) Tom. II, Instr., p. 45.

præfati vita beati hujus Sigiranni jam dudum ejus in monasterio descripta haberi videretur, et hæc tam vitio scriptoris quam primi etiam inertia tractatoris nimis esset absurda valdeque depravata, ex præfati sancti monasterio jubentibus benivolis fratribus eam, ut in melius ac lucidius propalarem, vim charitatis impulsus emendandam suscepi. Non quod me aliquid quod foret inopinatum referre, vel quod rationabiliter insitum erat minuere decrevissem; sed potius quod erat ineptum ac sui perfectionis nil intellectum haberet, Domino opitulante lucidius vel in melius propalarem. Erat enim per omnia, prout se habet auctoritas litterarum, tam verbis quam syllabis omnis ejus constructio ad intelligendum confusa. Unde etiam obnixe efflagito, ut eam quicumque manu legendam attigerit, nullatenus me in hoc opusculo temerarium deputet ac sine præjudicio aliquid agendum dijudicet. Verum quia in hoc labore sanctorum virorum imperiis parere non distuli, eam quantum[cumque] vitiose prolatam susceperim, Domino largiente efficaciter pro nepotum [usu] non impolitam reliqui. Sed, ut beatus ait Hieronimus, nil profuit emendare vel corrigere, nisi in conscribendo aut recitando quod rationabiliter insitum est omnimodis conservetur. Quod enim jam a superfluis et non proficuis [ex]politum * est et Domino annuante congrue decoratum, [iterum sese non e]xpedit in idipsum [reso]lvi.

* *cod.* expositum?

Explicit præfatio felici[ter]. Incipit [vita sanctissi]mi Sigiranni levitæ atque abbatis.

Quoniam [1] [benignitas [2] cuncti]potentis Dei [largifl]ua et claritas perpetua, qui deifico [nutu suo polum] ac sidera, [ar]va et æquora in numero et pondere ac mensura [constituit, nihilo]minus ea ineffabiliter perlustrat et [ut] omnipotens replet; [verumtamen h]ominem, quem ad suam creavit [imaginem], [3] perditum iterum per [dilectum Fi]lium suum, Dominum et salvatorem [nostrum pie et miseri]corditer

[1] *om.* 2. — [2] quidem *add.* 2. — [3] ac post *add.* 2.

redemit, longe aliter circumtegit ac refovet. Quin immo per sanctum suum Spiritum prout cuique noscitur expediri [1] sua dona diffundit, cœlestemque ad patriam, unde per prævaricationem protoplausti decidit, ut redeat, quotidie ut benignus pater invitat. Et ideo beata et inseparabilis Trinitas unaque deifica et immensa majestas inter cetera sua charismata, qua invisibiliter sanctis suis propinare consuevit, beatissimum per omnia Sigirannum, de quo juvante Domino loqui aggredimur, vas suæ electionis eum [2] esse constituens, prout benigne disposuit per Spiritum sanctum sua in eum dona diffudit, sicut Salvator in Evangelio testatur : *Quia spiritus ubi vult spirat* et prout vult replet. Quapropter caute ac subtiliter sanctorum actus vitamque describere debet humana fragilitas, quod in eis pie divina disposuit majestas. Attamen licet nequaquam ab humano ore pleniter eorum merita valeant comprehendi per singula, cum sint tantummodo non nobis sed soli Domino cognita, nullatenus tamen debent silentio contegi, cum prosint [3] posteris imitanda propalari.

1. Athleta igitur [1] Christi Sigirannus [2], solo Biturico nobili ex [3] progenie ortus, meritis tamen et fide suum nobilitans [4] natale, ad præmium vitale feliciter noscitur [5] pervenisse. Hujus quoque propagator natura non infimus, carnalis videlicet pater [6] exstitit nomine [7] Sielaicus [8]; ejusque genitrix bonis omnibus existens [9] famulatrix, prædicto viro sortita [10] est felici in connubio. Ex his ergo duobus rite conjunctis bonæ indolis beatus [11] proles [12] processit Sigirannus : qui etiam a [13] primævæ [14] ætate a parentibus Turonis civitate [15] est transvectus, et in scholis traditus, quatinus litterarum primordia [16], ut solet, in pueritia Domino favente perciperet efficaciam [17]. Dein [18] vero transacto tempore Flaucado cuidam potenti viro causa nutriendi adjunctus, Francorum in palatio [19] devenit, ibique ab eodem

[1] *ita etiam 2 in prima scriptione : cujus solius, non autem emendationum quas Bollandiani, ut videtur, ex conjecturis suis vel secundum editiones Labbei et Mabillonii adscripserunt, hic et aliis deinceps locis rationem habendam duximus.* — [2] *om.* 2. — [3] possint 2.

Num. 1. — [1] *om.* 3. — [2] Sigyrannus 2, *et ita deinceps.* — [3] et 4. — [4] nobilitavit 4. — [5] nascitur 3. — [6] (natura-pater) pater carnalis 3. — [7] *om.* 3. — [8] Sigelaicus 3, *et sic deinceps.* — [9] insistens 2, 3. — [10] sociata 4. — [11] beata 4. — [12] (b. p.) p. b. 3. — [13] in 4. — [14] primæva 2, 4; primaria 3. — [15] civitatem 2, 3; (a par.-civitate) *om.* 4. — [16] primordii 2, 3. — [17] efficacia 4. — [18] dehinc 3; deinde 4. — [19] palatium 2, 3.

ad altiora, ut seculi dignitas se habet, venerabiliter provocatus pincerna regis in pueritia est deputatus [20].

2. Eodem namque [1] tempore supradictus genitor ejus Sielaicus episcopus Turonis jam dictæ [2] urbis est sublimatus. Quique [3] conjunctus [4] in amicitia cuidam potenti [5] viro, Adroaldo [6] scilicet nomine, eique [7] filiam suo [8] ut esset uxor [9] præfato sponsavit filio. Cujus mens, beati [10] scilicet Sigiranni, patre prorsus [11] nesciente ad alta [12] [jugiter] [13] tendens ad Dominum, a [14] seculi actibus desiderabat [se] fieri [15] quantocius [16] alienum, illud semper præ oculis ponens, quia qui voluerit [amicus esse [17] hujus seculi], inimicus Dei constituetur [18]. Et [19] quia nempe præscitus erat et præordinatus ad vitam, juxta apostolum qui ait : *Quos præscivit Deus* [20], *hos et vocavit* [21], *quosque* [22] *vocavit, hos et glorificavit,* hic beatus ad carnalem concubitum [23] nullatenus declinare neque se obligare maluit [24], quoniam quidem [25] se jam Deo devoverat esse servum.

3. Namque, ut assolet [1] fieri in aula regali, ut ex nobili prosapia geniti secundum seculi dignitatem diversis fulciantur honoribus variisque circumdantur [2] ornatibus, hic per omnia beatissimus, animum ad astra sublevans oculosque a superfluis ac [3] secularibus comprimens, totus [4] ad Dominum [5] intentus [6] nisibus jugiter flagrabat [7] oculorum obtutibus. Si quando vero, pro regali scilicet [8] honorificentia, ac ne dispar inter sodales esse videretur [9], vestium se decore indueret ac cingulis [10] hinc inde ornaret [11] et, ut ita dicam, acsi [12] comptus [13] in [14] oculis se intuentum [15] incederet, intimo tamen [16] cordis affectu humillimum [17] retinens spiritum, suo in pectore semper devotissime beatificabat Dominum ; immo etiam, ut fertur, sub indumento vestium pretiosarum crebro cilicium [18] utens, humilitatem quam ab ineunte puerili [19] ætate [20] semel Domino devotus conceperat, in habitu vili etiam deinceps Domino favente exercere studebat. Nimirum omne [21] ornatum, quod [22] exterius in regis præsentia uti solebat, domum ad propriam remeans, a se protinus abjiciebat, humillimumque ac despectum alium induens, jam quid quandoque Domino annuente acturus esset nihilominus [23] demonstrabat. Denique sponsam quam pater, si Dominus permisisset, futuram ei providerat [24] desponsandam [25], ita omnimodis refutandam vitandamque [26] censebat, ut non solum se [27] huic sponsæ

[20] (e. d.) d. e. 2, 3.

Num. 2. — [1] *om.* 3 ; (E. n.) Eodemque nempe 2. — [2] *om.* 4. — [3] ibique 2, 3. — [4] jam *add.* 4. — [5] potentissimo 3. — [6] Adoaldo 3. — [7] ejus 2, 3. — [8] suam 4. — [9] *om.* 4. — [10] *om.* 3. — [11] *om.* 4. — [12] (ad alta) omnimodo 2, 3. — [13] jungitur 3. — [14] et a 3. — [15] facere 4 ; (des. se fieri) nitebatur eum fore 2, nititur eum fore 3. — [16] *om.* 4. — [17] (v. a. e.) a. e. v. 3. — [18] constituitur 3. — [19] *om.* 3. — [20] *om.* 4. — [21] (quos-vocavit) *om.* 1. — [22] et quos 4. — [23] thalamum 3. — [24] voluit 4. — [25] quandoquidem 3, 4.

Num. 3. — [1] aiebat 3. — [2] circumdentur 2, 3, 4. — [3] *om.* 2, 3. — [4] totis 2, 3, 4. — [5] Deum 2, 3. — [6] *om.* 3 ; intentis 4. — [7] *ita corr., prius* fraglabat 1. — [8] *om.* 3. — [9] (e. v.) v. e. 4. — [10] se *add.* 3. — [11] (ac-ornaret) *om.* 2. — [12] (ut-acsi) *om.* 3. — [13] compositus 4. — [14] *om.* 3. — [15] intuentium 2, 3, 4. — [16] *om.* 4. — [17] humilium 4. — [18] cilicio 2, 3, 4. — [19] *om.* 4. — [20] (p. æ.) puerilitate 2. — [21] omnem 2, 3, 4. — [22] quo 2, 3, 4. — [23] *om.* 2, 3. — [24] præviderat 4. — [25] sponsandam 4. — [26] *om.* 4. — [27] *om.* 3.

in conjugio sociari voluisset [28], verum [29] adeo ab hujuscemodi [30] sexu [31] consortio se elongari [32] decrevit ut nullatenus secum in aliquo misceri permisisset commercio. Audierat [33] enim non surdus auditor apostolum intonantem acsi [34] dicentem sibi : *Bonum est mulierem non tangere.* Illud quoque quod [35] alibi [36] ait : *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.* Quod [37] isdem vir beatissimus et omni laude venerandus jam corde sitibundo exhauriens, quod audierat volvebat semper intrinsecus animo, quod postea implere [38] cupiebat toto nisu devotus [39] in Domino.

4. Vere etenim hic beatus per omnia Sigirannus licet corporaliter inter homines in ætate scilicet adhuc [1] juvenili [2] foret constitutus, inter athletas tamen Dei atque christicolas toto desiderio conversationem habere videbatur [3], omni scilicet cum aviditate pertractans [4] et utique explere desiderans quod apostolus de se suisque [5] similibus ait : *Nostra autem* [6] *conversatio in cœlis est.* Cumque in his plerumque [7] aliisque similibus sanctis meditationibus de die in diem roboratus in Domino viriliter transigeret, ac die noctuque pervigil in sanctis operibus devotusque [8] existeret [9], pedetentim Domino annuente terreni regis palatium deserens, desuescere cœpit quod jam olim pro nihilo fastidio [10] computabat [11]. Unde ei a Domino etiam deinceps non immerito est collatum et, ut ejus in posterum sanctitas demonstravit, per omnia est attributum, quatinus [12] poli ad [13] sidera, æterni scilicet [14] regis palatium, sine cujuspiam impedimento ceu pennigero levique gressu properare quivisset; illud prorsus Davidicum corde et animo indefesse tripudiens [15], summoque cum gaudio feliciter in [16] Domino [17] decantans ac dicens : *Beatus quem tu eligis* [18], *Domine : inhabitabit in atriis tuis.*

5. Interim vero [1], dum hæc agerentur, nutu Dei consilium iniit quatinus Turonicam urbem quantocius adiret, illustrique [2] confessoris Martini limina penetrasset, seque inibi totum in Domini servitio pro æterna scilicet beatitudine mancipasset. Ventumque est ad id ut [3] Christo equidem [4] duce per vias rectas feliciter [5] incedens, hic beatus de quo loquimur Sigirannus præfatam ad urbem nihilominus [6] adveniret [7], ecclesiamque jam [8] dicti antistitis Martini, apud Deum ut illi foret [9] in præsidium, adiens inviseret. Qui [10] etiam septa hujus sancti templi caute ingrediens, ac devote hinc inde perlustrans, ejus ad sepulcrum usque devenit [11]; ibique diutissime Domini [12] ac deinde [13] beati Martini suffragia postulans, sic demum, quod dudum exoptaverat, sui capitis comam, ut perpetim Christi in sorte clericus permaneret, totondit. Quod audiens pontifex qui tunc hujus [14]

[28] noluisset 4. — [29] etiam *add.* 4. — [30] hujusmodi 3; ejuscemodi 4. — [31] sexus 3, 4. — [32] elongare 4. — [33] audiebat 4. — [34] ac 2, 3, 4. — [35] ibidem *add.* 2; idem *add.* 4. — [36] *om.* 2. — [37] Hæc 2, 3. — [38] explere 2, 3, 4. — [39] *om.* 3.

Num. 4. — [1] *om.* 3. — [2] vivendi *add.* 3. — [3] nitebatur 4. — [4] tractans 4. — [5] suique 3. — [6] *om.* 4. — [7] *om.* 4. — [8] devotus 2. — [9] *ita corr., prius* exigeret 1. — [10] fastidioque 2, 3. — [11] (f. c.) c. f. 4. — [12] *om.* 3. — [13] ac 1. — [14] videlicet 4. — [15] tripudians 2, 3, 4. — [16] *om.* 2, 3. — [17] *om.* 3. — [18] *ita corr., prius* elegisti 1; elegisti 2; elegeris 4.

Num. 5. — [1] Domino 2. — [2] illustrisque 2, 3, 4. — [3] in 3. — [4] quidem 4. — [5] fortiter 3. — [6] *om.* 2, 3. — [7] perveniret 4. — [8] *om.* 3. — [9] (ecclesiamque-foret) et eam 4. — [10] Quin 2, 3, 4. — [11] pervenit 2, 3, 4. — [12] *om.* 3. — [13] devote 3. — [14] huic 2, 3, 4.

præerat civitatis [15], gratanter accepit, quodque etiam hac in re jam [16] peractum erat libenter indulsit, immo etiam exin [17] gremio fidelium clericorum [18] eum collocare decrevit, ac deinceps, dum adviveret [19], in cœtu inibi cohabitantium [20] unanimem esse delegavit.

6. Cumque [1] hic electus Dei infra [2] gregem foret admixtus, sanctisque actibus jugiter esset [3] intentus, adeo [4] caritatis gratiam [5] cunctis [6] se studebat reddere aptum ut omnibus se cernentibus atque colloquentibus videretur placere. Namque singulis quibusque, tam senioribus quam etiam [7] coæqualibus necne [8] subjectis, ita fiebat affabilis et congruus ut per [9] ejus mellifluam nectaream que eloquentiam omnes circumquaque illi adhærere [10] cuperent, ejusque sanctis vestigiis [11] imitari vellent. Dum igitur taliter sicque Deo devotus existeret, et [12] supernæ vitæ patriam totis desideriis [13] anhelaret, ab omnibus loci illius [14] degentibus unanimiter archidiaconus est electus, atque a pontifice ipsius [15] civitatis omnibus ecclesiis illius diocesis est subrogatus. Sed isdem athleta Christi perspicuus ac [16] belligerator præcipuus, quanto forinsecus in sublime attolli [17] videbatur ab hominibus, eo apud se humilia sentiebat intrinsecus, juxta illud [18] præceptum sapientissimi Salomonis: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.*

7. Sic [1] denique cunctipotentem [2] Domino suffragante et [3] eidem [4] almifico videlicet [5] Sigiranno in hoc culmine instituto peractum est, ut [6] quicquid contra priorum [7] principum decreta, quorum quondam [8] laudabilis extiterat vita, ineptum atque contrarium repperiri potuit [9], ad pristinum prudentissime statum [10] revocare curavit [11]. Nam eleemosynas de rebus propriis pauperibus omnibus, viduis scilicet [12] et orphanis, miseris ac destitutis, ita strenue largiterque distribuit ut pæne in prædiis qui [13] ei ex posteritate parentum successerant, quid vel parumper residuum esset. Dum hæc igitur ab eodem sancto jugiter agerentur, Deoque placita ejus opera fierent, antiquus hostis, qui bonis semper ac [14] sanctis insistens [15] atque [16] ut destruat [17] molitur ut feriat, immisit in corde [18] cujusdam perfidi nomine Stephani, qui tunc fore [19] videbatur rector præfatæ [20] civitatis sub ditione videlicet [21] fisci [22], calliditate superatus, quatinus sub custodia eum publica vinctum [23] manciparet. Sed qua de re hoc faceret, nil aliud quid inveniri [24] quiverat, nisi quia hic beatus

[15] civitati 2, 3, 4. — [16] quam 1; *om.* 4. — [17] exinde in 2; si forte vacat in 3; exili 4. — [18] (f. c.) c. f. 4. — [19] advenerit 3. — [20] inhabitantium 3.

Num. 6. — [1] Cum 2, 3. — [2] intra 3. — [3] (j. e.) e. j. 4. — [4] Deo 3; ad 4. — [5] gratia 2, 3. — [6] in cunctis 4. — [7] *om.* 3. — [8] necnon 3, 4. — [9] propter 2, 4. — [10] adhærescere 3. — [11] (s. v.) sancta vestigia 3, 4. — [12] ad *add.* 4. — [13] nisibus 3. — [14] (l. i.) loco illo 2, 3; ejusdem loci 4. — [15] illius 3. — [16] et 3. — [17] extolli 3. — [18] illius 2.

Num. 7. — [1] Hinc 4. — [2] omnipotenti 2, 3; cunctipotenti 4. — [3] *om.* 2, 3, 4. — [4] eodem 2, 3, 4. — [5] scilicet 2. — [6] *om.* 2. — [7] piorum 2, 3, 4. — [8] *om.* 2. — [9] non potuit 1. — [10] (p. s.) s. p. 3. — [11] curaret 4; (rev. cur.) prudenter est revocatum 2; est revocatum 3. — [12] (v. s.) videlicet viduis 3. — [13] quæ 3, 4. — [14] et 3. — [15] insistet 2. — [16] *om.* 2, 3; est 4. — [17] atque *add.* 2, 3. — [18] cor 2, 3, 4. — [19] *om.* 2, 3. — [20] prædictæ 3. — [21] scilicet 3. — [22] (v. f.) fisci scilicet 4. — [23] *om.* 3. — [24] invenire 4.

piis sanctisque operibus insistebat, quod esset amens aliis mentionibus [25] affirmabat. Sed isdem vere [26] Dei cultor Sigirannus quia non amentia esset [27] infectus, sed sanctitate [28] et merito bonorum actuum apud Deum [29] foret venerandus, confestim Christo opitulante omnibus est patefactum, ex [30] ejus scilicet magnifica [31] gesta [32] ac per eumdem [33] patrata [34]. Namque infelix prædictus ac crudelis tyrannus, qui Dei electum frustra conatus est constringere loris validisque mancipare compedibus, ipse, ut fertur, amens effectus et a quodam spiculatore, in sua scilicet [35] amentia, superatus, vitam amisit miserrimus gladio interemptus. Non quod hic pius ac pater eximius [36] malum pro malo huic reddere vellet, qui in se peccantibus non vicem reddere, sed indulgentiam paterno amore noverat exhibere; sed actum [37] tantum Domino permittente, ut reor, creditur fore, qui sua [38] miracula in sanctis suis nonnumquam infidis etiam, ut credant [39], misericorditer vult demonstrare.

8. Quapropter hic Deo devotissimus ac [1] vigil ingenio Christi levita necne [2] confessor Sigirannus [3], Domini præcepta deinceps [4] providus [5] adimplens [6], magis [7] magisque in sanctis se [8] exercere studuit actibus [9]. Quin [10] etiam mundi caduca pro nihilo deputans [11], patrimonia sua, et omnia quæ habere poterat, egenis ac pauperibus erogans, solum Deum promereri satagebat attentius. Audierat enim non segnis [12] provisor nec impiger operator evangelium intonantem [13] ipsumque [14] Dominum [15] dicentem : *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni* [16], *sequere me.* Illud quoque quod alibi ait : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse* [17] *discipulus.* Ergo hic [18] electus [19] idem [20] Dei [21] famulus, his sanctis monitis sagaciter obedire contendens, Dei largiente clementia agere nullatenus distulit quod monendo non segniter audivit. Immo [22] etiam ita semetipsum ex omnibus nudare vel exspoliare [23] studuit ut Christum, qui nihilominus [24] de semetipso ait: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet,* per omnia nudus [25] sequi posset [26]: quin potius [27] cum illo qui pro omnibus [28] patibulum crucis sustinuit, cum ipso crucifigeretur, crucemque post ipsum deferret abnegando [29] seipsum. Erat enim isdem almificus atque egregius Christi confessor in sanctis actibus valde ammirabilis, et in sancta conversatione omni [30] præcipuus. Nam illis in locis quibus [31] ipse natus aut conversatus fuerat, vix aut nullatenus repperiri poterat similis, vel qui ejusdem imitare [32] quivisset exemplis [33]. Accidit

[25] mentiendo 2, 3, 4. — [26] *om.* 4. — [27] erat 3; *om.* 4. — [28] sanitate 3; de sanctitate 4. — [29] Dominum 2, 3, 4. — [30] per 2, 3. — [31] magnifice 3, 4. — [32] gestis 4. — [33] (a. p. e.) divinitus 2, 3. — [34] patratis 4. — [35] *om.* 4. — [36] eximilis 1. — [37] acti 1. — [38] *om.* 4. — [39] crederent 3.

Num. 8. — [1] et 3, 4. — [2] necnon 3, 4. — [3] (n. c. S.) S. n. c. 4. — [4] *om.* 4. — [5] providens 2, 4. — [6] adimplevit 2, 3; adimplere 4. — [7] *om.* 3. — [8] (i. s. s.) se in tantis 3. — [9] (e. s. a.) a. s. e. 3. — [10] Qui 4. — [11] deputavit 2. — [12] (n. s.) nos segnes 1; insignis 3. — [13] intonans 4. — [14] (i. i.) intonantemque ipsum 3. — [15] ac *add.* 3. — [16] et *add.* 2, 3. — [17] (m e.) e. m. 4. — [18] *om.* 2. — [19] (h. e.) e. h. 3, 4. — [20] *om.* 2, 3, 4. — [21] *om.* 1. — [22] *om.* 3. — [23] spoliare 3. — [24] *om.* 2, 3, 4. — [25] *om.* 2. — [26] potuisset 2, 3, 4. — [27] immo 3. — [28] nobis 3; nobis omnibus 2, 4. — [29] abnegare 4. — [30] *om.* 3; omnino 4. — [31] in quibus 3. — [32] imitari 2, 3, 4. — [33] exemplum 3; exempla 4.

autem illo in [34] tempore ut quidam episcopus ex partibus Hiberniæ adiret istis in partibus, Falvius [35] scilicet nomine [36], qui sanctitatis gratia præpotens atque fultus, sanctisque actibus ad plenum erat expertus; cujus etiam vita hinc inde ac [37] longe lateque procul redolens propalata est in audientium auribus. Quod etiam hic beatus [38] audiens Sigirannus, studuit se illi viro conjungere, et corde et [39] corpore [40] omni cum amore illius sanctis actibus adhærere. A quo equidem [41] in religione ac [42] sanctitatis vitæ quam olim conceperat viriliter est [43] roboratus, maxime quia plerique ei erant [44] contrarii, eo quod priscorum patrum normam tenens, cum [45] sanctitate et justitia vitam suam peragere satagebat.

9. Denique prædictus [1] Falvius Romæ [2] tunc tempore [3] directus, beatus necne [4] Sigirannus ejus est vestigia insecutus; quodque [5] in circuitu huc illucque [6] audientes nonnulli, eorum sunt exempla secuti, cupientes ab eis sancta doctrina omnimodis [7] imbui. Quique prædicti etiam [8] illustri [9] viri [10], viam quam cœperant peragrantes [11], sanctorumque [12] loca hac illacque [13] perlustrantes, tandem Romam adierunt, in sancta conversatione sodales. Instabat namque [14] tunc tempore [15] botrionum [16] collectio, id est vindemiæ sectionis ad prelum [17] usque deducentis. Cum vero tantisper inibi [18] unanimes demorassent [19], vidissetque jam sæpe dictus almificus Sigirannus incolas loci illius immensis laboribus desudare, maximeque pro hujus temporis [20] vindemiæ [21], quod [22] solet accidere, non minime fatigare [23], relictis paulisper, prout se [24] tempus dictabat, in contubernio fratribus quibus erat in sodalitate devinctus, cuicumque [25] pauperum vel indigentium necessitudinem fore vidisset, suis scilicet onus imponens humeris [26], afferebat subsidium cunctis. Dicebat enim iste beatus, se nullatenus aliter necessarium [27] velle percipere victum nisi quem proprio acquisisset labore manuum, illud videlicet adimplere gestiens carmen Davidicum: *Labores*, inquit [28], *manuum tuarum* [29] *manducabis, beatus es et bene tibi erit.* Taliter quoque beatissimus [30] hic loci illius hominibus largifluam caritatem atque misericordiam exhibens, ita [31] ab omnibus illis [32] incolis Domino favente gratiam est adeptus ut, secundum apostoli dictum, fuerit [33] expectaculum [34] angelis cunctisque se cernentibus vel [35] intuentium oculis. Dum tamen ita perageret, in sodalitate [36] qua se innexerat [37] omni cum humilitate revertens, unanimem se [38] sociare curabat. Sanctorum siquidem se inculcare cupiens normam apostolo-

[34] *om.* 3, 4. — [35] Salvius 2 *(ita etiam num. seq. init.)*; Falvium 3. — [36] nomino 3. — [37] *om.* 3. — [38] *om.* 3. — [39] ac 4. — [40] opere 2, 3, 4. — [41] equidam 1. — [42] *om.* 2, 3, 4. — [43] (v. e.) e. v. 4. — [44] (e. e.) er. ei 4. — [45] in 4.

Num 9. — [1] *om.* 2, 3, 4. — [2] Romam 2, 3, 4. — [3] temporis 2, 3, 4. — [4] necnon 3, 4. — [5] que *om.* 3. — [6] que *om.* 4. — [7] omnimode 3. — [8] *om.* 4. — [9] illustris 3; illustres 4. — [10] *om.* 4. — [11] peragentes 4. — [12] que *om.* 2, 3, 4. — [13] illamque 1. — [14] enim 3. — [15] temporis 2, 3, 4. — [16] botriorum 3. — [17] populum? 2. — [18] ibi 3. — [19] demonstrassent 2; demorati essent 3; morati fuissent 4. — [20] (p. h. t.) in hoc tempore 2, 3; ut hoc tempore 4. — [21] vindemiarum 2, 3, 4. — [22] *om.* 2, 3, 4. — [23] fatigari 2, 3, 4. — [24] *om.* 3; (p. s.) s. p. 2, suis prout 4. — [25] cuique 3. — [26] (o. i. h.) h. o. i. 4; (suis-humeris) *om.* 3. — [27] (al. nec.) *om.* 3. — [28] *om.* 3. — [29] quia *add.* 4. — [30] *vox add. in marg.* 1. — [31] tantam 2, 3, 4. — [32] *om.* 3. — [33] fieret 2, 3, 4. — [34] spectaculum 3, 4. — [35] velut 2; *om.* 3. — [36] soliditate 1. — [37] junxerat 3, 4. — [38] *om.* 1.

rumque [39] salutiferam unanimitatem, illud scilicet jugiter [40] reducens [41] ad memoriam : *Caritas fraternitatis maneat in vobis, et pacem habete inter vos*, ita deinde hic Dei cultor divinitus inspiratus, tantam a Domino promeruit gratiam ut quicumque [42] ejus colloquium meruerunt petere, ut [43] ita dicam [44], ex diversis acsi [45] floribus adornati, sanctorum videlicet actuum relatione, ab eo rite [46] instructi, ovantes ad sese [47] redierunt imbuti. Nonnulli equidem ex propinquis regionibus oppidisque [48] atque castellis, ejus mellifluam [49] et usquequaque prædicationem audientes [50] magnificam [51], secularia et [52] caduca, quod [53] libenter incolebant [54], conversi ad Dominum [55] funditus reliquerunt; et qui antea [56] aridi et sine fructu bonorum operum a Deo alienati in seculo degebant [57], Domino largiente per [58] eumdem ad fructum justitiæ [59] quantocius reversi, moribus et vita Dominum [60] acclamabant [61]. Namque [62] sanctorum acta librosque divino [63] pro jugi assiduitate legendi secum usque [64] detulit adiens Romam, quatinus sanctarum scripturarum imbutus scientia, seque et alios confirmare quivisset in sancta religione atque [65] doctrina.

10. Interea vero, cum [1] taliter in sancto ac [2] spiritali [3] negotio insisteret, Flaucadus [4], cujus superius mentionem [5] fecimus [6], ut fieri solet, homo prædives, Francorum in [7] palatio florebat præ omnibus. Data vero sibi occasione, ut fertur, pro quibusquam [8] causis dirimendis, beatus Sigirannus [9] a [10] Roma progrediens, iterum a [11] prædicto [12] Flaucadi [13] amicitiam repedavit [14] : sive, ut opinor, quia ab eodem regis in [15] palatio pridem fuerat collocatus, seu per cognationem sororis [16], cum qua [17] fuerat quibusdam spatiis temporum puerulus enutritus [18]. Cum quo etiam diutius moras innectens, suisque mellifluis affaminibus se illi conglutinans, in ejus amore [19] non mediocriter est illapsus. Quique [20] ejus amore [21] nimirum [22] conjuncti, in sancta ac spiritali [23] meditatione tractare cœperunt, qualiter pro Dei amore locum instituerent, ubi sub norma ac sancta religione, Domino opitulante [24], monachicam [25] vitam [26] transigere quivissent [27]. Tunc quidem locum compendiosum, ut illis [28] visus [29] est, qui Milebeccus [30] dicitur, intra saltus Brioniæ [31] elegerunt, ibique ad opus prædictum, prout posse fuit [32], quantocius ædificare

[39] que *om.* 2; apostolorum quoque 4. — [40] (scil. jug.) *om.* 3. — [41] reducebat 3. — [42] qui 3. — [43] *om.* 4. — [44] (ut ita dicam) *om.* 3. — [45] *om.* 3. — [46] recte 2. — [47] se 2, 3, 4. — [48] que *om.* 3. — [49] (e. m.) m. e. 3. — [50] audientibus 4. — [51] (p. a. m.) m. p. a. 3. — [52] ac 3. — [53] quæ 3, 4. — [54] inquirebant 3. — [55] Deum 3. — [56] *om.* 3. — [57] dilegebant 2; diligebant 3. — [58] ad 3. — [59] (a. f. j.) *om.* 3. — [60] fructum justitiæ 3. — [61] acclamabat 2; accumulabat 3. — [62] Jamque 2. — [63] divinos 2, 3, 4. — [64] (s. u.) u. s. 4. — [65] et 2.

Num. 10. — [1] dum 3. — [2] (sancto ac) *om.* 4. — [3] (ac sp.) *om.* 3. — [4] prædictus *add.* 3. — [5] (s. m.) m. supra 4. — [6] (cujus-fecimus) *om.* 3. — [7] *om.* 4. — [8] quibusdam 2, 3, 4. — [9] Sigiramnus 1, *et ita passim deinceps.* — [10] *om.* 4. — [11] ad 3, 4. — [12] prædicti 2, 3, 4. — [13] Flaucaudi 1. — [14] repetiit 4. — [15] (r. i.) i. r. 2, 3, 4. — [16] (seu-sororis) semper cogitationem foris (ferens 4) 2, 4; *cfr. not. 18.* — [17] quo 4. — [18] (seu-enutritus) *om.* 3. — [19] amorem 3. — [20] qui 3; quippe 4. — [21] (e. a.) *om.* 2, 3, 4. — [22] *om.* 4. — [23] (ac sp.) *om.* 3. — [24] (D. o.) Deo deservirent 3. — [25] monachi 2, 3, 4. — [26] præsentem *add.* 2, 3, 4. — [27] potuissent 4. — [28] (u. i.) *ita corr.*, *prius* utilis 1. — [29] visum 2, 3, 4. — [30] Millepecus 2, 3, 4. — [31] Brionis 4. — [32] (p. f.) potest fieri 4.

cœperunt. Etenim licet per tempus exiguum, ut fieri assolet primitus, parvulam tamen [33] construxit cellulam in eodem loco ad hoc opus præfatum [34] : in qua aliquantisper temporis sub sancto ordine cum paucis fratribus [35] est conversatus, et in sancta religione Deo [36] cooperante [37] non minime [38] est solidatus. Dumque inibi diebus ac noctibus pervigil iste [39] sanctus in Dei laudibus Deo prolixius vacaret, nutu Dei accidente [40] alium commodum iterum [41] repperit locum in ipsius prædicti [42] Flaucadi prædium [43], cujus Longorectus [44] noscitur esse vocabulum. Nam idem locus in jam [45] dicto saltu Brioniæ [46] noscitur situs [47], habens e regione fluvium decurrentem Clasiæ [48] vocitatum. Etenim quia amœnum [49] valde locum [50] ad Deum [51] incolendum retinere [52] dinoscitur, et est quidem [53] affabilis ad habitandum et habilis ad piscandum, ideoque isdem [54] beatus illic frequentiam habere videbatur [55] ; et quia idem Flaucadus in loco eodem [56], videlicet super [57] jam dicto fluvio [58], propinquam habebat domum, per ipsius voluntatem beatus Sigirannus, haud procul a domo figens tentorium, parvulum ex lignis tunc [59] illis in diebus, ut eri solet in primordio, juxta condidit habitaculum. Verum jam [60] sæpe dictus [61] Flaucadus [62], cujus erat ipsa domus, cum secularibus [63] divitiis esset redimitus et in carnali voluptate per omnia deditus, necne [64] in regis palatio sublimatus, adversus quemdam virum christianissimum suumque primum alumnum, nomine Willibaldum [65], elatus videlicet [66] fastu superbiæ, eumdem neci ut traderet cœpit insistere. Quo etiam tandem devicto regisque consultu superato ac mortuo, dum malignum utique votum suum incunctanter peregit [67], semetipsum interius exteriusque morti [68] addixit; et quia ei [69] malum pro bonis reddere maluit, cui [70] nimirum oportuerat reddere [71] bona pro bonis, undecimo post die [72] transacto exitiale funus merito [73] est adeptus.

11. Interea vero, dum ita [1] se [2] agerentur, nullatenus a nobis [3] est [4] reticendum quod [5] huic de quo loquimur beato Sigiranno a Domino est collatum [6]. Quidam etenim vir Magnobodus, concivis [7] videlicet Pictavensis [8], nuper prout quiverat huic sanctissimo viro in amicitiam [9] se devinxerat; qui etiam cum præpotens [10] esset et in facultatibus prædives oleum in vasculo quo solet recondi beato Sigiranno libras mille, ut fertur [11], imposito plaustro pro munere direxit. Cumque illius legatarii, qui illud ad hominem Dei usque deduxerant in jam dicto pusiolo [12] loco,

[33] (p. t.) tamen parvam 4. — [34] (ad-præf.) *om.* 3. — [35] *om.* 2. — [36] Domino 4. — [37] (D. c.) *om.* 3. — [38] minimum 3. — [39] ipse 3. — [40] accedente 4. — [41] *om.* 3. — [42] *om.* 3. — [43] prædio 3, 4. — [44] Languoretus 2; Longoretus 3, 4. — [45] *om.* 3. — [46] Brionis 4. — [47] (n. s.) situs est 3. — [48] Clasiam 3; Clasia 4. — [49] amœnus 4. — [50] locus 4. — [51] eum 4. — [52] *om.* 4. — [53] quidam 1. — [54] *om.* 4. — [55] (Etenim-videbatur) *om.* 3. — [56] (i. l. e.) e i. l. 3. — [57] supra 4. — [58] (videlicet-fluvio) *om.* 3. — [59] *om.* 2, 3, 4. — [60] etiam 4. — [61] (j. s. d.) *om.* 3. — [62] (d. F.) F. d. 2, 4. — [63] carnalibus 4. — [64] necnon 3, 4. — [65] Willebaldum 3. — [66] *om.* 3. — [67] peragit 3. — [68] mortis 2. — [69] *om.* 2, 4. — [70] qui 2. — [71] reddi 3. — [72] (p. d.) d. p. 4. — [73] *om.* 2.

Num. 11. — [1] ista 4. — [2] res 3; *om.* 4. — [3] (a. n.) *om.* 2. — [4] (a. n. e.) e. a. n. 4. — [5] quid 3. — [6] (e. c.) c. e. 4. — [7] conscius 3, 4. — [8] (M. c. v. P.) c. v. P. M. 4. — [9] amicitia 2, 3, 4. — [10] potens 4. — [11] *folio hic deperdito in cod. 2 desiderantur sequentia usque ad finem num. 12.* — [12] pusillo 3.

quod sibi velut tugurium [13] ex lignis contextum, ut supra meminimus, nuper construxerat ad degendum, deponere vellent, isdem beatus divinitus inspiratus prohibuit illis, dicens: *Deo bonorum omnium largitori gratias referimus* [14], *fratres, deinde amico benivolo, qui nobis causa dilectionis hoc munus contulit; sed nunc hoc in* [15] *loco* [16] *nullatenus deponi poterit* [17] *: nam* [18] *exspectate paulisper, quia non post multum dabit Dominus locum ubi vobis aderit* [19] *opportunum deponi.* Tertio igitur post die [20], Flaucadus mortuus nuntiatur [21], quod hoc idem nihilominus [22] hic homo [23] Dei [24] per Spiritum sanctum præviderat afflatus. Cognito itaque ab omnibus quod, ut vir Dei in spiritu præviderat, locus ei a Domino aliubi [25] fuerat [26] præparatus, illuc ocius advententes [27], deposuerunt olei dolium, sicuti a viro Dei illis fuerat prænuntiatum [28]. Illo nempe in loco, qui Longoretus dicitur, ejus inhæserat animus [29], eo quod aptus atque conveniens illi fore videretur ad monachorum caterva [30] degentium [31]. Nam eodem in loco adiens, ibique favente Domino ipsique [32] Flaucado scilicet [33] innuente [34] et propinquorum [35] ejus, deinceps sub sancta regula a beato edita Benedicto [36] degens, congruum inibi [37] monachorum construxit [38] ædificium. Quod idem monasterium per plura [39] annorum curricula strenue regens, illuc [40] magnis opibus [41] ditavit, plurimosque ex circumquaque ad Dei cultum advocans, sub sanctorum patrum instituta [42] vitam illis [43] transigere monuit.

12. Sed ista prælibantes, illud quoque nequaquam putavi silendum quod illis in diebus per hunc virum almificum cunctipotens [1] Dominus mirificum [2] patratus est miraculum. Quadam [3] itaque die cum per [4] aliquod negotium [5] dirimendum iterum ad supradicta [6] cellula [7] advenisset [8], vocabulo videlicet [9] Milebeccum, quidam advenientes latrunculi equos, quos ipse vel sui insederant, furtim [10], ut venerant [11], eos noctu abstulerunt. Tota ergo nocte illa circumquaque per iter [12] devium cum illis divertentes, putabant se recto calle longius ire. Facto quidem [13] mane diluculo ac diei aurora coruscante, præfati latrones cum equis quos [14] insederant [15] ad ipsius cellulæ januam, unde sibi eos nequiter adsciverant, licet illis [16] nolentes, reperti sunt sospites. Quo itaque cognito, fures [17] equisque extimplo [18] relictis, fuga immani perrexere latrunculi [19]; equi vero, Domino annuente meritisque ipsius almi [20] Sigiranni, jure proprio recepti sunt in ipsius dominio [21]. Quanto putamus amore Dei hunc sanctissimum Sigirannum dignum existere in cœlo, cui tot

[13] tuguriolum 3. — [14] (g. r.) r. g. 4. — [15] (h. i.) i. h. 4. — [16] illo 3. — [17] potest 4. — [18] sed 3, 4. — [19] erit 3. - [20] (p. d.) d. p. 4. — [21] narratur 3. — [22] (h. i. n.) *om.* 3, 4. — [23] vir 3. — [24] *om.* 3. — [25] alibi 3, 4 *(et cfr. not. seq.)* — [26] (a. f.) f. alibi 3. — [27] adventantes 3, 4. – [28] (sicuti-prænunt.) *om.* 3. — [29] animo 4. — [30] catervam 4; *cfr. not. seq.* — [31] (eo-degentium) *om.* 3. — [32] ipsoque 3, 4. — [33] *om.* 3. — [34] annuente 4. — [35] propinquis 3, 4. — [36] (e. B.) B. e. 3. — [37] ibi 3. — [38] construit 3. — [39] plurima 3. — [40] illud 3. 4. — [41] (m. o.) magis operibus 3. — [42] instituto 3; institutis 4. — [43] illos 4.

Num. 12. — [1] omnipotens 4. — [2] *om.* 4. — [3] quodam 4. — [4] propter 4. — [5] (a. n.) n. a. 4. — [6] suam dictam 3; supradictam 4. — [7] cellulam 3, 4. – [8] devenisset 3, 4. — [9] *om.* 3; scilicet 4. — [10] furtive 3. — [11] venerunt 3. — [12] *om.* 3. — [13] autem 3. — [14] quibus 3, 4. — [15] insidebant 4. — [16] illi 3, 4. — [17] equitesque *add.* 3. — [18] (eq. ext.) ext. eq. 3. — [19] *om.* 3, 4. — [20] almifici 3. — [21] (i. i. d.) *om.* 3, 4.

beneficia contulit, dum adhuc præsens esset [22] in terra, divina clementia! Unde [23] etiam nunc et semper [24] beatificantes, laudes referamus almipotenti bonorum omnium Domino largitori, qui hic et in ævum sanctos suos propitius [25] glorificat, et qui iniquitatem [26] meditantur in cubili suo adest, nisi convertantur, ut auferat de terra memoriam eorum [27]. Quapropter præfati maligni et [28] perfidi, qui contra hunc virum iniqua [29] agere decreverunt, in malo suo celeriter [30] frustrati, eorum iniquitas mentita est sibi. Nam peracto negotio propter quod ad præfatum advenerat [31] locum, scilicet Milibeccum [32], progrediens inde uti ad cœnobium itidem repedaret, die jam [33] advesperascente [34] ad quemdam [35] devenit villam. Sed quod ibi per eumdem identidem patratum sit miraculum, operæ pretium puto ut fiat omnibus in propatulo.

13. Magnificus ergo [1] vir iste [2] Sigirannus hac prædicta [3] in villa [4] nocte jam vicina adveniens, cum [5] congruo etiam [6] in loco cum [7] fratribus secum comitantibus resedisset, ac more solito in lege Domini attentius meditaret [8], qualiter cœlicas ad sedes [9] Domino juvante [10] pervenire quivisset, candela in manus [11] tenentis [12] pueri casu [13] accidente [14] extincta est in illorum medio [15] consistentium. Tum [16] puer cum rubore et [17] acsi a patre [18] ignominiosus abscedere quantocius [19] cupiens, ut lumen citius reaccenderet quod per suam extinxerat negligentiam, ut pater [20] sicut erat clementissimus, beatus ait [21] illi [22] Sigirannus [23]: *Noli, fili mi* [24], *in eundo diutius fatigari; namque* [25] *nobiscum lumen adest divinum, quod illustrare* [26] *poterimus, si pius permiserit Dominus.* Mox ergo ab eo impresso in candela crucis signaculo, confestim illis cœlitus lumen est restitutum quod casu fuerat extinctum. Nempe isdem pater egregius [27] ab illo qui ait: *Ego sum lux mundi,* intrinsecus [28] veraciter illustratus, ab ipso nihilominus [29] lumen percipere meruit, quo se illustraret et alios. Hunc ergo, hunc [30] almificum omni cum devotione veneremur, hunc per omnia jugi assiduitate, cum laudibus [31] recolamus. Hic itaque vere beatus rite ab omnibus est venerandus, quia illorum christicolarum compar effectus quos actio felix vexit [32] in astris, tanta ac [33] talia promereri divinitus meruit, licet adhuc carnigerum corpus gestaret in arvis [34]. His ergo transactis, iter quod ad cœnobium cœperat, tantumdem peregit. At vero monasterium adiens [35], in servitio Dei, quo [36] se ardenti jam [37] animo devoverat, omni cum

[22] (dum-esset) *om.* 3. — [23] *Cfr. infra not. 27.* — [24] (e. s.) *om.* 4. — [25] *om.* 4. — [26] iniquitates 4. — [27] (Unde etiam-eorum) *om.* 3. — [28] ac 4. — [29] inique 3. — [30] cœlitus 3. — [31] devenerat 3. — [32] Millebeccum 3, 4. — [33] *om.* 3. — [34] *sequentia usque ad finem num. 13 jam habet cod. 2.* — [35] quamdam 2, 3, 4.

Num. 13. — [1] igitur 4. — [2] *om.* 2. — [3] (S. h. p.) *om.* 3. — [4] villam 3. — [5] *om.* 1. — [6] *om.* 2. — [7] *om.* 3. — [8] meditaretur 2, 3, 4. — [9] ædes 4; (c. a. s.) ad cœlum 3. — [10] annuente 4; (D. j.) *om.* 3. — [11] manu 2, 3, 4. — [12] *om.* 3. — [13] causa 2, 3. — [14] (p. c. a.) eam 4. — [15] (ill. m.) m. i. 4. — [16] Tunc 3. — [17] *om.* 2, 3, 4. — [18] (a patre) aperte 4. — [19] (a. q.) q. a. 4. — [20] (u. p.) cui puer 3. — [21] *om.* 2. — [22] *om.* 3, 4. — [23] (a. i. S.) S. a. 3. — [24] *om.* 4. — [25] nam 2. — [26] (q. i.) quo illustrari 2, 3, 4. — [27] *om.* 4. — [28] *om.* 4. — [29] auctore luminis 4. — [30] *om.* 2, 3, 4. — [31] (c. l.) *om.* 4. — [32] rexit 3. — [33] et 3. — [34] (i. a.) *om.* 2, 3, 4. — [35] (m. a.) *om.* 4. — [36] cui 4. — [37] *om.* 4; (a. j.) j. a. 3.

studio ac [38] sedulus peragebat. Nempe sanctorum patrum [39] monita perlegens, eorumque jussa florigera jugiter carpens, seque [40] et sibi subjectos [41] vitale [42] commercium sagax propinare studebat.

14. Contigit autem illis in diebus pro quadam utilitate eum procul a monasterio procedere et, ut mos * est perfectis viris semper diligere, quemdam fratrem per omnia sanctitate pollentem, nomine Probacium, secum habere in comitatu. Cum ergo recto calle iter peragerent, accidit ut quemdam judicem cum latrone pariter invenirent in via, qui pro suis facinoribus loris astrictus erat ac digne morti adjudicatus. Quod etiam a longe beatus cernens Sigirannus, unum ex suis misit puerulum concite ad sciscitandum, ut quæ esset hæc turba quæ eum præcederet ei quantocius intimasse. Cui prorsus judex innotuit quod latronem ducerent pro suis facinoribus vinculatum, non post multum in mortis equuleo, prout erat condignus, utique suspendendum. Hæc itaque puero renuntiante, vir quoque Dei itidem ad eos misit, paululum rogitans ut subsisterent, donec cum eisdem ipse fandi haberet copiam; concitusque ad eos properans, sciscitavit ab illis quæ culpa esset hujus latronis. Cujus etiam culpam narrantes, inventum est quod foret morti reus. Beatus igitur Sigiramnus, caritate repletus, condolens super hujuscemodi necem, ait Probacio secum comitanti: *Mi frater, doleo super hunc miserrimum morti contraditum, et si foret unde, deberemus eum a mortis periculo liberare.* Idemque prædictus frater respondens ait : *Mi pater et domine, aurum et argentum non est nobiscum; nec aliud quicquam præsto est unde a nobis infelix iste redimi queat. Duo solummodo, ut bene nostis, ad nosque vehendos nobiscum præsentes caballi. Sed si ad hæc unum ex his detraxerimus, velut stolidi a * cœpto itinere procul dubio remanebimus, ceterisque hominibus deinceps acsi ridiculum et vecordes pro nihilo reputabimur.* Tunc vir Dei ad hæc respondens ait : *Omnipotens et misericors Deus non vult mortem peccatoris, nec lætatur in perditione morientium. Quapropter opportunius nobis est pedestri iter viam incedere, quatinus hujus hominis peccatoris*

* *cod.* mox.

* *cod.* ac.

[38] *om.* 2. — [39] *om.* 2. — [40] sibi 4. — [41] subjectis 4. — [42] ad vitale 3.

vitam a mortis laqueo possimus eruere. Ergo, frater dilecte, Domini Dei nostri voluntatem obsecundemus, ut eum, qui nos ad suam similitudinem formavit, misericordem atque placabilem habere possimus. Dum igitur hæc simul seorsum duo faterentur, adiens ad judicem beatus ait Sigirannus: *Hunc reum * morti contraditum precor te, judex, dimitte, liceatque nobis eum saltem ut vivat a te pretio redimere.* At contra judex viva voce respondens ait: *Magnum quidem nefandumque scelus hic commisit miserrimus, ideoque nefas est ut vivere queat jam amplius.* Tunc vir Dei egregius, ut erat caritate repletus, pietate præditus, sapientia atque prudentia præfulgidus, fertur dixisse illis omnibus ad hoc præsente negotio assistentibus: *Estne aliquis vestrum sine aliquod nævum aut aliquod piaculum in Domino admissum *?* Ad hæc omnes una voce respondentes, quod negare nequiverant responderunt: *Omnes enim nos peccatores esse profitemur, omnesque culpas habentes Domini misericordiam indigemus.* Tunc almificus vir affabili voce ad hæc illis prosecutus est, dicens: *Ergo,* ait, *necesse est ut unusquisque vestrum ad se introrsus redeat, et si sine peccato est æqua lance se ante oculos justi arbitris Dei perpendat. Nam pius et redemptor noster Dominus Jesus in Evangelio ait: Dimittite, et dimittetur vobis; et alibi idem ipse intonans ait: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Ergo, fratres, se unusquisque perpendat, et si se aliquis sine peccato inveniri valet, hunc reum velut justus injustum manu propria interficiat.* Hæc quoque et his similia a sancto Sigiranno illis promulgata, omnes Dei nutu conticuerunt, et ita reum, quem * antea manicis adstrictum validis morti adstipulabant, ut a vinculis solveretur nihilominus adclamabant. Tunc idem infelix, qui per hunc Dei electum a morte fuerat erutus, ab eo et jam qualiter juste et rationabiliter viveret pleniter est instructus, et ne ultra peccaret omnimodis est ammonitus. Ut ergo beatus iste sanctus adhuc in reum præfatum caritatem accumularet perfectam, unum solidum secum dixit habere tantummodo, et ut eum ad suam supplendam necessitudinem haberet jussit accipere; mo-

* *cod.* rerum.

* *cod.* amissum.

* *cod.* quam.

nensque deinceps ne iterum peccati jugo se subderet, sed de præteritis instanter ageret pœnitentiam, si ad vitam pervenire vellet æternam. O quanta fuit pietas in beato atque almifico Sigiranno, qui et latronem a duplici morte eruit et ceteris se audientibus ut in caritatis gratia persisterent non mediocriter monuit. Nempe duo bona hac in causa egisse gloriosus et felix iste dinoscitur. Latroni etenim, ut ad meliora postmodum traderet, præsentem vitam obtinuit et populis ut sibi deinceps salutem animæ providerent prædicare nullatenus destitit. O vere felix et venerabilis vir iste Sigirannus, qui et aliis suis meritis salutem a Domino obtinuit animarum * et sibi ipsi a Christo promeruit perennem felicitatem. Vere etenim inde per omnia felix, quia vivens in corpore pro Christo mori mundo voluit, aliisque ut exemplum proficiendi ad vitam fieret omni cum sagacitate peregit.

* *cod.* obnuit etanimarum.

15. Post hæc quoque a nobis non debet silentio contegi quod certe audientibus ad vitale commercium, si adsit divina majestas, valet suffragari. Hic itaque clarus confessor, ut jam superius prælibavimus, cupiens sibi proprio labore victum saltem aliquid acquirere, unde sibi suisque opportuno in tempore quivisset refocillare *, hoc sibi nutu Dei adinvenit negotium ut, sicut in rebus propriis relinquendis apostolorum est prosecutus exemplum, ita et in hac propria sibi adquisitione eorum fungeretur officium. Cum ergo sæpe hoc perageret, nomen Domini invocans, et non sua virtute sed suorum merita fratrum reputans, hoc sibi per Dei providentiam adsciverat in signum ut, si erga Christi obsequium ipsi fratres rite insisterent, quot * eorum numerus in gregatione consisteret monachorum, tot ad eos alendos sua captura perciperet piscium. Hoc quoque creberrime beatus iste plerumque approbaverat, ut eo tenore, quotiescumque Dominum consuleret, numerus piscium et captura sibi proveniret; si quando vero Domino largiente copia piscium excederet numerus, hospitibus et peregrinis ut in apparatu fierent deputabat. Dum vero quadam die plurimos pisces cepisset atque ad litus fluminis pro eos recensendos consedisset, pro numero fratrum etiam piscium exæquare volens numerum,

* *cod.* refocillaret.

* *cod.* quod.

minus ex his invenit unum. Unde nimirum non minime molestus extitit, providens ex hoc in spiritu quia alicui ex fratribus noxa murmurationis contigerit. Quin etiam ad fratres festinus usque perrexit, ac facto signo simul uno in loco omnes congregare jussit, inquirens per singulos quid causa acciderit quod unum piscem minus invenisset. Cumque diligenter inquireret, scire volens quis eodem in monasterio in hac die noxam murmurii incidisset, testificatus est fratribus ut palam omnibus confiteretur pro cujus culpa minus aliquid piscium numerus accidisset. Tunc unus ex his valde simplex frater, stultus et fatuus, cum rubore de medio eorum prosiliens, projecit se in terra, palamque omnibus confitens, in hac blasphemia, sicuti per Spiritum sanctum vir Dei prædixerat, reus est inventus. Qui etiam professus est se contra hunc patrem benignissimum murmurasse non quia ei aliquod malum aliquando intulerit, sed quia acsi piscator peritus de amne ad litus extrahens pisces, non solum ad eorum supplendam necessitudinem caperet, verum ad nausicam quotidie comedentibus usque deferret. Unde etiam isdem frater a ceteris fratribus factus confusus, cur ei talis illicita cogitatio de hoc Dei dono provenisset, et unde omni modo gratulabundus existeret et omnipotenti Deo bonorum omnium largitori immensas gratias debuerat referre, inde offensam * Dei et fratrum meruerat, tristis et mœstus ab omnibus illis effectus *, a conspectu eorum recessit abjectus. Beatus vero Sigiraunus, perspiciens hunc fratrem ex hoc valde mœrentem, ut pius pater prorsus more paterno consolatus est eum : *Noli*, ait, *fili mi, deinceps, noli pusillitatem animi tui perpendere, sed quicquid ad mensam tibi appositum fuerit, cum gratiarum actione, si necesse est, percipe, et ita demum Deo, de cujus tibi munere venit, grates persolve. Si vero aliquid tibi fastidium fuerit in comedendo, tu tamen Deo indefesse gratias age; qui tibi sine tuis meritis sua dona dignatus est largiri, et cum patris benedictione alio indigenti deferatur vel cuicumque pauperi tribuatur. Nequaquam enim frustra portionem tuam tibi Dominus denegavit, nisi quia hæc stultitia cor tuum maculavit.* Tunc demum isdem pater almificus fratres

* *cod.* offensan.
* *cod.* effectu.

hortatur ut fratrem eumdem consolarentur attentius et : *Nullatenus,* ait, *ejus stultitia consideretur, sed mitius ac benignius * deinceps ab omnibus tractetur. Non enim sanis necessarius est medicus, sed infirmis et male habentibus.* Sic itaque hic pater egregius pastorem pium, qui ait : *Ego sum pastor bonus,* veraciter imitans *, ovem morbidam consolando ac pie fovendo propriam devexit ad caulam, pristinumque ad gregem nimirum conjunxit sanum: taliter necne idem vere Dei cultor suis sanctis meritis ut pius pastor suis pervigil insistens ovibus et corda fratrum cum caritate demulcens, ad compatiendum * fratrem, ne diutius oberrans iret per devium, cito ad callem cum pietate examinatum reduxit effectum. O quam propitius hic Dei electus extitit Sigirannus, qui et seipsum provide intuens constanter hostem vicit mortiferum aliasque a letiferis moribus liberans salutiferum revocavit in statum. Namque hic Christi miles mundi suppeditavit gloriam, cunctisque superna tendentibus ad præmia exemplar extitit per omnia.

16. Cumque hic vir clementissimus in Christi militia insignibus polleret virtutibus, atque in eo ubertim doctrina prævaleret divina, ita ut in eo evangelica reniterent præcepta, essetque pro captu quorumcumque sibi audientium secundum Domini præceptum astutus ut serpens, simplex ut columba, tunc inimicus humani generis diabolus, ejus felicibus invidens actibus, immisit in corde cujusdam pueri, ortum videlicet ex progenie inutili *, ut hunc Dei dilectum suis argumentationibus decipulis insultaret. Hic itaque juvenculus, nomine Adrianus, licet quibusdam e fratribus complacere videretur, ejusque doctrina atque facta cui nonnullis in causis fieret utilis, tamen illis qui in sancta fundata erant religione vituperabilis erat, eo quod ejus prava colloquia mores aliorum corrumperent * bonos. Namque quosdam ex fratribus, maximeque coævis atque juvenculis in sodalitate sibi conjunctus, convertit adversarios, et una * cum illis quos jam infectos habebat viros malignitatis, ceterorum transverberabat fidelium. Qui etiam in tantam ausi sunt prorumpere vesaniam ut Dei electum suis insultationibus non minime derogarent,

* *cod.* benignus.

* *cod.* immitens.

* *cod.* acompatiendum.

* *cod.* innitili.

* *cod.* corruperent.

* *cod.* unam.

dicentes eum longe abesse ab eorum conversatione, dum delectaret ejus animus ex hac piscatione lucrum suorum facere monachorum; addebantque quia solet nonnunquam mens humana his insistere actibus in quibus pollet prosperis successibus et quæstum auget in lucris. Hoc quoque cum advertisset * vir Dei eximius, veritus ne forte ab æmulis detractantibus aliqui * scandalizarentur ex fratribus, et quod jam per multum temporis spatium elaboraverat in spiritale lucrum, hac occasione inimico instigante ad nihilum proveniret, salutiferum sibi iniit consilium, ut ex omnibus nudus effectus Christi vestigia imitaretur in omnibus. Sic denique Christi confessor humilians se præ omnibus, non ad injuriam sibi obloquentium obfirmavit animum, sed potius ad humilitatem convertit totum; illud quoque semper præ oculis ponens quod Paulus ait apostolus : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum,* cupiens etiam hic beatissimus thesaurum quod sibi jam lucrificaverat in arvis, demum recondere in astris, quatinus eum in tuto repositum in die ultimo repperiret multimodum. Hoc ergo accepto nutu Dei consilio, ut supra prælibavimus, quatinus liber expeditusque Christi imitaretur exemplum, qui de seipso ait : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet,* carpere cœpit iter ubicumque spiritus Domini adire permitteret. Cumque propria sibi alimenta, unde se suosque alere posset, pro Christi amore relinqueret, propriis suis laboribus, sicut olim animo decreverat, ut Christi pauper victum sibi quærere cœpit. Quo etiam alumni ejus comperto, cunctorumque agmina familiarium * hic inde degentium ejus audientes discessum, sicuti a pio patre quique orbati atque orphani derelicti, uno omnes mœrore confecti in immensum conversi sunt luctum. Unde etiam conjicere possumus quia, cum hujus almifici patronis terrigeni homines luxerunt discidium, concives angeli in cœlo tripudiantes consona voce Deum glorificaverunt in cœlum.

* *cod.* avertisset.
* *cod.* aliquid.
* *cod.* familiarum.

17. Vere etenim beatus iste non immerito angelorum consortium adeptus est in cœlo, quia dum advixit in corpore, cœlibem vitam indefesse studuit peragere. Namque ut athleta Christi contra mundi impedimenta fortiter dimicans,

iter quo se in animo delibaverat Deo, omnibus diebus vitæ suæ velut peregrinus peregit. A Deo autem collatam sibi artem piscatoriam, in hac peregrinatione dum iret, opportuno tempore exercebat, et de propria sua captura piscium suosque hospites, vel alios quoscumque indigenas, alimoniam sollicite ministrabat. Ubi vero humillimum ac deformem, ut ita dicam, tugurium, maxime viduarum, repperiri poterat, inibi veluti unus ex pauperibus repausabat. Hæc itaque omnibus diebus itineris sui peragens, longius hac illacque peragravit regionibus, donec Tolosano adiens solo felici taliter agendo subintravit adventu. Sed quid in laude hujus sanctissimi viri humano ore promendum est, qui adeo se in cunctis præ omnibus humiliavit ut etiam audientibus fore possit incredibile quemquam sanctorum ita peregisse? Nempe vir iste almificus, Spiritus sancti virtute corroboratus, ardore caritatis afflatus, prospera mundi cuncta abjiciens, seculi adversa nullatenus metuens, Domini Jesu Christi prorsus vestigia est prosecutus. Jure etenim felix iste et venerabilis vir Sigirannus ab omnibus est honorandus *, qui cum inter affines et propinquos propriis facultatibus quivesset esse ditatus, solum proprium patriamque relinquens, evangelicæ feliciter obedivit doctrinæ. Nimirum Abrahæ patriarchæ est secutus effectum, qui jussa Domini provide adimplens, solummodo in omnibus voluntatem Domini adimplere studuit. Sed quia Dei omnipotentis clementia in numero et pondere ac mensura disponit omnia, isdem puer inutilis, cujus malivolentiæ instinctu hoc scandalum sumpsit exordium, retrorsum abiens apostata est effectus; et unde vir Dei, semper ad summa conscendens, a Domino exaltari meruit in gloria, inde iste infelix, ad baratrum proruens, in diaboli lapsus est muscipulam. Sicque in his duobus adimpletum est illud quod * dicitur: *Sanctus sanctificetur adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Sed quo * quique hoc audientes hujus pueri laqueum per omnia cavere possint, semper ad superna contendant scandere, sanctorumque vitam nihilominus desinant radere; nec deinceps Domini pollicitatione postposita ad ima tendentes, apostatare incipiant nec cum

* *prius* onoratus.

* *cod.* quo.

* *cod.* quit.

lucifuge angelo in ignem æternum mancipandi descendant, immo etiam ne, sicut iste jam factus infelix juvenculus ad nefas proclivus, demum se involvant seculi actibus vitamque, veluti huic contigit, cum flore juventutis amittant et heu pro dolor! averni flammas edaces ac indeficientes incurrant; præcavensque sollicite quisque procuret ne post deificum votum ludificantes * a diabolo, caduca seculi ambiat et in baratrum flammivomum incidat, si huic de quo agimus miserrimo sequax pedissequusque esse deliberet. Meminerit semper illud quod scriptum est quia non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

* *lege* ludificatus.

18. Sed ista omittentes, ad sacratissimi eximiique patris Sigiranni bonum certamen, qualiter ad calcem usque pervenerit, Domino annuente stylum vertamus. Libet enim et valde est optabile in hujus præclari confessoris laude non solum plectrum linguæ accommodare, verum ejus actus vitamque, prout permiserit Dominus compertumque habemus, calamo percurrente describere. Accidit ergo illis in diebus ut hic vir Dei egregius et athleta Christi Sigirannus cuidam nobili feminæ, quæ acsi in habitu sanctimoniali degebat, fortuitu casu adiret, seque ejus obtutibus pro Christi amore ut erat peregrinus et forsitan nolens objiceret. Cumque illa hunc almificum in vili habitu adesse conspiceret, et non secundum interiorem hominem, sed eum secundum faciem judicaret, tumido vultu ejus notitiam percunctare cœpit, quis etiam esset, aut unde veniret, vel quo ire vellet, velut exprobrando, ab ea illata convitia accepit. Quam isdem vir Dei magnificus, sancto Spiritu repletus, subtiliter intuens, nil ei de se aliud indicare voluit, nisi tantummodo se esse peregrinum dixit. Tum illa eum acsi pro nihilo reputans, unum tantummodo panem pro misericordia a suo dispensatori accommodare jussit. Quo etiam cum gratiarum actione accepto, eum tamdiu secum detulit quousque quempiam invenit indigentem, cui eum iterum gratanter porrexit. Sed non post multum quæ calamitas adversæ valitudinis pro hac re huic feminæ contigerit, vel qualiter eidem isdem beatus propitians medelam corporis Domino suffragante adhibuit, commodum vide-

tur omni modo ut fiat omnibus in propatulo. Nempe omnipotens Dominus sanctos suos ante mundi constitutionem prænoscens, sicut scriptum est : *Quia novit Dominus qui sunt ejus*, noluit ut hic vir præstantissimo diutius lateret in abditis, qui Domino largiente aliorum medere quiverat animarum vel corporum morbos : unde prorsus datur intelligi quia sanctorum cœtibus non immerito iste sanctus est coæquatus, cui tanta ac talia sunt largita in terris. Exsolvamus ergo tandem aliquando hoc quod de sanctemoniali femina proposuimus, et sic demum opitulante Domino cetera percurramus. Cum igitur præfata hæc femina de loco in quo cum Dei famulo colloquium habuerat ad locum aliud se transferre vellet, equumque suum sibi semper assuetum ac mansuetissimum solito more ad se vehendum insideret, subito in tantam vesaniam atque rabiem est conversus ut eam a tergo suo in terram allideret; quin etiam suis eam fortiter conculcans pedibus, quosdam ex ejus artubus simul confregit cum ossibus. Cumque ejus apparitores ac ministri hinc inde consisterent ut eam ab hac calamitate eruerent, nullatenus ei aliquod juvamen præstare quiverunt, quousque in frusta * partim effecta pene exanimis est reddita. * *cod.* frustra.

19. At illa cum nullatenus gressum in terra figere, nec etiam de loco in quo collisa jacebat assurgere valeret, unus ex adsistentibus famulis concito cursu ad ejus filium perrexit, qui tunc fore videbatur pater monasterii quod infra urbem Tolosanam erat situm atque in honore sancti martyris Saturnini Deo dicatum. Quo quidem * audito, confestim ex * *cod.* quidam. doloris magnitudine ac matris læsione cum magno mœrore consurgens, ad eam summa cum velocitate perrexit. Vidensque eam tam gravi allisione attritam, cum ejulatu immenso incubuit super eam, atque inter lacrimas ab ea inquirere cœpit ne forte aliquod novum scelus mater egisset, pro quo in hoc itinere tam grande malum perpessa fuisset. Ad quem mater prout proloqui potuit confessa respondit : *Confiteor tibi, o fili dulcissime, quia nescio quid mali aliud hodie egerim nisi tantummodo quemdam peregrinum domum meam adeuntem non ut debuisset ingrate suscepit *. Nam fateor tibi quia,* * *lege* suscepi.

licet habitu ac vestibus esset despectus, facies tamen ejus ac vultus ceu * *facies angeli resplendebat exterius, nihilque, ut a nonnullis advenientibus fieri assolet, a meis percunctationibus inepta respondit, sed semper in omnibus Deo gratias retulit. Sed heu me infelix ac miserrima, qui ejus adventum non benivola vel propter Deum accepi, et vereor ne forte propter hoc nefas magnum mihi hoc acciderit detrimentum.* Ad hæc filius, recordatus quia nuper beatum Sigirannum viderat, respondens dixit matri suæ: *O mater optima, vir iste de quo loqueris beatus est Sigirannus; qui pro Christi amore mortificans seipsum, factus est incola et peregrinus. Si enim tu eum cum fervore caritatis excepisses, nunquam tibi hæc mala in hoc itinere contigissent. Ergo, mater amantissima, perquiramus eum, et ei munera offeramus, ut pro te Dominum exorare dignetur. Forsitan ejus interventione in pristinam sanitatem mereberis revocari.* Tunc suo equidem evocato cubiculario, centum solidos deferri jussit; eosque tradens filio, ut beato iterum Sigiranno pro se clamaret in munere suppliciter exoravit. Adjiciens quoque ait ad filium : *O fili dilectissime, hunc virum sacratissimum omnimodis exorare ut pro salute mea preces ad Deum dignetur fundere, quia ego omnem arrogantiam parata sum deponere. Tantummodo in sacris me suis orationibus cum fide suscipiat, ut salutem corporis saltem quantulumcumque percipere merear : et ego deinceps totis nisibus* * *cupio ad Deum converti meque in ejus servitio mancipari.* Qui festinus matris jussionem explere cupiens, ad virum Dei propere iter carpere, tandemque eum per diversa quæsitum, ambulantem per viam repperit hunc beatum. Quem quidem a longe prospiciens, de equo se in terram projecit; ejusque vestigia deosculans, virum Dei corde contrito cum lacrimis exoravit dicens: *Oro te, o sancte Dei, miserere digneris hactenus indigne agentem matri meæ, suffragiumque pro ea divinum implorare ne pigeas: quia nunc pro suis sceleribus collisa ac destituta jacet in terra. Nec valet omnino aliquatenus a terra consurgere, cum sint ejus membra maxima ex parte confracta, nisi tuis sacris orationibus tandem aliquando fuerit recuperata. Ecce habes,* ait, *o vir Dei, solidos centum, quos tibi hæc infelix per me filium suum direxit*

* *cod.* seu.

* *cod.* visibus.

placationis dona ac tuæ sanctitatis muneris causa, saltem ut paulisper valeat consurgere ab hac qua detineri cernitur adversa valitudine. Tunc ĭsdem vir sacratissimus pectus suum tundens pronusque in faciem poplites in tellure defigit, seque hujus rei causam impetrandi ad Deum non esse idoneum proclamavit, dicens : *Utinam pro delictis ignorantiæ meæ meorumque pondere peccaminum facultas mihi detur exorandi ad Dominum, quia profiteor me pro aliorum erratibus non esse idoneum. Tu tamen, fili dilectissime, materno ei affectu alloquere, ut flectens cor suum deponat superbiam, quia * pius et* (* *cod.* qua.) *clemens Dominus eam restituere valet in pristinam sanitatem. Si enim meum acquieverit consilium, cito Dei omnipotentis percipiet clementiam, corporisque et animæ a Domino promerebitur medelam. Hos quidem solidos, quos mihi cupis offerre, pauperum inopiam sublevare festina, quia meæ necessitudini nullatenus sunt necessarii. Quod cum hæc feceris, credo quia Dei largiente clementia pristinam ejus artus recipient sospitatem.* Audiens hoc isdem præfatus mulieris filius, et veluti divinitus ex ore hujus sancti viri accepto sermone prolato, ad matrem nihilominus concito cursu repedavit cum gaudio, et juxta prædictum viri Dei omnem valitudinem ab ejus corpore effugatam, incolumitati repperit restitutam. O vere ammirabilis et veneranda fides sancti Sigiranni confessoris, qui mox ut precibus exoravit Altissimum, meruit impetrare quod postulavit ab eo. Nam cum veridicus dicat Dominus: *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet,* iste nimirum beatus ac deificus belligerator Sigirannus jam dictam feminam a fastu superbiæ ut erueret, mox ut voluit ad humilitatem acsi quatiendo deflexit, moxque ut libuit pristinæ iterum incolumitati restituit. Vere etenim hic Dei electus a cunctis mortalibus est imitandus, qui ut liberius posset fieri divinis executor arcanis, cuncta seculi prospera funditus a se abjiciens, velut peccati fomitem nihilominus respuens. Jure etenim almitas istius sanctis sociatur innumeris, qui Dei gratia repletus, multorum indigentium extitit consolator benignus. Namque hujus sanctissimi merita a cunctis fidelibus non immerito sunt veneranda, ejusque innumera

beneficia rite jugiter sunt recolenda. Quod enim in eo divina gratia contulit ammirari potest, sed ejus virtus vel meritum lingua humana nullatenus explicare valet.

20. Post hoc autem insigne miraculum, quid etiam de ejus sanctissima humilitate nobis sit compertum, Domino largiente ut prosequamur prorsus videtur non esse incongruum. Accidit autem deinceps, forte non sine causa, ut hic pater eximius iter dum suum perageret, homuncio quidam suo in comitatu se sociaret, quique nimirum suis in cervicibus grave ferebat pondus, unde sibi suisque ferret alumnis. Dum ergo hi duo simul carperent iter, isdem almificus alloquitur dicens : *Tu siquidem, frater, hujus oneris ferendo gravem pateris injuriam; ideoque cupio tibi hoc in labore subsidium ferre, si tamen in hoc tu meum non distuleris votum.* Ad hæc homunculus ille respondens, talia protulit verba : *Volo,* inquiens, *domine, et valde exopto, qui hujus oneris immensitate gravi me sentio labore deprimere.* Tunc vir Dei gloriosus, caritate repletus, humilitate fundatus, benignitate præcipuus, de illius cervicibus onus deponens, suis imposuit scapulis, et ita ad locum præfati hominis compendiosum suis usque devexit humeris. Sicque hac in re veraciter isdem pater magnificus adimplere cupiens quod ait apostolus : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi,* et homini juxta se auxilio indigenti opem ferre studuit et legem adimplendo Christi gratiam accipere meruit, sicut ipse Dominus et Salvator noster ore proprio in sancto depromit Evangelio : *Quod uni,* inquit, *ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.*

21. Sed ut plenius ac lucidius hujus sanctissimi humilitas ab omnibus comprobetur, ut conculcandum hoc esse videtur indignum quid deinde iste beatus egerit Sigirannus. Sed inter cetera ejus acta animo est advertendum quid sibi hoc voluerit quod nunc de ipso sanctissimo huic operi est adnectendum. Cum enim loca diversa hic beatus perageret, et veluti unus ex pauperculis hinc inde circumiens incognita perlustraret, accidit ut in beati martyris atrio Saturnini, ubi pauperes ad petendam stipem sedere consueverant, deveni-

ret, et acsi unus ex illis eorum in contubernio consedisset. Qui tamen tamdiu cum illis adpræsens fuit, nihil ex eorum rebus particeps extitit, nisi tantummodo quod eos in verbo Dei constanter instruxit. Tandem vero ab ipsis pauperibus agnitus, valde inter se ammirari cœperunt quid causa extiterit quod vir tantus ac talis in eorum collegio devenisset. Sed cum ipse beatus ab ipsis pauperibus quis esset cognitum se esse perspexit, de eorum consortio se caute silenterque subtraxit. Sed hac in re quid causæ valemus conjicere? Namque, ut opinor, illud hoc peregit studio ut ipsos instrueret pauperes, qualiter omnem vitam suam in sanctam deducerent paupertatem; vel certe ut illis eminus in suo habitu proprio sanctaque religione sua pariter ammoneret, ut sicut ipse sponte, non necessitate, pro Christi amore paupertatem studebat diligere, ita et ipsi in sua paupertatem Deum glorificantes eum semper haberent, illud nimirum jugiter animo revolventes quod ait Dominus in Evangelio : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Nam sicut sæpe jam de hoc sanctissimo protulimus, qui erat in vera caritate radicatus ac sincera humilitate fundatus, ita quoque profitere veraciter possumus quia omnes actus suos cum devota humilitate benignaque caritate semper et ubique omnino discurabat peragere, illud semper reminiscens quod ait apostolus : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis.*

22. Et ut hoc quod verbis proferimus verius litteris inculcando adstipulari possimus, dicamus etiam qualiter vir iste almificus, per omnia se humilians, sacris nimirum actibus cum sancta humilitate veraque caritate jugiter decrevit insistere. Accidit namque eo in tempore, dum recto calle solito more incederet, ut quemdam homunculum ex ruriculis unum videlicet plaustrum fimo onustum sine cujuspiam animalis auxilio cum vim * nimia trahentem conspiceret, utque mos * est agricolarum, rura excoleret suoque in agello fortiter insudaret. Cui isdem, ut erat pater omnibus affabilis, acsi hujus pauperi foret similis, in ejus labore compatiens dixit : *Tu, o pauper miserrime, boum solatia indiges, ideoque*

* *cod.* cūum.
* *cod.* mox.

in gravi labore taliter desudas acerrime, ut video, fatigatus existis. Cupio ergo tibi nunc ad præsens præbere solatium, si tu ipse nullatenus mihi distuleris locum. At ille homuncio, nempe ut erat necessarius, hoc verbum voce affabili a viro Dei audivit, auxiliari sibi ab illo locum dare minime distulit. Tunc benignus Dei famulus plaustrum proprias accepit in ulnas, ut hac illacque per arva trajiceret eum; et sic opus incommodum, quod solus ille infelix homo * agere tentaverat solus, cum sancti istius sodalitate ac magnifica caritate procuravit peragare. Dein vero opus peractum, tres ei aureos, quos ad suam adhuc necessitatem secum ferebat, protulit hic beatus, dicens ei ut bovem sibi ex his emeret, ne tale sibi pondus frustra deinceps imponeret ac semet interiret. Sic itaque Dei electus iste divinum hac redupliciter complevit mandatum, dum et indigenti irrefragabiliter præbuit solatium. Vere incunctanter et per omnia venerandus est Dei cultor eximius, qui omnibus, prout omnibus ille posse fuit, subsidium præbuit et ultra quam ei facultas suppeteret cunctis prodesse curavit. Enimvero, ut ita dicam, acsi novus alterque Job iste beatus modernis temporibus foret emersus, pes extitit claudo atque oculus cæco, cunctisque pauperibus pater fieri studebat esse benignus. Tanta denique ei humilitas inerat ut, licet ex nobili sublimique prosapia ortus existeret, nullus tamen infimis ac rusticanis operibus se implicari aliquatenus despiceret. Adeo enim hic beatissimus, in cunctis quæ agebat sollers, de se humilia sentiebat, quatinus cum David propheta fiducialiter canere quivisset: *Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me secundum verbum tuum.* Denique propheta sanctus post lapsum jam quidem de se humilia sentiens, Domini misericordiam pronus indefesse flagitabat; hic autem electus Dei et Christi athleta Sigirannus, ab ineunte ætate bonis accrescens actibus, immo cum sancta caritate veraque humilitate cor semper gerens senile, de Domini gratia fretus grates exinde gerens persolvebat attentius. Proinde propheta sanctus providens nobis post causam delicti viam salutis divinitus, qualiter quisque in cœno jam voluptatis demersus quantocius Domini misericordiam

* *cod.* homum.

imploret et adjiciat ut resurgat; almificus nimirum Sigirannus, post Dei placita innumera gesta, prorsus exemplum reliquit posteris, ut sollicite quisque præcaveat ne in aliquod letale vulnus incurrat.

23. Cum igitur hic beatus de quo agimus incessanter ita perageret, nullatenus quidem a laude Dei jejuniis simul et orationibus diebus ac noctibus cessabat. Nam crebro noctem pervigil in Domino transigebat; diem vero, prout tempus dictabat, animas simul et corpora indigentium alere satagebat. Nempe, juxta illud apostoli dictum, ita in omnibus membra sua mortificabat super terram ut vix aut parumper cibum vel potum strictum perciperet. Nam ista, ut præfatum est, jugiter peragens, solus pergebat, solus cum Domino suum opus perficiebat. Hinc datur intelligi quia, ut jam prælibavimus, priscorum patrum iste beatus in cunctis imitator existens, cum propheta sancto Jeremia dicere * nihilominus poterat : *Sedebam solus a facie tua, Domine, quoniam comminationem replesti me.* Et ideo magnifica istius sancti, beati videlicet Sigiranni, innumera gesta ab humano ore nequeunt comprehendi. Nam quis ejus almificis actibus per cuncta valeat comprehendere, cum sibi nullum præsentem aliquando ministrum adesse permiserit qui ea oculis cernere quivisset? Sed licet solus ille ea noverit qui, antequam fiant, ejus oculis cuncta sunt nuda et manifesta, tamen ea quæ nobis de ejus vita vel miraculis veridica sunt relatione comperta, prout largiri dignatus est Dominus dilucidare ac propalare decrevimus. Etenim quia forte, ut reor, perplura quæ dicenda fuerant omisimus, hæc tamen Domino favente pauca de pluribus sint in propatulo dicta. Nunc jam deinceps illud adhuc nobis restat agendum quatinus, prout pius permiserit Dominus, de ejus sacratissimum transitu sermonem proferamus ad publicum.

* *cod.* dicimus.

24. Nam cum laborum suorum jam remunerationis tempus adpropinquaret, febris valitudine cœpit nihilominus æstuare. Cumque etiam magis magisque vis febricitantis adquiesceret*, ejusque corpusculum efficeretur jam marcidum, quicquid ex pauperticula adhuc illi supererat pauperi-

* *leg.* adcresceret?

bus erogavit. Quin etiam adeo exertum se ex omnibus fieri provocavit ut nihil ei nisi una vetusta solummodo tunica, qua uteretur dum adhuc paulisper in corpore viveret, quippiam residuum esset, fieretque ei ipsa viaticum ad suum sacrum corpusculum contegendum. Dicebat namque sæpe iste beatus illud sancti Job, et hoc implere quantocius satagebat: *Nudus,* inquiens, *egressus sum de utero matris meæ, nudum me illuc oportet revertere.* Jamque etiam, ut dicere cœperamus, cum sibi finem vitæ inspiceret imminere, in humilitate qua cœperat persistens, in locum humillimum suum jussit sepelire corpusculum. Denique hinc inde assistentibus sibi, ut ad * cujuscumque transitum solet fieri, ita de se hic beatus palam professus est omnibus : *Quoniam indignus sum,* inquiens, *sanctorum alicujus locum præoccupare in ecclesiis, tantummodo precor, si libet, juxta morem humanum humili in loco meum sepelite corpusculum. Profiteor etenim me esse indignum saltem aliquo in ruris loco me fore humandum.* Tunc more solito, quia isdem pater almificus animarum custos semper extitit devotissimus, viros omnes christianos qui ad ejus exitum devoti convenerant ammonere cœpit attentius, quatinus sanctis piisque ac justis indefesse existerent actibus. Cumque talia perageret, atque cum gratiarum actione Deo ac Domino nostro Jesu Christo hymnidicas laudes persolveret, beatissimam animam spiritumque angelorum cœtibus dignum, ipsis nimirum commitantibus, emisit ad cœlum. Cujus nimirum gloriosus videlicet almi Sigiranni levitæque Christi transitus pridie nonas extitit decembris, Clodoveo rege illo tunc tempore prosperis successibus regnante. necne Aureliano præsule Bituricas in civitate nobiliter præsidente.

* *cod.* a.

25. In hujus ergo almi transitu eximio consonas* laudes referamus Domino, quia hic beatus ubique fretus ovansque de Dei clementia, nunc et per secula cum Christo Deo regnat in æterna gloriâ. Veneremur itaque cum divinis laudibus devotissime hujus ad Christum memoratum transitum, ejusque in memoria altiboando personemus ore pio congrua melodia. Licet enimvero scriptum sit ne laudes quemquam

* *cod.* consonans.

in vita sua, donec perveniat ad portum opportunum, verum hic Dei vir præstantissimus et in vita sua laudes obtinuit debitas, quia hujus mundi fluctivagos strenue calcavit anfractos, et hic post mortem glorificatus tripudians cum angelis, cum Deo et Agno vitam perennem adeptus est in cœlis. Hic prorsus in vita præsenti ut armiger Christi non impotens belligerator extitit invictus, et post istius vitæ defectum æternæ gloriæ cum Deo et angelis ejus promeruit habere consortium. Dicamus ergo devoti corde et animo in hujus sancti laude : Gloria tibi sit, Christe rex piissime, qui tibi talem affabilem famulum elegisti, Domine. Quin etiam in hujus transitu almifico hymnidicas hinc inde reciprocando personemus odas, dicamusque in Christi laude : Gloria, honor, decus et potestas tibi sit una cum Deo Patre sanctoque Spiritu, unigenite Domine. De cetero etenim, ut fides bonorum omnium ex sanctorum actibus clarescat, eorumque corda per eorum exempla altiora transcendant, poscendum est nimirum ab omnibus ac devotissime supplicandum quatinus, quia nunc et in ævum iste beatus cum Christo regnat in cœlis, sacris suis precibus salutem nobis apud ipsum semper obtineat mentis et corporis qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per infinita secula seculorum. Amen.

SEPTILILIUM B. DOROTHEÆ (1).

[TRACTATUS III. DE EUCHARISTIA.]

Incipit tractatus tertius, de venerando Eucharistiæ sacramento, qui merito continuatur ad tractatum de Spiritu sancto (2). — Capitulum I.

Quia Dominus Deus huic sponsæ Spiritum sanctum suum frequentatis vicibus misit, ut ipsam [1] melius ad venerabile sacramentum Eucharistiæ præpararet: nec enim alius esset qui hoc aptius et perfectius faceret, prout hoc Dominus per seipsum in pluribus revelationibus testatus fuerat: ideo merito post tractatum de Spiritu sancto sequi debet tractatus de dicto sacro digno Eucharistiæ sacramento. Cujus quia varigena sunt mysteria, innumerabiles fructus et sentimenta, quæ nemo hominum novit nec noscere ad plenum poterit, quid

[1] sponsam *G.*

(1) Cfr. supra, p. 113. — (2) In Vita Germanica B. Dorotheæ, lib. IV, leguntur quædam capita quæ huic tractatui respondent: quorum hi sunt tituli (cfr. *Scriptt. Rerum Pruss.*, t. II, p. 340):

I. Das dy Gotis hungerige Dorothea hatte grose begerunge czu seen und czu entfoen das hochwirdige sacrament des leichnams unsirs hern. — (Cfr. hic cap. II.)

II. Das ire grosze hitczige begerunge noch dem leychenam unsirs herren was eyne libe gobe von Gote. — (Cfr. hic cap. IV.)

III. Von etlichen liplichen worten, dy dy zele Dorothee schrey, wen der herre qwam in dem sacrament. — (Cfr. hic cap. XI.)

IV. Wy Dorothea der herre qwam im sacrament mit gar manchirley fulen sunderlich XXXVII. — (Cfr. hic cap. XII.)

V. Wy ir der herre quam ernst und machte sy gar trawrig. — (Cfr. hic cap. XIII.)

VI. Wy der herre quam gar endelich gelouffin und machte sy gar hitczig. — (Cfr. hic cap. XVIII.)

VII. Das der herre noch grosin smertczen quam mit manchirley gut unde durchging alle creffte der selen und des leybes. — (Cfr. hic cap. XXI.)

VIII. Das der herre Jhesus Cristus, der seligen Dorothea himmelischer breûtegam, quam ir mit eyner grosin schar und irfullete ire sele mit manchirley (gut); her durchwete sy und irweychte sy, und slos czu iren sal addir pallas, do sy hatte heilige, wirdige sacrament seines leichnams entfangen. — (Cfr. hic cap. XXII.)

IX. Von der fumfften weyse, dy do vor geschriben ist in deme sibinundczwentczigstin capittel des dritten buches. — (Cfr. hic cap. XXVI.)

Cfr. etiam Vit. lat. min. capp. 57, 58, 66, 67, quibus respondent hic capp. 2, 4, 9.

boni in se contineat, quid doni in præsenti conferat et quantum præmii in futuro largiatur digne accipientibus. Verum etsi propter ejus inscrutabilem altitudinem non liceat scrutari ejus mysterium, licet tamen quibus datum est, ejus sentire fructum, et hunc referre ad gloriam Dei et ut magis excitetur hominum desiderium ad hunc cibum, exsurgatque gratiarum actio et vox laudis, singulariter pro fructibus gratiosis dominæ Dorotheæ in hoc sacramento collatis. Si ergo legeris in hoc tractatu effectus hujus sacramenti aliquos quos non novisti experientia nec didicisti in sacra pagina, recordare Scripturæ dicentis [1]: *Numquid est invalida manus Domini?* et quod divisiones gratiarum sunt, et quod Dominus Deus piissimus sua dona quibus vult distribuit, secundum quod in specula altitudinis suæ unicuique competere [2] discernit.

Capitulum II. Quod sponsa intensum habuit desiderium tam ad accipiendum quam ad videndum Eucharistiæ sacramentum.

Odore hujus vivifici sacramenti sponsa hæc attracta, a pueritia sua usque ad extrema sua magna habuit desideria hostiam videndi sacrosanctam; et, si una die ipsam [3] centies vidisset, prout aliquando bene accidit, adhuc desiderium plus videndi retinuit. Non enim satiabatur oculus in videndo corpus Christi, sicut nec auris ejus audiendo verbum Dei. Sane cum desiderio videndi corpus Christi fuit etiam desiderium aliquoties in anno percipiendi. Ab anno quippe ætatis suæ undecimo libenter septies sumpsisset [4] in anno; sed non est permissa pluries quam bis accedere in illa puerili ætate. Dum vero adolevisset et desiderium suum crevisset, accepit septies, et aliquando pluries in anno, quando fuit in matrimonio. Intensum siquidem ejus desiderium, quod erat fervens, sanctum et pium ut acciperet hoc desiderabile sacramentum, per vices plurificatas quibus in anno accepit ipsum [5] non fuit remissum seu diminutum, sed majus accepit incrementum, in tantum quod multoties noctes duxit insomnes. Hinc sollicite [6] erat prout melius ordinare poterat valde mane ad ecclesiam accedere, ut posset hoc desiderabile animæ suæ saltem a mane celebrantibus videre. Cujus esuries pro illo salutari cibo sæpe erat tam vehementer magna quod, si ei licuisset, libenter hostiam ore suo de manibus sacerdotis rapuisset. Nonnunquam accidit quod ante horam elevationis sacræ hostiæ rapta fuit et ultra elevationem in excessu mentis permansit : et tunc hostiam non vidit, quam tamen videre

[1] Num. XI *add. C.* — [2] *ita C;* competenter *V, G.* — [3] *add.* non *G.* — [4] sumpsit *G.*
[5] *om. G.* — [6] sollicitata *G, C.*

fervido desiderio desideravit. Porro : Frequenter cum magna difficultate propter nimiam spiritus esuriem diem communionis potuit exspectare; quæ quando affuit, nocte præcedenti aliquando præ gaudio dormire nequivit et aliquando noctis aut temporis longitudine [1] nimis [2] afflicta fuit. Quæ tam tunc quando lætificabatur ex spe quam tunc quando affligebatur ex diuturna exspectatione, per fenestram cœlum respiciens solebat horam observare diescentem aut diei appropinquantem, ut posset agnoscere si in brevi posset suum desiderium adimplere [3]. Rursus : Suum desiderium, licet, prout [4] præmittitur esset intentum ad hoc desiderabile sacramentum, ut ipsum multoties mane videret et sic crevisset quod, nisi cum afflictione spiritus ultra hebdomadam unam ab ejus salutari [5] susceptione abstinuisset, ipsum tamen effectum est notabiliter magis quam prius intensum [6] anno Domini MCCCLXXXIX, in quadam infirmitate quasi per dimidium annum [7] durante. In qua quidem infirmitate passio Dominica [8] fuit ei in utroque homine fortiter impressa : homini interiori fuit impressa per compassionem et vulnera spiritualia, exteriori vero per vulnera corporalia. Et hæc omnia sibi fuere a Domino inflicta. Qui, et [9] postea ei dixit quod ad exsurgendum vires ei non concessit [10], nisi dominicis diebus; et hoc tunc fecit, ut iret ad ecclesiam et acciperet Eucharistiam sacrosanctam.

Capitulum III. Intensione [11] desiderii ad sacramentum habiti oriebantur [12] in sponsa esuries et sitis spiritus ac plures alii effectus.

Desiderium ejus sic a Domino gratuite datum, nulla arte humana formatum, fuit valde fervidum et spiritus afflictivum. In quo frequenter pro sacramento diu et multum flevit multotiesque nimis ex tristitia abstinendi se afflixisset, si desiderio per rationem ex Domini informatione non restitisset. Sæpe etiam ex æstu hujusmodi desiderii orare non valuit; cor doluit, quod sibi videbatur velle crepere, si non permitteretur sacramentum suscipere illa die. Aliquando ita fatigata fuit ex desiderio quod non valuit stare aut ambulare, nisi cum magna difficultate. Multoties etiam propter hujus salutaris carentiam infirmata est corpore et decubuit ac si oppressa fuisset gravi ægritudine. Quæ postquam diu afflicta fuit et multas vires consumpsit, eo quod Dominum in sacramento non pluries quam semel per hebdomadam suscipere permissa fuit, Dominus eam ad C[onfessarium] direxit, ut ejus

[1] longitudinis *C.* — [2] *om. G.* — [3] adimplere *G.* — [4] ut *G, C.* — [5] *om. G.* — [6] extensum *G.* — [7] anni *G, C.* — [8] (Dominica) Domini tam *G;* Dominica tam *C.* — [9] *codd.* ut. — [10] concessisset *G.* — [11] Extensione *G.* — [12] oriebatur *G, C.*

desiderium ad sacramentum intelligeret per frequentem fletum et planctum. Et, ut ei fidem credulam adhiberet, commisit ei Dominus, ut ipsi C[onfessario] bonitatis beneficia tunc et prius sibi facta referret. At ille dum sponsæ desiderio acquievisset et fidem dictis ejus adhibens ter in septimana sacramentum porrexisset, Dominus per sponsam quandoque dies communionis designavit et vices in hebdomada plurificavit. Nec per hoc ejus desiderium fuit satiatum; sed aliquando ex intenso desiderio ita esuriit et viribus destituta fuit, quod sibi apparuit se non posse suam esuriem plene unquam exprimere nec in os suum aliquem corporalem cibum accipere : et hoc bene etiam apparuit in fine vitæ suæ. Aliquando desiderium ita crevit et eam per noctem aut diem aggravavit, quod multum sollicita extitit quomodo vita comite horam communionis valeret exspectare. Unde quadam die ei dixit Dominus in desiderio Eucharistiæ multum afflictæ : *Dic ad tuum C[onfessarium] : Ego sum homo ita debilis et infirma quod hic in terra nonnisi unus cibus delectat me; et hunc quare mihi non vis dare ? Nam ipse est cibus tam sanus, nobilis et bonus, qnod sine eo non potest vivere spiritus meus. Nec est necesse te illum ab alio quam a Domino postulare.* Porro : Quandoque in die communionis Dominus jussit sponsam ad altare C[onfessarii] citius accedere, ne C[onfessarius] de ejus tardo adventu haberet occupationem vel inutilem distractionem. Rursus : Quamvis circa C[onfessarium] vires in desiderio sancto jam dicto etiam consumpserit, etiam [1] ipsa tamen prius [2] multo plures antequam ad [3] C[onfessarium] venisset, propter sacramenti carentiam dissipavit. Ob hoc Dominus ad unum suorum confessorum priorum dicere eam jussit : *Domine dilecte, quando fui apud vos, meum ad [3] Dominum bene novistis intensum desiderium : quem tamen mihi noluistis dare. Ideo oportuit me multas vires consumere, quas potuissem conservare et nunc in Dei servitio offerre. Si enim tribuissetis mihi aliquoties in septimana Eucharistiæ sacramentum juxta animæ meæ desiderium [4], tunc nihil aliud fecissem nisi Dominum dilexissem et intensum ad Dominum desiderium habuissem ; hoc jam sum experta et experientia certificata. Nam ex quo datum est mihi Eucharistiæ sacramentum juxta animæ meæ desiderium, jam anima mea est caritate ferventer incensa et desiderio velut insaniens effecta, nolens aliud nisi Dominum habere. Jam sibi sic est directe ac si sedeat captiva in carcere, non reputans carnem suam nisi cinerem et terram; nec in aliquo cibo quam in isto sacramentali habeo delectationem.* Amplius : Hæc sponsa multoties fuit pro sacramento hoc ita spiritualiter famelica ac per hoc viribus in tantum destituta, ac si diebus multis nec cibum spiritus neque

[1] *om. C.* — [2] (tamen prius) tunc *G, C.* — [3] *om. G, C.* — [4] (juxta-desiderium) *om. G.*

corporis sumpsisset. Quæ licet sic esset inedia graviter afflicta, in aurora oportuit tamen ut frequenter exspectare ipsam cum communione usque ad summam missam. Hinc ejus desiderium quandoque propter missæ exspectationem et aliquando propter communionis in crastinum prorogationem effectum est ita vehemens et insaniens, in tantum quod Domini consolatione aliquando [1] non fuerat diminutum. Qui quandoque ei dixit: *Hodie non poteris me habere: ordinabo autem quod die* [2] *dominica et feria secunda, in qua erit festum, me valeas obtinere. Et dic ad tuum C[onfessarium]: Anima mea est tristis usque ad mortem quando absque Domino sacramentaliter permanere debeo per diem.* Rursus: Aliquoties, dum in magna fame et desiderio pro sacramento fuisset afflicta et quasi extreme extenuata, dixit Dominus: *Dic ad tuum C[onfessarium]: Quamdiu tamen in tanta caristia, in qua tam magna sitis et esuries sunt et prævalent, debeo permanere? Et licet hic caristia sit magna, attamen quasi nullus est qui esurit, et ob hoc Dominus me fortiter flere jussit, quia in hac regione ita* [3] *pauci sunt qui esuriunt spiritualiter* (1). *Quod autem non esuriunt, ideo est quia in regione meliore, id est in cœlo, sapidiorem cibum cibo hic percepto non gustaverunt.* Quippe homo in bonis transitoriis abundans et lucris inhians quanto plura mercando acquisierit, tanto ardentius lucrari inardescit; pauper vero, qui non habet sufficientia bona per quæ posset lucrari alia, non habet ad lucrandum anhelationem, nec ut lucretur exercet validum laborem. Consimili modo est in spirituali lucro. Amplius: Pluries esurie salutari sic fuit extenuata ac viribus destituta, quod, nisi sacramentum accepisset, cibum corporalem pro corporis recreatione ante horam solitam oportuisset [4] eam accepisse. Vires enim singulæ ejus laborabant et vocem desiderii, quam ipsa sane audivit, exultabant. Unde Dominus vehemens ejus desiderium volens refrenare, dixit ei: *Recogita quam dignu sego sim et quam indigna tu sis, quam magnus ego sim et quam parva tu sis coram me.* At illa hæc recogitans amare flevit. Cui Dominus: *Flendo pro te rogita me ut ego præparem te ad digne suscipiendum me.* Dum jussa explesset, ita plena lacrimis fuit, sicut etiam alias sæpe extitit, quod quomodo se ad accipiendum sacramentum componeret nescivit.

[1] *deest in G, C.* — [2] crastina *add. G.* — [3] *om. C.* — [4] oportuit *G.*

(1) Ad marginem atramento rubro scriptum legitur: " Nullus esurit et multi percipiunt. "

Capitulum IV. Pretiosum Domini est donum ad venerabile Eucharistiæ sacramentum intensum [1] habere desiderium; quod quanto plus fuerit intensum, tanto magis est Domino acceptum.

Cum ex caritate oriatur desiderium, ideo [2] quando quis plus [3] Dominum diligit, tanto magis ipsum et ejus sacramentum concupiscit et ut obtineat alacrius laborat et currit, minusque [4] transitoria bona concupiscit et advertit. Quanto enim amor Dei crescit, tanto concupiscentia discrescit. Ergo in quocumque perfecta caritas consistit, illa in tali bona temporalia in quamdam insipiditatem vertit, eorum quoque [5] vilipensionem et contemptum inducit. Sic in hac sponsa est actum, quæ perfecte dilexit Dominum. Qui ejus volens dilectionem et transitoriorum vilipensionem pandere, jussit eam ad suum C[onfessarium] sic dicere : *Ego in tantum diligo Dominum, quod libentius sacramentaliter suscipio eum quam omnes mundi divitias. Nam si unus offerret mihi omnes mundi divitias et tu offerres mihi Dominicum sacramentum, ego potius ac libentius accederem ad te quam ad illum; immo ipsum parvipenderem et cum suis divitiis contemnerem. Tu ergo regratiare Domino pro me, pro eo quod mihi tam intensum ad se dederit desiderium, qui non potuisset mihi super terram dedisse majus donum* [6]. *Nec aliquando desiderium amoris tale possem ex me habere. Quippe me ad te dicente : Vellem libenter Dominum meum dilectissimum habere, est verbum facile ad dicendum ; sed energiam quam me oportet in tali desiderio sustinere non sufficio tibi exprimere. Hodie siquidem me circa te sedente et dictum verbum dicente, cor meum et omnes vires laborabant tam intense pro vita æterna et corpore Domini mei Jesu Christi, quod tam largiflue sudavi ac si sedissem in balneo valde ferventi.* Porro fimbrias esuriei ac alas desiderii jam præmissi Dominus volens dilatari et intendi, dixit sponsæ : *Fortiter laboribus insiste, ut magnam ad me possis esuriem habere. Tu enim nosti quod fortiter laborantes corporaliter pro cibo corporali magnam habent esuriem; quippe qui non laborat ita fortiter quod virium defectum aut fatigationem sentit, antequam me suscipit, ille etiam, in viribus suis sumpto sacramento non percipit an vires recreatæ sint.* Hæc Domino dicente, apparuerunt multi sacerdotes sponsæ divinitus illustratæ, qui se disponendo ad Eucharistiæ sacramentum nunquam extenuaverunt vires suas in tantum quod vix subsistere [7] valerent tamdiu ut susciperent ipsum propter virium

[1] *om. G.* — [2] id est *G, C.* — [3] *add.* ipsum *G, C.* — [4] nimisque *G, C.* — [5] (e. q.) eorumque *G.* — [6] (majus d.) majus bonum seu donum *G;* majus bonum *C.* — [7] *om. G.*

defectum per [1] præparationis laborem causatum. Viditque tales spiritualem non sentire refocillationem nec virium suscipere recreationem, neque sentire [2] esuriem aut satietatem ante vel post Dominici corporis sumptionem. Videbantur quoque sic stare quasi faterentur hoc [3] sic esse. Et adjecit Dominus : *Sacerdotes qui festinanter horas suas dicunt et nihilominus missas celebrare intendunt, hi me nec magnifice metuunt neque magnifice cognoscunt. Tales quippe postquam festinantes ad missam accesserint [4] et compleverint [5], os suum tergunt, festinanter ad divitem mensam, delicatam refectionem aut ad aliam occupationem accedunt, modicum nimis recogitantes quid egerint et quid ad [6] se susceperint. Et hæc negligentia est et erit eorum magnum periculum atque damnum.* Rursus : Inquit Dominus de aliquibus sacerdotibus, et potest bene convenire omnibus : *Plus,* inquit, *mihi de illis placeret quod ex magnis desideriis, esurie et siti de mane pro me flerent et aliquid de orationibus omitterent, quas præ esurie et desiderio pro me complere non possent, et cum festinatione esurie eos impellente ad celebrandum accederent missaque finita et gratiarum actione præmissa partem orationum dimissam [7] implerent, quam quod orationibus prius completis accedunt ad missas dictam esuriem ac desiderium non habentes.* Amplius : Dominus docens sponsam orationes quibus se debebat ad sacramentum disponere, inquit : *Quando vis me suscipere, debes largiter flere et dictas orationes dicere.* At illa, quando præ amoris ardentis et gaudii magnitudine non valuit [8] numerum orationum Dominicarum et aliarum implere, suscipere sacramentum non fuisset ausa, quamvis ad hoc multum fuerit affecta, nisi fuisset a Domino licentiata aut specialiter [9] instigata. Nam aliquando fuit ita magnifice a Domino beneficiata, quod præ gaudii et deliciarum teneritudine non valuit laborare, non orare nec plorare; et ita multoties ipsam [10] satiavit, quod nihil plus [11] tunc desideravit. Ipsique cogitanti : *Si Dominus dignaretur me semper in tali dispositione, scilicet satietatis et lætitiæ, conservare,* respondit ei [12] Dominus : *Ego bene possem hoc facere; sed, me hoc agente, mediante quo velles mereri, quando nullum haberes laborem nec esuriem? Hoc etenim debet tuum mereri existere, graviter pro me laborare, fortiter esurire et sitire.* At sponsa hoc audiens cum gaudio suscepit et gratias Domino debitas exsolvit. Quæ multoties tam æstuans desiderium habuit quod caput doluit; aliquando ejus vertiginem incurrit, et aliquando desiderium in tantum excrevit quod cor ejus nimis aggravatum suo videre fractioni appropinquavit. Postremo : Dominus pro desiderio sponsæ

[1] *om. G.* — [2] *add.* s. *G, C.* — [3] *om. C.* — [4] accesserunt *G, C.* — [5] compleverunt *G, C.* — [6] (ad se) *om. G.* — [7] omissam *C; om. G.* — [8] (n. v.) *om. G.* — [9] spiritualiter *G, C.* — [10] eam *C.* — [11] *om. G, C.* — [12] cui *G.*

volens condescendere, concessit ei ut post reclusorii ingressum possit omni die ejus suscipere sacramentum, sicut superius (1) libro V, cap. VI est scriptum. Dixitque ei : *Postquam cœpisti flendo ad me clamare et fortiter pro corpore meo sancto laborare, ego permisi te flendo clamare et vires laborando consumere, exspectans ut tua probaretur perseverantia : et quia in præmissis perseverans fuisti, quousque jam quasi* [1] *non plus valens in viribus defecisti, dignatus sum ordinare quod me vales quotidie habere* [2]. Præterea firmiter est memoriæ commendandum quod non obstantibus magnis gaudiis, deliciis ac consolationibus divinis desiderium ad hoc venerabile sacramentum in hac sponsa continue fuit auctum, nec fuit propter quotidianam sumptionem diminutum, sed quotidie crevit ad tantam magnitudinem quod nonnisi sumpto sacramento habere valuit [3] contentationem.

Capitulum V. Intensum requiritur desiderium in volente [4] multoties in anno accipere sacramentum Eucharistiæ (2).

Laudabiliter egit Zachæus, qui pro suo pio ac fervido desiderio Dominum non solum ad domum suam invitavit, sed et manere coegit : unde ei dixit (Luc. XIX) : *Zachæe, festinans descende, hodie in domo tua oportet me manere.* Sic qui sancte viventes et Dominum vere cognoscentes ac recte diligentes, intensumque [5] ad ipsum habentes desiderium, ut ipsum accipiant per Eucharistiæ sacramentum, etiam laudabiliter invitant [6] ad se Dominum. Qui tamen si voluerint [7] ipsum multoties sacramentaliter accipere cum fructu animæ suæ, debent [8] in se adhuc plura bona habere, sicut dixit Dominus huic sponsæ : *Qui,* inquit, *vult me multoties cum profectu animæ suæ suscipere, ille debet mei notabilem notitiam habere, mundam conscientiam variis virtutibus ornatam, operibus meritoriis repletam, odore sinceræ dilectionis et fumo fervidi desiderii flagrantem, non secularibus occupatam* [9] *negotiis, sed a me bene et debite præparatam* [10]. *Et dic ad tuum C[onfessarium] : Nullus debet me multoties suscipere, nisi prius me magnifice cognoscat et ferventer ex desiderio ardeat. Debet autem inter alia recognoscere quod nec ipse neque aliquis hominum valet se sine me ad hoc sacramentum, ut mihi ejus dispositio accepta sit, disponere, sed quod ego ipse ipsum præparo et dispono.* Etiam : *Nullus debet sæpe me*

[1] *om. G.* — [2] (dignatus-habere) *om. C.* — [3] voluit *C.* — [4] valente *G.* — [5] intensum *G, C.* — [6] *ita videtur legendum ;* invitavit *codd.* — [7] voluerit *G, C.* — [8] debet *G.* — [9] occupatum *G, C.* — [10] *codd.* præparatum.

(1) Intellige : in magna Vita latina. — (2) In margine superiore manus recentior adscripsit : " Capitulum maximæ utilitatis et necessitatis. — Omnibus hoc dictum erit lucens speculum. "

alicui porrigere qui adhuc mundanis conversans seculares habet occupationes, sive gerit habitum spiritualem sive secularem. Si etiam ita ferventer arderet quod omni die pro me fleret et clamaret, adhuc nec tu nec aliquis debes cito dare consilium aut consensum ut illi sæpe detur Eucharistiæ sacramentum, donec ejus perseverantia probetur et ejus maturitas bene appareat et cognoscatur. Bene siquidem cum talibus agitur, quod eorum desiderio non cito condescenditur, donec eorum persistentia bene appareat maturata. Bonum quippe quod in sacramento suscipitur est valde magnum. Porro: *Homines adhuc in mundo existentes et occupationem cum seculo habentes, si desideraverint me multoties suscipere, petentes sacramentum Eucharistiæ a suo confessore, tunc petenti confessor respondens dicat : Cognoscis tu etiam Dominum et diligis ipsum? Si petens dixerit sic : Ita, cognosco Dominum et diligo ipsum, tunc e converso subjungat : Tu, miser homo, cognoscis tu Dominum et diligis ipsum? Quomodo tu præsumis ipsum multoties suscipere quamdiu te oportet tales cum seculo occupationes habere et in talibus peccatis vivere? Tu debes timere valde sollicite te esse indignum non solum ad ipsum suscipiendum, sed etiam ad videndum; hoc tanto plus reputabis te indignum, scilicet ad aspiciendum, quanto magis dilexeris ipsum, nec sine timore te humiliante inspicies illum. Dimitte malum et fac bonum, ora, jejuna, plora et juxta tuum posse melius quod vales operare : et cum hoc fideliter egeris, adhuc vix in medio anno te præparare poteris ut eum accipias dumtaxat una vice, et hoc ipsum debebis facere cum magno timore, adhuc valde indignum reputans te esse.* Amplius : Dixit sponsæ Dominus : *Tu debes secure dicere ad C[onfessarium] : Quicumque ad me suscipiendum non habet intensum desiderium et tam anxium ut fortiter posset flere pro me, timens sollicite omissionem communionis sibi multum nocere, nec auderet dimittere ex magna dilectione quantum esset in se quin* [1] *susciperet me, talis scilicet præmissum non habens desiderium, etiam si se præparasset ad me suscipiendum* [2], *se humilians et indignum reputans, potius non suscipiat me, nisi esset festum paschæ aut Nativitatis meæ.* Hæc sponsa intellexit Dominum de laicis, et non de sacerdotibus dicere, quibus incumbit ex officio celebrare. Si enim extra festivitates in quibus sine nota infamiæ non [3] possent abstinere, abstinerent cum humilitate, dicentes ex corde cum centurione [4] : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum,* sed se præpararent [5] prout melius possent, ut spiritualiter communicarent ac ut esuriem et intensum desiderium haberent, hoc Dominus plus acceptaret quam quod cum tepido accederent affectu. Rursus : Sponsam jussit Dominus cuidam rectori parochia-

[1] *ita C;* quando *V, G.* — [2] *om. G.* — [3] *vox quæ videtur supplenda ; om. codd.* — [4] contritione *G.* — [5] præparent *G, C.*

lis ecclesiæ sic dicere: *Tu non debes esse largus aut facilis in porrectione sacramenti Eucharistiæ; nam illis qui videntur tibi in tua plebe optime dispositi, vix debebis quinquies aut sexies in anno Eucharistiæ porrigere sacramentum: et hoc debebis facere cum difficultate, eis dicendo impressive quod se præparent studiose ab una vice communionis ad aliam; nec sunt in plebe tua homines intensum desiderium ad Dominum habentes.* Post hoc Dominus conquerebatur sponsæ paucos homines esse debitum desiderium habentes ad sacramentum Eucharistiæ, et quod quasi nullus esset qui sciret debite quomodo se ad sacramentum deberet [1] præparare; et ob hoc jussit eam largifluas effundere lacrimas. Et addidit Dominus de quadam persona religiosa, quæ videbatur ad sacramentum affectuosa [2], petens sibi dari ipsum in festo Petri et Pauli apostolorum: et quia ejus desiderium erat nimis remissum, Dominus jussit ut ei communio negaretur [3] usque ad Assumptionis Matris suæ festum, et quod ei diceretur quod in tempore medio se præparet optimo quo posset modo. Advenienteque festo virginis Mariæ interrogari deberet a suo confessore, quid hoc esset mediante quo suo videre se melius inter alia disposuisset. Quæ si interrogata mox responderit et [4] ex corde, et sic dixerit: *Ego nescio meliorem quam feci præparationem, nisi quod ego ad Dominum in sacramento accipiendum valde ferventer aspiravi et valde difficulter exspectavi, quod hunc diem desiderabilem vita comite apprehendi;—per hanc,* inquit Dominus, *responsionem, si processerit ex corde, poterit confessor cognoscere personam illam ad præparationem debitam appropinquasse.* Ex quo patet quod intensum ad Dominum desiderium disponit hominem optime ad Eucharistiæ sacramentum.

Capitulum VI. Indispositi aut [5] indigne accedentes bona negligunt et mala varia [6] incurrunt.

Circa præmissa Dominus ostendit aliqua mala quæ illi incurrunt qui tepidi et indispositi vel indigni accedunt. *Homines,* inquit, *sunt quibus sum cibus inutilis et insanus, ac animabus eorum valde afflictivus* (1). *Sunt nonnulli qui me suscipientes plus me accipiunt ad mortem perpetuam quam ad vitam æternam. Sunt etiam aliqui quibus sum ita insipidus et insanus quod, si permitterem, mox suffocarentur post meam* [7] *sumptionem.* Item: *Qui me non cognoscunt, illi me diligere non possunt; nec se præparant ad me, neque valent nec sciunt desiderare pro me.* Nimi-

[1] *om. G.* — [2] *ita C;* affectuose *V, G.* — [3] denegaretur *G, C.* — [4] *deest in G, C.* — [5] et *G.* — [6] *om. G.* — [7] susceptionem *G, C.*

(1) Recens manus adscripsit ad marginem: „Non bene hic.„

rum, quia dilectio non est sine cognitione, nec desiderium sine dilectione, neque præparatio sine desiderio. *Tales ergo qui me non notabiliter cognoscunt nec debite diligunt neque intense desiderant nec se præparant quando me suscipiunt, fructum in me non cognoscunt nec grati de tanto bono existunt. Homines quippe sic indispositi deberent se indignos reputare et ex humilitate potius a communione abstinere quam ad ipsam accedere. Nam indispositis et indigne accedentibus propter eorum ineptitudinem est communio* [1] *plus ad salutis impedimentum quam ad promotionem; ipsis enim post mei sacramenti acceptionem, non solum propter eorum ineptitudinem sed etiam eorum ingratitudinem, vitia non tolluntur nec diminuuntur* [2], *sed magis augentur eis* [3]*; fiunt ipsi magis* [4] *timidi* [5], *otiosi* [6], *iracundi et impatientes* [7], *efficiunturque* [8] *plus avari, acediosi, tepidi, gulosi, incontinentes et segnes. Ego quoque plago eos et alios propter eos infirmitate et tribulatione, et plago eos per eventus non prosperos, ut cum aura et pestilentia, permittensque eis* [9] *advenire varia adversa.* Rursus : Dixit sponsæ Dominus : *Illi homines in susceptione mei magnum percipiunt damnum, qui me suscipiunt propter consuetudinem aut propter favorem vel laudem hominum, non habentes intensum amoris desiderium. Nempe dudum dixi tibi quod qui hic non esurit pro corpore meo, scilicet sacramento Eucharistiæ, ille non valet pro vita æterna desiderare. Necesse etiam est ut homo pro me clamet et laboret* [10], *ploret, aut hic in mundo vel in purgatorio. Et tu ante sumptionem sacramenti debes habere pro me magnum laborem et esuriem : post meridiem* [11] *vero debes pro vita æterna habere magnam esuriem et laborem. Porro qui non laborat ante sumptionem usque ad virium fatigationem, ille etiam post sumptionem non sentit notabilem suarum virium recreationem.* Et : *Qui enim non esurit valde pro me, ille non satiatur a me nec delectatur in me. Quomodo enim in illo cibo haberet dulcedinem et delectationem pro quo non habet esuriem? et quomodo posset a cibo contentative satiari, in quo non valet sic dispositus delectari? Sic qui non fertur in me dilectionis fortitudine, ille non beatificatur* [12] *magnifice ex adventu meo per me. Quomodo enim posset talis in cibo magnam habere lætitiam, ad quem non gerit dilectionem excellentem?*

Capitulum VII. De convivio animæ interno.

Declaratio aliquorum est præmittenda terminorum in sentimentis Eucharistiæ ponendorum, utputa quid sit amplexus et animæ osculum ac convivium, sicut [13] et alibi prius positorum. Ad gaudii sui

[1] *ita C;* immo *V, G.* — [2] dimittuntur *C.* — [3] *ita videtur legendum ; codd.* ei. — [4] *om. G.* — [5] *forsan pro* tumidi ; invidi *C.* — [6] odiosi *C.* — [7] (et imp.) etc. *C.* — [8] quia *loco* que *G.* — [9] *om. G.* — [10] (et lab.) *add. ex G ; deest in V, C.* — [11] (post meridiem) pro me illa die *G.* — [12] *add.* in me *G, C.* — [13] *ita G ;* unde *V, C.*

augmentum internum [1], quod non erat gaudium mundi, quia tale est cordis immundi, Dominus multoties magnum in ejus [2] anima fecit convivium. Hoc tunc fiebat quando ejus anima in amorosa et intima cum Domino unione per prægustationem suavitatis divinæ quadam lætitia perfundebatur insolita, quæ erat excellenter magna, et tanto major quanto unio fuit [3] intimior. In hujus suavitatis divinæ prægustatione replebatur deliciis alias sibi insolitis, cum tantis delectationibus et gaudiis quod horum comparatione omnis humana jocunditas ac omnium exteriorum delectationum suavitas nulla fuisset sibi delectatio aut jocunditas, sicut scriptum est, Eccli. xxx : *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Porro in hujusmodi convivio sensit se fieri unum spiritum cum Deo per unionem tam intimam quam profundam. Sensit oscula Domini esse dulcia et amplexus suaves.

Quid sit osculum et amplexus.

Osculum enim, ut intellexit per Domini verbum, est intima et profunda animæ cum Domino unio in excellenter magnis spiritus deliciis et oblectationibus, ex quibus anima liquescit et defluit innixa super dilectum suum, qui tunc [4] suaviter amplexatur eam dextera sua, bonis suis circumdans et ditans. Ad quorum contemplationem ascendit peregrinans a rebus transitoriis et humanis : ac per hoc læva Domini, per quam transitoria designantur, fuit sub capite ejus, et dextera, per quam æterna, eam amplexabatur, tenens ipsam in deliciis, ne deficeret, et conservans in gaudio et exultatione, ut illa jocundius haberet. Post hujusmodi osculum et amplexum anima ejus ad se rediens sensit in se dulcorem exuberantem, in cor, corpus et omnia membra ac viscera redundantem; ex qua redundantia omnia viscera et corporis ejus membra fuerunt quasi dulci rore repleta et aliquantulum tumida, et specialiter in [5] ejus digitis ac facie hoc consideranti [6] apparebat. Roris autem dulcis repletione cessante, solebat adhuc frequenter sentire humorem [7] suavem in ore. Sensit etiam per operationem et Domini revelationem Patrem et Filium et Spiritum sanctum in se unam fecisse mansionem unamque eos [8] habuisse in ipsa operationem. Sensit etiam sæpe fetum vividum in corde suo delectabilem [9] exercere lusum.

Trium personarum una est operatio [10].

Quippe quamvis divinarum trium personarum operatio ad extra

[1] in tantum *G*, *C*. — [2] *om. G*, *C*. — [3] fit *G*. — [4] autem *G*. — [5] spiritualiter *G*. — [6] desideranti *G*, *C*. — [7] dulcorem *G*. — [8] *om. G*. — [9] delectabiliter *G*. — [10] *hic titulus in C positus est in marg.*

sit in quolibet opere indivisa, specialiter tamen in revelationibus sponsæ factis trium personarnm in divinis operatio dicebatur una. Quando sensus exteriores ex deliciarum animæ in corpus [1] redundantia ac divitiarum spiritualium affluentia sic fuerunt consopiti et ipsa sic spiritualiter inebriata quod non horruisset pati pœnam quantumcumque acerbam, immo nec quantumcumque gravem, etiamsi præsentialiter se exhibuisset qui minatus vel paratus fuisset inferre eam. Rursus: Sensit et Domino instruente didicit quod illud convivium fuit convivium [2] pinguium magnificum et vitulum saginatum occisum esse. Pinguium quidem : quando in corpore Christi gustum percepit suavissimum, ingrediens divinitatem per humanitatem et egrediens deitatem in humanitatem et e converso, invenit pascua omne delectamentum et omnem suavitatem habentia!

Quid sit vitulus saginatus et occisus.

Vitulus autem saginatus dicebatur occisus, quando major et limpidior fuit illustratio, ferventior intensio, jocundius et intensius gaudium, quam alias in convivio animæ solebat esse. Vitulus etiam dicitur occisus, quando cum jam dictis effectibus in sacramento suavior fuit gustus; et per hæc omnia præmissa simul convivium dicebatur permagnificum et maximum.

Quid sit blanditio.

Blanditia vel blanditio in proposito est quædam amatoria locutio qua vere amans mira exhibitionis serenitate et quadam verborum cordis, animæ vel oris incognita suavitate blande demulcet amatum seu dilectum. Sic blanditio accipitur in bono et est laudabilis; sed blanditio linguæ iniquæ est detestabilis et sit procul a nobis. De prima habetur in [3] Isaia 66 : *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis quasi mater filio suo ;* de secunda Prov. 25 : *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete extendit gressibus suis.*

Capitulum VIII. Exponitur qualiter vita æterna sponsæ dicebatur aperta, et plura alia sibi [4] dicta.

In prioribus sæpe dictum est et inferius dicetur quomodo vita æterna huic sponsæ fuit præsens vel aperta. Hoc erat ad illum sensum, ut frequenter : id est, vidit in cœlo Dominum Jesum, matrem

[1] (in c.) et corporis *G.* — [2] (fuit convivium) *add. ex C ; om. V, G.* — [3] *om. G, C.* — [4] *add. ex C.*

ejus aut sanctos, ipsorum gaudium vel consimile bonum, sicut sanctus Stephanus vidit cœlum apertum et Jesum stantem a dextris [1] virtutis Dei. Et sicut Jacob patriarcha videns gloriam Dei [2] ait : *Vidi Dominum facie ad faciem.* Similiter Isaias propheta vidit Dominum super solium excelsum, et multi alii de quibus Scripturæ sunt authenticæ. Si hæc beata multoties vidit in jubilo Dei faciem et gloriam, non tamen in claritate visionis patriæ, sed in claritate viæ, quæ habet aliquid de umbra et obscuritate, apostolo testante qui ait : *Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* — Porro in multis revelationibus ac beneficiis Domini excellentibus dicebatur a Domino ad alium intellectum. Aliquando sic : *Vita æterna est tibi præsens vel aperta;* aliquando [3] sic : *Vita æterna est tibi prope;* aliquando sic : *Vita æterna est in te;* aliquando sic : *Tibi est ita bene et tu* [4] *es ita jocunda quod tibi videtur existere in vita æterna.* Hæc et consimilia in aliquibus locis sub intelligentia tali aut consimili sunt recipienda.

Vita æterna est tibi præsens. Primum scilicet “ cœlum aut vita æterna est tibi præsens vel aperta „ id est, omnia transitoria sunt tibi per rationis dominium subjecta, ea ita parum reputans ut stercora; nulla enim tibi est cura quis habeat aut quis recipiat ea. Erat enim sæpissime Domino conjuncta intime, absoluta ab omni effigie creaturæ : et tunc erat super omnia creata elevata, apta [5] et idonea ad Dominum et ejus gloriam contemplandum, non impedita intrinsece ab aliqua cogitatione nec extrinsece a quocumque; alta siquidem et pura fuerunt tunc ejus amoris desideria et soli Domino innixa. Et ideo non incongrue vita æterna sibi dicebatur præsens vel aperta, aut cœlum præsens vel apertum; ejus enim in cœlis conversatio fuit et opera cœlica egit. Rursus : Quando a tali contemplatione pura fuit dimissa ad videndum transitoria, tunc ferventia solebat habere desideria et ingentem esuriem ut iterum pure et quasi immediate Dominum contemplaretur. Cui Dominus aliquando sic dixit : *Pro vita æterna ingentem debes habere laborem et magnam sustinere esuriem.* Si aliquando per esuriem et desideria nimis sibi videbatur gravata, ait : *Ego ingentis laboris* [6] *sitim et esuriem passus sum pro te : tu etiam patere pro me.*

Vita æterna est tibi prope. Secundum, scilicet vita æterna dicebatur sibi prope, quando totum suum desiderium et cogitatum direxit in vitam æternam ad Dominum. Illi autem homini est longe distans vita æterna, cujus cogitationes et desideria diriguntur inordinate ad aliqua. Item : Vita æterna dicebatur prope illis a Domino, qui ad visionem pacis jam fortiter ambulando sicut ipsa pervenerunt;

[1] (a. d.) ad dextram *G.* — [2] *add.* et *G, C.* — [3] (aliquando-prope) *om. G.* — [4] tu *add. ex G, C ; deest in V.* — [5] aperta *G.* — [6] *ita codd. Forsan pro* ingentes labores.

sed qui ambulando non [1] appropinquaverunt, sed ex pigritia aut malitia retrocesserunt, illis est remote. Et hos oportet per multa loca et civitates transire, antequam valeant ad sanctam Jerusalem pervenire.

Vita æterna est in te. Tertium, videlicet vita æterna dicebatur in ea esse, quando repleta fuit gaudio ineffabiliter magno aut quando Dominus aliam in ipsa egit operationem inexpressibiliter magnam. *In quocumque,* inquit Dominus Jesus, *magnifice cum Patre et sancto Spiritu operor, ille dicitur cœlum, et in illo ego sum qui vita sum æterna; et tu bene potes gaudere et* [2] *bonis optimis repleri, quia vitam in te contines æternam, id est me, qui sum vita æterna. Ego enim inexpressibiliter magnifice operor in te cum Patre meo et Spiritu sancto.* Huic concordat Johannes in Canonica sua [3] dicens : *Qui habet Filium Dei, habet vitam æternam.* Hinc electa Dei, quasi in vita æterna esset, in flumina vitæ æternæ se mergebat profunde, et præ deliciarum abundantia ita supereffluenter erat beneficiata quod totalitatem beneficentiæ divinæ non valuit capere, præ cujus magnitudine non habuit sui posse. Ejus anima in deliciarum affluentia sic se habere est sibi [4] visa ac si homo naturaliter dimissus esset in flumen valde spatiosum [5] et profundum in quo moveretur cum periculo submersionis, nunc sursum, nunc profunde deorsum, ubi repleretur aqua in tanta diuturnitate et copia quod vix valeret attrahere anhelitum et servari in vita, ascendendo sursum. Cui in tali deliciarum affluentia existenti [6] dixit Dominus : *Jam bene potes dicere quod vita æterna sit in te. Potes etiam animæ tuæ dicere : Jam ingredere, immergens te in profundum abyssi totius bonitatis Dei, et egredere pro beneplacito voluntatis tuæ. Dic etiam præ admiratione : O bonum alte dignum, affluens* [7] *et abundans!*

Tu es in vita æterna. Quartum scilicet : Tibi est ita bene, vel tu es ita gaudens et jocunda quod tibi videris existere in vita æterna. Talis siquidem apparentia fiebat effective ex caritate inebriante contentative, quæ ipsam replere solebat jubilo et deliciis ac spiritualibus divitiis in tanta affluentia, desiderii satietate et contentationis acceptabilitate quod in illo bene esse optasset perpetue [8] permanere, æstimans se pro illa vice seu tempore ita divitem ac gaudentem et ita omnibus bonis abundantem ac si in vita extitisset perpetua. Cui consequenter in illa dispositione cantus ecclesiæ fuit ita suavisonus, suo videre, ac si factus fuisset ab angelis in æternitate. Sibi etiam sæpe fuit ita bene quod locum sessionis suæ æstimabat esse in æternitate. Et hæc efficiebant [9] nobilis consolatio et gaudii magnitudo ;

[1] *om. G.* — [2] *add.* in *V, G.* — [3] I Jo. v, *in marg. V.* — [4] *om. G, C.* — [5] speciosum *C.* — [6] *legitur in G* existenti *tantum post* Dominus. — [7] *om. G.* — [8] perpetuo *G, C.* — [9] (h. e.) hoc efficiebat *G.*

primitias etenim Dominus sibi porrexit deliciarum et [1] delectationis, antequam plenitudinem perfectæ [2] exhibuit satietatis.

Capitulum IX. Hic plures alii exponuntur termini.

Quid sit Dominum [3] in anima se spiritualiter parere, vel e converso animam [4] spiritualiter Dominum generare aut ipsum super terram [5] gestare, dictum est supra in capitulis sequentibus [6] capitulum [7] de caritate scatente : quarto, quinto et septimo. Ex his potest intelligi quid debeat significari quando dicitur " Dominus venit cum magna blanditione, „ vel " Venit cum ipsius spirituali in anima gignitione, „ quando dicitur " Vitulus saginatus, „ etc. [8]

Deifice venit. Deifice venire [9] Dominus dicitur, quando non cum proprio aut [10] communi sensibili sensus exterioris, scilicet gustus, percipitur, sed cum sapore spirituali, quo Deus solus perceptibilis est, sentitur. **Sensibiliter venit.** Venire autem sensibiliter deifice Dominus dicebatur, quando in variis suæ bonitatis effectibus sentiebatur. **Magnifice venit.** Dominus venit magnifice, id est Dominus venit [11] magnificans ejus uterum, et in eo aliquam massam quasi fetum et alia magna operatus fuit. **Fortiter venit.** Dominus venit fortiter, i. e. cum caritate forti. **Omnipotenter venit.** Quando omnipotenter dicitur venire Dominus, ostenditur sui adventus excellentissimus gradus, in quo excellenter magnifice suam bonitatem ostendit sponsæ in tam varigenis fructibus ac suæ bonitatis effectibus quod non suffecit eos apprehendere. **Locupletative venit.** Dominus venit locupletative, id est cum bonis gratiæ ineffabiliter magnis, quorum aliqua possunt exprimi, aliqua vero minime. Modus iste veniendi gustari et sentiri potest, sed totaliter exprimi non potest. Et dixit Dominus, quando veniret illo modo qui libro VI [12], cap. XVII expressus est, tunc locupletative veniret. Quando dicitur Dominus advenire valde locupletative aut valde amice, etc., ibi ly valde denotat magnam excellentiam quæ propter sui magnitudinem sponsæ Dorotheæ fuit ineffabilis et ignota. **Cum multis bonis fructibus advenit.** Dominus venit cum multis bonis fructibus, id est cum caritate, gaudio, pace, patientia, bonitate, benignitate, longanimitate, mansuetudine, fide, modestia, continentia et castitate. Isti fructus denotant [13] delectationes perfecta opera consequentes. Non tamen semper est intelligendum quod quoties dicitur " Venit cum multis bonis fructibus, „ quod toties veniret [14] cum prædictis omnibus, sed aliquando dumtaxat adduxit

[1] *add.* dilectionis *C.* — [2] perfecte *C; om. G.* — [3] *in V bis legitur* in, *hic et post* anima. — [4] anima *V, G.* — [5] *ita C;* terra *V, G.* — [6] præcedentibus *G.* — [7] capitulo *G.* — [8] etc. *om. G, C.* — [9] venit *G.* — [10] ac *C.* — [11] *add. ex G; deest in V, C.* — [12] *legendum forsan* libro I, cap. XVII. — [13] denominant *G.* — [14] venit *G, C.*

aliquos; et aliquando non solum notantur fructus prædicti sed cum hoc multi alii, ut sunt bona revelatio, animæ illustratio, mutua [1] blanditio, scilicet Domini et spiritus sponsæ, amicum colloquium, amplexus et osculum. Aliquando plura alia hic non expressa signantur quando dicitur: " Dominus venit cum multis bonis fructibus, „ quæ non valuit enarrare. **Cum bona revelatione venit.** Dominus dicitur venire cum bona revelatione, quam post communionem exprimit aut in Eucharistiæ sumptione revelavit. **Clausis januis venit.** Clausis januis dicitur venire, quando Dominus per specialem [2] gratiam sponsæ affuit et ipsa pro tunc illum specialem [3] gratiæ effectum [4] non sensit. **Veloci cursu venit.** Veloci cursu Dominus dicebatur sponsæ tunc advenire, quando sacramentum Eucharistiæ sine specierum fractione et sine hostiæ divisione, sine sapore et odoris panis perceptione descendit in sua integritate velociter valde in cor et animam sponsæ, cujus spiritus desiderio occurrens Domino cum aliqua amatoria oratione conabatur Dominum suscipere, dicendo: *Domine rex Jesu Christe*, aut hoc: *Domine Jesu Christe* [5], *dilectissime mi Domine, veni ad me gratiose,* aut verbum unum [6] tale: *Corpus Domini mei Jesu Christi me custodiat et ad vitam æternam perducat.* Quippe in tali Domini cursu et animæ seu spiritus occursu Dominus et sponsa ejus videbantur sibi mutuo obviare, et ex intenso desiderio alter ad alterum festinare. Et hoc etiam Dominus aliqua similitudine curavit declarare, dicens: *Ego sum desiderativus tui et tu mei: nempe ego curro ad te propter tuum desiderium tanta velocitate, velut si quis velociter curreret in via quæ in glacie esset valde plana; nec a cursus* [7] *mei celeritate cesso, donec animam tuam apprehendo et ipsa me e converso.* Porro in tali cursus celeritate solebat in anima gaudium singulariter nobile et magnum generari. Hinc anima et corpus sponsæ motu exultationis solebant [8] se movere. Ulterius est sciendum quod in hac sponsa fuit multoties spiritus ab anima divisus et super se elevatus, secundum illud apostoli ad Hebræos: *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio* [9] *ancipiti, pertingens usque ad divisionem spiritus et animæ.* In quo spiritu fiebant operationes variæ. Hæ aliquando fiebant, quando sponsa fuit in raptu alienata a se et aliquando quando fuerat circa se; utputa tripudia et jubilationes, susurria cum Domino, confabulationes, blandimenta amatoria, petitiones, supplicationes et gratiarum actiones. Hæ actiones immanentes tanta alacritate et jocunditate in spiritu fiebant, quod sponsa sensibus animæ illas percipiens, scilicet visu et auditu, cum admiratione in silentio auscultabat.

[1] intima *G, C.* — [2] spiritualem *G, C.* — [3] spiritualem *G, C.* — [4] affectum *G.* — [5] (aut-Christe) *om. G.* — [6] unum *om. G, C.* — [7] *sic videtur legendum; codd.* accursus. — [8] *codd.* solebat. — [9] (o. g.) *om. G.*

Capitulum X. Quod sponsa pluries instigata sit [1] per Dominum ut acciperet sacramentum.

Prævalente desiderio hujus sponsæ Dominus Jesus, ejus amore captus, ad ipsam per sacramentum Eucharistiæ libenter venit. Et ideo non solum ipsam per desiderium quod ei contulit fervidum, sed etiam per verbum suave super mel et favum ut acciperet præfatum sacramentum venerabile instigavit. Unde quando ipsa [2] per decem aut plures [3] horas in raptu vel spirituali ebrietate a Domino tenta, tempus sufficiens non habebat ut orationes suas solitas compleret et se ad sacramentum disponeret, cogitavit apud se : *Ego hodie nolo* [4] *sacramentum accipere, sed in domo permanens orationibus insudare;* tunc Dominus solebat eam ad communionem instigare et dicere : *Ad ecclesiam festinanter accede et corpus meum accipe. Et si tibi visum fuerit te non bene ante communionem egisse, eo melius postea age.* At illa ad ecclesiam accedens et sacramentum habere intente desiderans, antequam ipsum obtinere valuit ex desiderii fervore largas lacrimas effudit. Quo accepto, ad tam mirificum pervenit gaudium et consolationis beneficium, quod omnino fletum restinxit largifluum. Rursus : Aliquoties præ desiderii æstu orare non valuit in die quæ sibi pro communione deputata fuit. Et ideo quia se per orationem disponere non valuit, iterum abstinere a sacramento cogitavit. Cui Dominus inquit : *Noli abstinere : si enim abstinueris, plus anxiaberis. Mihi confide; nam ego volo te disponere et præparare.* At illa ex divino consolata alloquio non valuit infra missam flere quemadmodum alias consuevit facere pro dispositione. Acceptoque sacramento jocunditates obtinuit tam ingentes, consolationes et delicias tam mirificas, quas lingua humana non valet exprimere aliquo sermone; et tunc jussit eam orationis sacrificium exsolvere quod ante communionem præ desiderii intensione non valuit adimplere. Cui illa vice post instigationem dixit : *Tu ex magna caritate flens fortiter mihi regratiare pro eo quod* [5] *impellens instigavi te ut modo suscipias me. Regratiare etiam mihi pro illo : quando me non vis accipere aut proponis abstinere, tunc volo te compellere, ut te oporteat ex amore me suscipere. Nimirum : tu enim multoties per intensum ad me desiderium clamasti altisone; ideo nunc volo valde festinanter ad te currere; quantoque desideras me magnificentius, tanto ad te volo currere celerius. Quippe tu sollicita es valde, quasi non valeam te sine tua cooperatione ad sacramentum venerabile præparare.* Quasi diceret : Hanc sollicitudinem habere etsi sit utile, attamen non est necesse. Amplius : Postquam ejus sanctum

[1] *om. G.* — [2] ipsam *G, C.* — [3] *add. perperam* instigavit *G.* — [4] *codd.* volo. — [5] *deest in G, C.*

desiderium excellenter magnificum fuit, Dominus deinceps celeriter currens in sacramento ad eam venit, et hoc ultimo [1] anno quasi quotidie fecit, in quo sæpe suum adventum fore [2] magnificum revelavit. Hoc autem fecit quandoque [3] in specie et quandoque dumtaxat in genere, et tunc sponsa obsecravit obnixe quatenus dignaretur venire gratiose.

Capitulum XI. Hic ponuntur aliqua verba quæ anima sponsæ clamavit altisone in sacramenti susceptione.

Dominus magis intense ab hujus sponsæ anima desideratus quam [4] dicere sufficimus, etiam est ab ea cum magno desiderio venerabiliter susceptus. Nam sentiens Dominum præ omnibus dilectum adesse, dixit in desiderio animæ illud Isaiæ XLII : *Electus meus, suscipiam eum; complacuit sibi in illo anima mea* [5]. Postquam ergo Dominus celeriter ad eam cucurrit, illa ei occurrens ut eum [6] susciperet, altisone clamavit aliqua miræ devotionis verba, quæ non arte humana sed Spiritu dictante sunt formata; quorum aliqua et forte grossiora sunt hic scripta. Unde aliquando ejus anima secundum spiritum sic clamavit : *Jesu, mi dilectissime creator, Jesu, mi dilectissime redemptor, Jesu, mi dilectissime salvificator!* Aliquando sic : *O tu laudabilis, digne, æterne, benedicte, dulcis, omnipotens Fili Dei!* Aliquando sic : *Spes mea, cibus meus, fiducia mea, consolatio mea et omne desiderium meum!* Item : *Jesu Christe, Fili Dei vivi benedicte, alte laudabilis, nomen sanctum tuum millesies mille sit laudatum et veneratum!* Hoc dum clamasset altisone in [7] intenso dilectionis fervore, intellexit in susurrio Domini ad animam se debere sic clamare : *Hospes alte laudabilis et valde magnus venit ad me.* Item sic : *Jesu Christe, tu benedicte, vive, dulcis Fili Dei vivi* [8], *regratior tibi, Domine* [9] *amantissime, quod tam gratiose dignatus fueris venire ad me. Tu teipsum mihi dedisti : cum sancto corpore tuo me cibasti et cum sanguine* [10] *tuo me potasti. Pater et Filius et Spiritus sanctus illuminent me. Domine Deus meus, nunc animam meam magnifica et cor meum dilata.* Item sic quadam vice clamavit in spiritu latine : *Hoc est corpus Domini mei Jesu Christi;* et cum hoc fecisset bina vice, [11] post hoc reiteravit illud in suo vulgari magis expedite. Hæc et consimilia amoris verba ejus anima nunc hoc, nunc illud solebat exclamando proferre et occurrendo pluries repetere, donec cum Domino fuerat intime unita. Quo facto, siluit et pacata [12] in Domino conquievit, sicut [13] Scriptura prædixit

[1] ultimo *om. G.* — [2] habere *C.* — [3] *add. hic* fecit *G, C.* — [4] quantum *G, C.* — [5] (i. i. a. m.) in anima mea in illo *G, C.* — [6] eam *C.* — [7] *om. G, C.* — [8] (J. C. tu-vivi) *om. G.* — [9] *om. G.* — [10] sancto *add. C.* — [11] et *add. G, C.* — [12] placata *G.* — [13] *add.* ipsa *G.*

dicens[1], Eccli. xv.: *Obviabit illi quasi mater honorificata et quasi mulier a virginitate suscipiet illum,* scilicet sponsum dilectissimum ad animæ cubiculum, in quo factum est silentium quietum. Porro : Ante unionis consummationem fuit inquieta et multoties occurrendo Domino ita occupata, sicut esset homo cui advenirent multi hospites, multi dilecti et honorabiles, quibus singulis libentissime vellet benefacere, opera amicitiæ magnæ ac benevolentiæ exhibere, amicabiliter suscipiendo, reverenter locando et secundum quod tam dignitatis quam amicabilitatis ordo exigeret tractando. Rursus : Aliquoties anima occurrendo per medium multitudinis sponsum associantis cucurrit et sine verecundia in aspectu omnium in amplexus sponsi ruit ; a quo etiam quandoque pie [2] desideravit ut eam benediceret. Qui inter alia benedictionis verba ei dicebat : *Quomodo tibi melius esse posset quam posse totis viribus* [3] *ex desiderii magnitudine pro me et vita æterna largas effundere lacrimas, clamare et illo jam frui bono in via quo anima tua æternaliter debebit perfrui in cœlesti patria?*

Capitulum XII. De triginta septem simplicibus sentimentis in sacramento Eucharistiæ perceptis.

Sapientia increata, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, huic sponsæ dixit : *Qui me in sacramento Eucharistiæ libenter videt* [4] *et suscipit, ille etiam spiritualiter me suscipit et videbit. Et qui me libenter videns suscipit, ille sic se disponit quod spem habere merito possit quod ego ad ipsum* [5] *libenter velim convertere intuitum meum. Nimirum ; tu enim libenter vides eum qui me libenter videns ad me suum dirigit*[6] *intuitum : quomodo ergo ego non diligerem ipsum qui me diligit et libenter aspicit? Nec valeo ei negare quin* [7] *oporteat me ei præstare ut et Matrem meam diligat et ad ipsam*[8] *suam libenter dirigat visionem.* Quasi diceret : et illa ipsum rediligit et aspicit; quia, sicut ego diligentes me diligo, ita et [9] illa diligentes se diligit intense. Porro sponsa hæc, sub umbra illius quem desiderabat sedens, fructum ejus sibi dulcissimum gustavit, quem ille dilectus varigene adveniens tam libenter quam multipliciter ostendit, quod ejus sufficientiæ totalitatem nulla scriptura, immo nec aliqua eloquentia exprimere sufficit, quemadmodum ipsa quotidie experta fuit, prout inferius aliqualiter sed nimis tenuiter apparebit. Numerum ergo determinatum pro indeterminato ponendo, aliquos veniendi modos in sacramento Domini hic subjungam. Quorum unus erat, quo Dominus ei dedit requiem post laborem. Unde sicut in ea frequenter Dominici sacramenti perceptionem magnus

[1] *om. G. C.* — [2] *om. G.* — [3] *om. G.* — [4] vidit *C.* — [5] (ad i.) *om. G.* — [6] *codd.* dirigat. — [7] quando *G.* — [8] *ita codd.; forsan pro* ipsum. — [9] *om. C.*

labor et inquietudo præcessit [1], ita Dominus ei frequenter adveniens magnam corporis requiem [2] et animæ pacationem adduxit [3]. Secundo, post virium destitutionem adduxit adveniens earum restitutionem, immo sæpe majorem confortationem, et abstulit omnem gravantem operationem. Hæc mutatio sicut et aliæ fiebant citissime. Tertio, post afflictionem magnam attulit delectationem, post dolorem dulcorem et post desolationem consolationem. Quarto, post infirmitatem sanitatem, post cordis et animæ vulnerationem delectabilem sanationem Dominus veniens adduxit, quia panis cor hominis confirmet. Sensit siquidem sponsa quamdam Domini virtutem singula sua interiora pertranseuntem [4] lætificare, corpus et animam suavificare. Sicque fuerunt tristia lætificata, amara dulcorata et vulnera sanata, quasi fuissent unguento optimo delibuta, corpore et anima dulcoratis. Interdum Dominus dixit : *Nunc vales cognoscere me omne gaudium tuum, omnem consolationem tuam et omnem confortationem tuam existere, ac* [5] *me magnifice tecum esse. Dic ergo : Domine Deus, omnis virtus salutis meæ et omnis beatitudinis meæ es tu.* Quinto, post ingentem spiritus sitim et esuriem magnam attulit satietatem. Fuit namque multoties ita bene ac delicate, immo melius et [6] delicatius refecta ac satiata, tam in corpore quam in anima, quam si fuisset refocillata in corporali ditissima ac delicatissima mensa. Processit [7] autem tunc temporis refectio ac satiatio per redundantiam ab anima, quæ supereffluenter fuit spiritualibus deliciis repleta. Sexto, veniens abstulit animæ et corporis grossitiem ac ineptitudinem, ex corporali refectione quamvis temperata et sobria generatam [8], et contulit [9] aptitudinem bene operandi ac agilitatem cum fortitudine bona bene perficiendi. Septimo, sensit notabiliter Dominum in suo adventu [10] mortificare et expellere vitia, utputa inobedientiam, vanam gloriam, acediam, temporalium amorem, ambitionem, impatientiam et cetera, et inserere virtutes, scilicet : obedientiam, humilitatem, devotionem, bene operandi promptitudinem, temporalium contemptum, spiritualium et æternorum appetitum, honoris contemptum, contemni in hoc seculo et despici desiderium, patientiam, fiduciam, temperantiam et sic de aliis. In fortitudine cibi illius malo restitit et opera meritoria perfecit, dura et aspera pertulit, tam adversa quam prospera grate de manu Domini suscepit. Octavo, sensit Dominum venire cum delectabilissimo sapore et indicibili mentis et cordis [11] dulcedine. Hæc fiebant ita varigena alia et alia vice, quod non suffecit debite differentias tam dulcorum quam saporum delectabilium exprimere. Nimirum, quia

[1] processit *C.* — [2] *om. G.* — [3] addixit *G.* — [4] pertransientem *G, C.* — [5] et *G, C.* — [6] ac *G, C.* — [7] Præcessit *G, C.* — [8] generata *G, C.* — [9] *add.* ei *C.* — [10] advenire *G, C.* — [11] corporis *G.*

sicut dicitur in libro Sapientiæ [1] manna voluntati uniuscujusque deservisse, ita iste panis deliciosus delectabat hanc varigene sponsam juxta affectionum ejus varietatem. Ob hoc in adventu Domini prædulci multoties obstupuit, quia Dominum advenire mox accepto sacramento [2] cum novis et excellenter magnis deliciis persensit. Quippe deliciarum animæ supereffluentia se diffudit ad omnia ejus membra. Hinc liquor dulcifluus in ejus ore [3] superabundavit, totum corpus delectatum fervuit, de quo sudor largiter effluxit. Denique pluries præ gaudii et amoris magnitudine et deliciarum teneritudine ipsa sibi videbatur velle deficere et deliciarum pondus ferre non posse. Nempe hujusmodi deliciæ ex perceptione Eucharistiæ solebant diu multoties durare. Nono, cum ingenti gaudio, propter cujus excellentiam singula ejus membra motu exultationis moverant se, nec ea poterat quietare. Unde ad ostendendum gaudii excellentiam Dominus aliquando dixit ei amicative: *Tu debes sic mecum gaudere sicut sancti mei in æternitate.* Decimo, cum magno animæ convivio, in quo fruita est cœlestibus deliciis tanquam conviva cœlestis, manducans vitulum saginatum quam filio prodigo revertenti pietas patris fecit occidi. Hic vitulus fuit Christus in cruce pro peccatoribus occisus, qui in sacramento altaris huic sponsæ ad manducandum datus erat delectabilissime sapidus. Percepit enim tam ingens gaudium quale et quantum est omnium [4] lætantium in unum. Hinc ipsa tumultum lætantium et sonum convivantium aure spiritus pluries audivit, et Dominus etiam sæpe ei in tali convivio animæ existenti dixit: *Nunc vitulus saginatus est occisus, nunc boni amici convenerunt* [5]*; et tu potes per te odorare, sapere et ceteris sentire sensibus interius et exterius, spiritualiter et corporaliter, illum permagnum animæ convivium.* Et ita ipsa pluries sensit prout Veritas sibi dixit. Undecimo, cum valde magno solatio seu consolatione, ex qua pro tunc in desiderio quietata et quodammodo satiata non valuit plus petere nec desiderare. Hinc sæpe omnium exteriorum oblita mox accepto sacramento fuit contemplatione divina suspensa. Multoties mox rapta et in abyssum deitatis mersa ac intime unita, in [6] tali unione et supra se elevatione solebat diu permanere, diutius tamen uno tempore quam alio. Nempe postquam extitit in reclusorio, aliquando statim accepto sacramento remansit in fenestra notabili mora; ejus facies decora, quia rapta supra se, a fenestra non valuit removeri [7]. Porro in tali raptu animæ dulce vinum et forte poculum pluries est ei propinatum, audivit cantum angelorum et, ineffabile habens gaudium, prædulce [8] sensit inter

[1] 16 *in marg. V;* dicitur Sap. XVI *G.* — [2] *deest in C.* — [3] *deest in C.* — [4] Cfr. Ps. LXXXVI. — [5] conveniunt *G.* — [6] ex *G.* — [7] *ita G;* removere *V, C.* — [8] perdulce *G, C.*

Dominum et animam susurrium, amplexum et osculum ac magnæ amicitiæ indicium certum. Quæ ad se reversa multoties fuit tam jocunda quod cantum audiens scholarium ita delectabatur præ jocunditatis magnitudine, sicut prius audiens cantum angelorum fieri in æternitate. Duodecimo, cum ebrietate spiritus in spirituali hujus sacramenti convivio eam non solum ex adipe frumenti cibavit, sed sanguine etiam suo tanquam poculo inebriativo potavit, et ei aliquando in ebrietate dixit : *Nunc plora largiflue et ebrietatem digere.* Tertiodecimo, sensit Dominum ebrietatem spiritus per suum auferre adventum et sobrietatem conferre; ex tunc permissa est cognoscere ubi extitit, quæ sibi antea in aliena patria existere visa fuit. Quartodecimo, cum caritate varigena et notabiliter magna. Nunc cum caritate ferventer ardente, bulliente, vulnerante, languente, inebriante, scatente, supereffluente [1], alte desiderative, violenta, infatigabili [2], cordis effractiva, etc. Venit etiam nunc [3] cum unica, nunc cum duabus, tribus, quatuor et aliis pluribus, prout mittitur Spiritus sanctus; et cum in qualibet caritate una fuerit operatio [4] quoad aliquid aliud sentimentum quam in alia, in duabusque aliud quam in tribus, quatuor, quinque et sic de aliis [5] quibuslibet caritatum quotcumque combinationibus, manifestum est sponsam hanc multiplex sentimentum habuisse in illo adventu varigeno quo Dominus advenit ei varigene cum caritate. Porro Dominus cum caritate ferventer ardente aut bulliente nunc ferventer, nunc ferventius, nunc ferventissime eam incendit; hinc ipsa in [6] excellenter magna frigoris inclementia nullum frigus sensit, sed quasi vellet deficere præ ardore se de latere in latus vertit et refrigerium aeris quæritavit, aliaque caritatis hujus actus et effectus, utputa sudores et fletus, sensit et exercuit, quemadmodum Dominus sibi dedit. Multoties flevit valde pro aliis et aliquando pro se ex amore, mox post sumptionem Eucharistiæ. Sic similiter aliarum caritatum actus et effectus habuit cum quibus Dominus advenit. De quibuslibet autem specialiter dicere est nimis prolixum et lectori generaret fastidium. Ideo supersedeo; lector vero ex dictis et dicendis eliceat [7] quale sentimentum unicuique singulariter conveniat et quale pluribus simul caritatibus combinatis. Quintodecimo, cum desiderio multum intenso propriæ mortificationis, ut omnibus moreretur creaturis quoad possessionem et consolationem, ita ut nec aliquid de bonis transitoriis haberet, sed solum Deum et æterna obtineret ac soli Deo viveret et vacaret. Sextodecimo, cum desiderio pro aliis, quibus magna desideravit, ut malis seu vitiis carerent, sancte viverent, hoc vel illud boni

[1] supereffluenter *G, C.* — [2] insatiabili *G.* — [3] tunc *G, C.* — [4] *add. ex G ; deest in V, C.* — [5] (sic de a.) ceteris *G.* — [6] in *om. G.* — [7] *sic.*

haberent et fideliter conservarent. Decimo septimo, cum ingenti energia et exteriore labore, scilicet fletu et sudore, oratione et genuflectione, aliquando cum alia corporis disciplina et exercitatione. Decimo octavo, post adventum [1] tam fortiter depressit [2] sponsam ac si permagnam assumpsisset super se sarcinam, gravitatem habentem valde depressivam. Decimo nono, cum esurie et siti excellenter magna pro vita æterna. Hinc ipsa sæpe tam intensum pro vita æterna desiderium habuit quod languit. Aliquando desiderium ardens et novum, excellenter magnum Dominus adduxit, quale et quantum prius [3] sponsa nunquam sensit, et aliquando præ desiderii magnitudine cerebrum movebatur in capite. Item cor quandoque nimio desiderio transsagittatum permansit continue in diem sextum vulneratum, vehementer desiderans vitam æternam et summum bonum. Item ex intensione hujus desiderii, sitis et esuriei sponsa valde [4] amare affligebatur doloris aculeo, cujus non valuit exprimere magnitudinem neque amaritudinem. Ipsa largiter [5] flente anima clamavit ad Dominum altisone, dicens: *Dilectissime mi pater, amantissime mi consolator, dilectissime mi creator, amantissime mi salvificator*. Inter hæc ei [6] aperti sunt cœli et in eo sancti apparuerunt et caritate vehementer igniti, ad quos suum assiduum direxit intuitum, habens a Deo gaudium ineffabiliter magnum necnon caritatis incendium, quo ferventer arsit, quando Dominum [7] Deum et suos sanctos ardere in cœlo vidit. Et quia corpus sponsæ cum anima non valuit ardere, ideo anima affligebatur valide [8], quod cum tali corpore deberet esse quod secum caritatis fervore ferventer noluit aut non potuit ardere. Cumque consolatio cum afflictione spiritus per horas plures durasset, Dominus sponsam tam vehementer incendit quod tam in corpore quam in anima caritatis igne arsit: et sic in anima tranquillitas magna facta fuit. Rursus: Sæpe advenit Dominus cum energia, esurie, [9] siti et desiderio pro vita æterna ingentibus. Qui postquam fuit animæ unitus et sponsa quietem ac pacem æstimavit se habituram, Dominus traxit fortiter ad se illam: ex cujus tractus fortitudine omnes vires sponsæ tensæ sunt ex labore interiore et exteriore [10], desiderio, siti et esurie. Cui ex his multum anxiæ dixit Dominus amicative: *Dic ad tuum C[onfessarium]: Qualiter est actum hodie, quod dedisti mihi Dominum cum tam magna esurie ad vitam æternam?* Et adjunxit Dominus loquens ad sponsam: *Quanto,* inquit, *majorem habueris esuriem ac desiderii magnitudinem pro me antequam me suscipis, tanto majorem postquam me suscepisti habebis esuriem ac desiderii magnitudinem ad vitam æternam. Porro de illis magnis desideriis et esurie pro vita*

[1] (p. a.) cum adventu *G.* — [2] pressit *G.* — [3] *om. G.* — [4] *om. G.* — [5] *add.* flendo *C.* — [6] *om. G.* — [7] *om. G, C.* — [8] valde *G, C.* — [9] et *add. G.* — [10] (et ext.) *om. G.*

æterna et sacramento Eucharistiæ tu et tuus C[onfessarius] debetis multum scribere et conferre. Vicesimo, Dominus adveniens ei vitam promisit æternam diu cum multo imbre lacrimarum desideratam, ac [1] per hoc multoties ejus spem erigens ipsam solidavit; et tandem adveniens sponsam de vita æterna certificavit et ad qualia perventura esset gaudia etiam semel manifestavit. O quam feliciter tunc sensit et o quam infallibiliter intellexit quod manducans hunc panem salutiferum vivat in æternum! Vicesimo primo, Dominus adveniens amicative se ei exhibuit. Aliquando cum hoc familiariter ei loquens secreta [2] revelavit. Nimirum revelatio secretorum veræ amicitiæ est signum, dicente Domino, Joh.: *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Omnia enim quæ audivi a Patre, nota feci vobis.* Vicesimo secundo, venit cum delectabili susurrio, et in [3] illo modo sæpe sacramentum Domini se in animam sponsæ sine contactu perceptibili fortiter pressit et magnum silentium in ea fecit, ita quod tunc a nullo turbata aut inquietata fuit. Vicesimo tertio, venit delectabili refrigerio [4], qui alio tempore venit multoties cum magno amoris incendio. Vicesimo quarto, cum Matre sua adveniens Dominus sponsam lætificavit; et recedens eam post se fortiter traxit, gaudia sanctorum ei ostendendo. Vicesimo quinto, venit ita magnifice et magnipotenter quod sponsæ non videbatur aliud præter Deum in terra et in cœlo cogitabile; totum enim ambitum memoriæ occupabat magnitudo majestatis divinæ. Vicesimo sexto, venit deifice, et cum hoc sæpe liberavit sponsam ab omni imagine creaturæ. Vicesimo septimo, venit Dominus Jesus cum Patre et Spiritu sancto, unam habens cum eis operationem. Nimirum; dictum est enim a Domino, qui ait: *Qui me suscipit, suscipit eum qui me misit.* Vicesimo octavo, venit festinanter et celeriter currens; de quo cursu dixit ei Dominus: *Ego perfectus homo et Deus, ecce de altissimo throno celeriter currens ad te veni per viam bene tritam, nullam habens asperitatem. Ego autem diu laboravi antequam hanc viam ita planam effeci.* Vicesimo nono, veniens uterum sponsæ magnificavit et in magnificatione sponsa multoties fetum seu puerulum in utero [5] agiliter salientem delectabiliter sensit. Sensit [6] siquidem hunc fetum tanquam infantem vivum, aliquando sic ac si puerulus in magno solatio jocunde tractaretur et magnum secum gaudium celebraretur; aliquando autem ex tali fetus motu et saltu percepit trusionem et pressuram pœnalem. Tricesimo, venit cum spirituali gignitione, et tali [7] aliquando Dominus seipsum in anima sponsæ peperit; aliquando autem sponsam talem effecit, ut nunc seipsam valuit spiritualiter parere, nunc alios multiplices vivos fructus super

[1] et *G, C.* — [2] facta *G.* — [3] *om. G.* — [4] desiderio *G.* — [5] (in u.) *om. G.* — [6] *om. G, C.* — [7] *deest in G.*

terram potuit gestare. Tricesimo primo, venit ipsam ad imum humilians, ipsaque [1] vilissimam se [2] reputans efficiebatur parvula in oculis suis. Tricesimo secundo, venit cum blanditione, supplicatione, oratione et gratiarum actione, id est efficiebat in ea blanditionem et cetera. Hinc anima cum corde saliente præ gaudio blandiendo occurrit Domino venienti. Tricesimo tertio, per adventum subtiliata et quasi tota spiritualis effecta in corpore et anima, elevabatur a terra nullo corporali sustentaculo retenta. Tricesimo quarto, propter Domini reverentiam et ejus præsentiæ specialem [3] efficientiam in toto corpore fuit tremula, seu tota ut folium populeum mota. Dominus enim Jesus adveniens in sacramento aliquando eam quietavit et aliquando ad laborem et inquietudinem magnam perduxit: et ita ut frequenter gaudium novum tribuens lacrimas abstulit; aliquando vero ipsam largissime lacrimantem effecit, ita quod sine clausione oculorum largissimæ fluerent lacrimæ, quarum altera alteram impellebat et sequebatur, quasi nihil inter eas mediasset. Porro singultus et fletus erant quandoque ita vehementes et sonorosi, quod non valebat eos abscondere, quamvis ad hoc fuerat conata magno conamine. Tricesimo quinto, veniens sensus exteriores clausit et interiores aperuit. Tricesimo sexto, Dominus venit sanguinolentus et vulneribus plenus, dicens sponsæ, quam tunc oportuit intensum desiderium habere pro vita æterna: *Ego non veni ad te parvus, prout fui natus, sed recte [4] tam pauper et magnus quam pauper et magnus pependi in cruce suspensus, quando corpus meum totaliter fuit exinanitum et pene suppliciis consumptum, scilicet circa vitæ meæ terminum.* Hæc idcirco Dominus dixit, quia sponsa in principio adventus Domini cogitavit: *Dominus ita parvus uti erat quando primo fuit natus, advenit. Ex quo tam intensum pro vita æterna me oportet habere desiderium.* Tricesimo septimo, advenit cum magnis et sibi innumerabilibus bonis fructibus, ex quibus spiritus ejus supra modum fuit in Domino consolatus et delectatus, in tanta excellentia, tam varigene, quod hoc non sermone valuit exprimere; immo ejus mentis intelligentia erat horum in specie [5] ignara.

Capitulum XIII. De sentimentis Eucharistiæ complexis.

Hucusque aliqua simplicia venerabilis Eucharistiæ sentimenta sunt enumerata per modos simplices veniendi: ex quorum modorum combinatione alia et alia multiplicata sunt sentimenta, et facta sunt tam varigena quod eorum multitudinem ac differentiam quam sponsa

[1] ipsamque *G, C.* — [2] *add. ex conj.* — [3] spiritualem *G, C.* — [4] certe *G.* — [5] (i. s.) ipsa *G.*

habuit per experientiam, se non reputavit posse exprimere per omnem suam diligentiam, quamvis ab ore plures modi quam trecenti sunt per suum C[onfessarium] scripti, quorum aliqui in libro de vita sponsæ et aliqui in libro de Festis sunt exarati, et aliqui pro exemplo hic subjungendi. Fuerunt enim de prædictis modis simplicibus aliquando quinque, aliquando decem, aliquando viginti simul combinati, aliquando vero plures et aliquando pauciores conjuncti; qui unum veniendi modum seu sentimentum efficiebant complexum.

Primus [1]. *Quadam vice, dum ex nimia esurie pro sacramento Eucharistiæ in tantum fuissem exinanita et viribus destituta, quod hiando attraxi flatum et me æstimarem jam esse prope interitum, si sacramentum fuisset mihi per modicum dilatum, tunc in sumptione sacramenti sacrosancti Dominus advenit mihi omnipotenter, deifice, cum caritatibus ferventer ardente, insatiabili et infatigabili, bona revelatione, magna corporis et animæ sanitate et confortatione, cum gaudiis ineffabiliter magnis et fructibus valde multis ac pretiosis.* Hæc cum sponsa expressisset, adjunxit: *Fructuum ac bonitatum mihi hac vice factarum medietatem mediante mea tota ratione non valeo comprehendere. Nec illud* [2] *per me dictum potuissem exprimere, nisi Dominus* [3] *specialiter* [4] *me instruens juvisset me. Qui dixit mihi : Si quis dedisset tibi omnia bona mundi, adhuc anima tua non pervenisset ad tantam consolationem ad quantam nunc pervenit. Ergo recogita quod hujusmodi magna beneficentia* [5] *mea non sit communis, nec oportet te cogitare quod faciam eam hominibus multis.* Hoc dicto, sponsa illuminata magnifice vidit in spiritu multos sacerdotes frequenter celebrantes coram se stantes sic apparere ac si dictam Domini beneficentiam in ea cognoscerent, et admirantes dolerent quod etiam hanc in se non sentirent. *Alia die, dum cor meum quasi insaniens pro Domino fortiter saltasset et vires consumpsisset, Dominus quasi consimili modo adveniens misit mihi Spiritum sanctum cum caritate ferventer ardente, dicens mihi : Tu fuisti languida, nunc es sana; tu fuisti esuriens, nunc es satiata; tu non valuisti præ desiderio et esurie orare nec aliquid agere, nunc cognosce magnas benignitates in me et plora largiflue, clama altisone, ora et age quidquid placuerit animæ tuæ. Hoc dicto, mox oriebantur in anima mea et corde blanditiones, supplicationes et gratiarum actiones valde magnæ, et oportuit me alte ad Dominum clamare, fortiter flere et supplicationes quas me Dominus docuit perorare.* Porro C[onfessarius] ante reclusorium dum hæc fierent cum silentio extitit, et quasi per unam integram horam cum admiratione audivit magnum sonum fletuum, suspiriorum, petitionum, blanditionum et querelæ; non tamen intellexit verba distincte.

[1] *in marg. C:* Primus modus veniendi complexus. — [2] *codd.* illum. — [3] Deus *G, C.* — [4] spiritualiter *G, C.* — [5] beneficia *C.*

Capitulum XIV. Secundus veniendi modus complexus.

Secundus. *Dum alia die intenso desiderio et corde ex spiculis amoris multum vulnerato accepissem sacramentum, Dominus mihi advenit valde omnipotenter, deifice, cum variis caritatibus, gaudiis, pretiosis fructibus, amico colloquio, bona revelatione et cum multis aliis bonitatis suæ effectibus quos nescio enumerare. Venit celeriter currens ad animam meam, sibi intime uniens illam perfecta unione. Omnes vires meæ exultaverunt et se Domino in obsequium exhibuerunt; quarum una servivit, alia dilexit, tertia saliens gaudere cœpit, quarta satiata et confortata fuit, quinta Dominum laudabat, sexta gratias agebat, et sic quælibet quod suum erat faciebat et suo modo ex Domini adventu beneficentiam percipiebat. Qui dixit mihi: Dic flendo largiflue ad tuum confessorem: Fili dilecte, ego nescio quamdiu debeam vivere aut quid mihi Dominus velit facere; ipse enim nunc magnificentius venit ad me quam prius solitus est venire.*

Capitulum XV. Tertius veniendi modus complexus.

Alia die, mihi cum magna difficultate sacramentum infra missam exspectanti sicut unus exspectans cibum, qui præ nimia [1] *esurie cito videtur interitui appropinquare, dixit Dominus: Tu recte hic sedes sicut in convivio sedent homines quibus* [2] *panes decorticati jam sunt appositi, ferculorum appositionem exspectantes. Dic: Dilectissime mi Domine, adjuva me et tu ipse præpara me ad suscipiendum te. Suscipiendo autem sacramentum, Dominus venit mihi deifice, valde amicative, cum magna caritate, hilariter et currens celeriter. In cujus occursum anima mea clamans in magno gaudio dixit: O Domine, pater prædigne et æterne, tu pretiosa consolatio! Cui inquit Dominus: Jam cibus optimus et pretiosissimus tibi est appositus; nunc comede et saturare, ut non oporteat te pro illo quod est transitorium esurire.*

Capitulum XVI. Quartus veniendi modus complexus.

Alia die, postquam revelavit mihi Dominus suum adventum fore magnificum, prope sumptionem Eucharistiæ, dum Dominus coram me cœpisset magnus apparere, anima mea in ejus occursum cœpit fieri magna, ipsaque et Dominus nitebantur [3] *totaliter infra se premere corpus. Me hoc vidente, cœpi tota in corpore et anima ferventer ardere et præ nimio amoris ardore* [4] *flammare cum corporis sudore pariter et tremore. Nempe in tali dispositione dum suscepissem sacramentum,*

[1] nimio *G.* — [2] qui *G.* — [3] nitebatur *G, C.* — [4] (a. a.) ardoris amore *G.*

Dominus advenit mihi valde celeriter currens, familiariter, deifice et amicative se exhibens cum caritate ferventer ardente, largifluis lacrimis et caritate languente ac variis bonis fructibus. Domino autem sic familiariter ac dulciter venienti anima mea familiariter occurrens [1] *dixit : Omnipotens, æterne, benedicte, dulcis Fili Dei. Postquam autem Christus et anima mea secrete et dulciter convenerunt, se intime et amicabiliter conjunxerunt* [2] *unione consummata. Dominus se valde magnificavit in anima ; ego vero tam ferventer ardens sudavi et ubertim flevi, quod sensibus exterioribus quasi nihil usa fui* (id est, actus sensuum exteriorum quasi fuerunt ablati). *Mihi erat recte sicut solet esse quando Spiritus sanctus mihi advenit magnifice cum ingenti sonitu et magno tumultu. Porro in fletu illo dulcifluo* [3] *ortæ sunt magnæ gratiarum actiones, supplicationes et amatoriæ blanditiones, quas dum continuassem per bonam horam in utroque homine, Dominus dixit mihi amice : Si prius non habuisti magnos labores, nunc debes habere ingentes; de cetero enim volo venire ad te cum magno gaudio et caritate ferventer ardente ac multigenis bonitatibus, quemadmodum tibi prius advenit Spiritus sanctus. Quippe tu de me annuntia magnifice, annuntia, inquam,* [4] *quod adventus mei magnitudinem, cursus mei celeritatem, magnam ferventer ardentem caritatem, ingentem jocunditatem, tuum ardorem, fletum et sudorem revelaverim tibi antequam tibi adveni. Tu te totam obtulisti mihi et ego totam meam tecum volo habere voluntatem. Mi dilecta, ego semper volo tecum esse. Sane in hac beneficentia fuisti morti valde vicina; et, si fuisses* [5] *mortua, ego per me ipsum animam tuam absque* [6] *omni impedimento mecum duxissem ad vitam æternam. Inter hæc me cogitante quod de illa magna bonitate non scirem multa dicere meo confessori, dixit mihi Dominus : Egomet volo sibi dicere,* supple : per te.

Capitulum XVII. Quintus veniendi modus complexus.

Alia die, sumpto sacramento, Dominus advenit mihi magnifice et seriosus ac rigidus valde, cum caritatibus languente et desiderativa ac cum magna amaritudine corporis et animæ. Impressit enim se in animam recte sic ac si esset fasciculus myrrhæ, et taliter eum uti myrrham sensi. Non [7] *solum erat seriosus, sed etiam inquietativus, valide inquietans corpus meum et animam. In quibus orta fuit magna tempestas et magnam habuerunt inquietem, sitim et esuriem per hujusmodi Domini adventum; non autem sitim neque esuriem* [8] *pro cibo aut potu corporali, sed pro vita æterna et cibo cœlesti. Sane ob hoc anima mea fuit tristis*

[1] (ac-occurrens) *om. C.* — [2] *add.* se *G.* — [3] dulcissimo *G.* — [4] *add.* magnifice *G.* — [5] *om. G.* — [6] abs *G.* — [7] *ita G ;* Nam *V, C.* — [8] (per-esuriem) *om. G.*

et turbata, nec audebat in occursum Domini currere et eum suscipere aut[1] *ei blandiri per aliqua verba, neque præparare pro hospite Domino Jesu hospitalia, sicut alias fuit solita, quando Domini adventus fuit hilaris et jocundus. Postquam sic mœsta diu sedissem, auscultans si Dominus aliquid dicere vellet, et dum nil dixisset, anima*[2] *inquieta ac mœsta valde cœpit altisone ad Dominum clamare, aliqualiter blandiri et supplicare, quærens requiem et pacem; sed non invenit illam. Tandem Dominus dixit mihi : Tu semper vis habere saturitatem : qualem ergo vis habere pro me esuriem? Revera tu jam longo tempore post sumptam Eucharistiam non habuisti esuriem veram et magnam pro vita æterna. Mox, hoc dicto, anima cœpit clamare et ego cum anima clamando dicere : Domine dilectissime, ego mallem semper satiata esse de te quam esuriens esse pro te. Et Dominus : Ego ab heri, quando in sacramento suscepisti me, uniformiter permansi in te, conservans te in magno gaudio et satietate. Nunc ergo habe magnam esuriem pro me. Hoc dicto, corpus meum et anima mea magnam habentes esuriem ut haberent in Domino requiem, scilicet corpus in tumulo et anima in cœlo, cœperunt igitur simul habere litigium, cupientes ut inter eas*[3] *fieret divortium, timueruntque valde a serio Domini et turbabantur. Et ait Dominus : Quando anima tua est turbata, tunc omnes vires tuæ, quæ tecum habuerunt gaudium, debent etiam tecum habere laborem magnum. Porro dum siti, esurie et labore affligebar amarius, dixit mihi Dominus : Etiam talia in die Parasceves pro te passus sum : idcirco illa nunc pro me sustine; quippe totum quod tibi facio, hoc facio tibi propter tuum melius, ad animæ tuæ salutem, et ut promovearis citius ad vitam æternam.*

Capitulum XVIII. Sextus veniendi modus complexus.

Alia die, a Spiritu sancto ferventer incensa, qui mihi fuit ante missam confessoris mei pluries missus, flevi tam largiter in supplicationibus et blanditionibus meis, quod non consideravi elevationem hostiæ coram me. Cumque jam fuisset prope horam communionis meæ, jussit me Dominus in faciem procidere et fortiter flendo pro omni defectu christianorum ipsum suppliciter exorare. Ac me orante, totus mundus cum variis defectibus fuit mihi ad præsentiam reductus, inter quos defectus dilectionis Dei et proximi apparuerunt magis magni et communes; avaritiam et luxuriam, superbiam, invidiam et voluptatem carnis vidi in valde multis. Jussa ergo complens ac pro me orans ut Dominus me præpararet ad se, extiti ita plena lacrimis et mœrore, quod ignorabam quomodo me ad suscipiendum sacramentum debite componerem. Porro,

[1] *et G.* — [2] *add.* mea *G.* — [3] *sic.*

sumpto sacramento, Dominus venit celeriter currens, deifice, cum varia caritate; lætitiam et[1] *dulcedinem ac gratitudinem corpori et animæ meæ tribuit et oculis fontem lacrimarum; animaque ex intenso dilectionis fervore clamavit altisone ex sua intimeitate in occursum Domini verba blanditionis amatoriæ varia, inter quæ fuerunt ista : Hospes valde magnificus et alte laudabilis venit ad me. Deditque anima mea blandiendo Domino multa nomina, ut sunt ista : Protector, gubernator, custos, redemptor, salvificator, cognitor, salvator, præceptor, provisor, benefactor meus, etc. Et dixit mihi Dominus : Dic : Domine Jesu Christe, præcipe omnibus viribus meis et sensibus ut tibi soli serviant interius et exterius. Nempe postquam in magno amoris ardore*[2] *inflammata fortiter sudavi et largiter flevi, Dominus fuit valde mihi amicativus : stans supra me*[3] *admonuit me quod continue laborarem blandiendo et flendo in eodem fervore, ut non oporteret eum me*[4] *denuo incendere*[5]. *Ex hac admonitione erumpebant de oculis meis magnæ lacrimæ, et sudor largifluus de corpore. Quippe blanditiones, supplicationes et gratiarum actiones continuavi ultra sex horas, sudando et flendo in eodem fervore et*[6] *magno amoris ardore. Infra quas quoties volui, ut per modicum quiescerem, cessare, Dominus admonens instigavit me prædicta continuare*[7]*; et ut in hoc possem proficere, misit mihi Spiritum sanctum cum infatigabili caritate,* etc.

Capitulum XIX. Septimus veniendi modus complexus.

Alia die, divina caritate a Spiritu sancto inflammata, in orationibus ferventer flens, fui sollicita ne cessaret aut remitteretur in me divinus ardor antequam veniret ad me confessor; desideravi enim confiteri : et ecce, quoties sic sollicita fui, toties a Domino incendebar tam ferventer quod fortiter sudans largiter flevi. Dumque hoc fuisset usque ad finem confessionis meæ continuatum, desiderium meum cum esurie ad habendum Dominum augebatur in tantum, quod esuries spiritualis ita prævaluit quod, meo videre, nisi sacramentum sumpsissem, illa die jejunare non valuissem, quamquam esuries illa non fuerit[8] *originaliter corporis, sed mentis : quæ erat ita anxians me quod mihi taliter*[9] *apparebat; nimirum quia mens anxia in tam valida esurie solet diversa desiderare. Sacramento accepto, Dominus venit valde omnipotenter, deifice, in tam excellenter magnis gaudio, caritate, varigenis*[10] *bonitatibus et multigenis fructibus, quod hoc non solum non valeo exprimere, sed nec intellectu comprehendere. Et hoc etiam Dominus dixit animæ meæ, quæ*[11] *in occursum suum clamavit altisone per varia blanditionis*

[1] *om. G, C.* — [2] (a. a.) *codd.* ardoris amore. — [3] *om. G.* — [4] *om. C.* — [5] intendere *G, C.* — [6] (in-fervore) *ita G, C; om. V.* — [7] continuitate *G.* — [8] fuit *G.* — [9] totaliter *C.* — [10] *add.* gaudiis *G.* — [11] quod *G.*

amatoria verba. Porro cito post sumptionem Eucharistiæ anima mea rapta pervenit ad valde magna gaudia : et hoc solet fieri cito post [1] *Eucharistiæ sumptionem* [2]*, ut frequenter. Nunc autem infra raptum hoc accidit specialiter* [3] *: factus est siquidem ante cor meum clamor magnus et quasi gradientium in bellum tumultus, ex quorum, scilicet clamoris et tumultus, magnitudine anima e raptu rediens clamavit valide optima quæ potuit blanditionis verba, eratque occupata valde* [4] *ut hospites qui cum Domino venerant reverenter susciperet et honorifice tractaret. At ego soli Domino adhærens, corpore* [5] *et anima sursum elevabar, ac si nullo corporali sustentaculo retinerer. Transspexi me tanquam vitrum mundum, et tremui ut* [6] *folium populeum propter nimium gaudium et insolitum Domini adventum. Nempe post blanditionis amabilis verba, dum fuissem confortata, Dominus dixit ad me : Si non acclamassem te, scilicet per clamorem magnum qui factus fuit ante cor tuum, tu a vita excidisses et supervivere* [7] *non valuisses. Sane tu debes te diligenter respicere quando venio ad te magnifice, et te recte sic gerere ac si mox a vita naturali deberes excidere. Quippe hodie Spiritum sanctum meum misi tibi ter, et nunc sum tecum cum Patre et Spiritu sancto, personaliter habens cum eis unam in te operationem, et unam nobis fecimus mansionem. Ecce, nunc vitulus saginatus est occisus, convivium permagnum est instauratum, amici magni pariter et dilecti convenerunt in unum. Amplius : Tu bene percepisti singulis sensibus tuis, animæ et corporis, qualis sit hic tumultus, quale et quantum convivium ac quam magnum gaudium. Si enim in Spiritus sancti missione cum magno sonitu et ingenti tumultu sæpe percepisti et habuisti magnum gaudium et* [8] *jubilum, multo magis jam gaudes ex quo sum* [9] *hic cum Patre et Spiritu sancto et volumus in anima tua et corde tuo facere mansionem.* Et adjunxit sponsa : *Revera, quamvis ego sum indigna, multoties tamen dicta Domini verba in effectu sum experta. Nam multoties post acceptionem Eucharistiæ sacrosanctæ vidi et audivi spiritualiter et corporaliter, secundum utrumque hominem, sonorosum tumultum et exercitum magnum venientem et pulcherrime ornatum, quasi ad nuptias procedentem; sic odoravi suavissimum odorem et sapui dulcissimum saporem cibi delicatissimum et delectabilissimum. Ex his fui delicate refecta et optime satiata, habens in corde jubilum et audiens symphoniam musicorum jocundissimam. Attamen hæc quæ sensi corporis sensibus, percepi per redundantiam ab interioribus animæ sensibus.*

[1] *om. G, C.* — [2] *add.* scilicet *G.* — [3] spiritualiter *G.* — [4] *om. C.* — [5] *om. G.* — [6] tanquam *G.* — [7] *ita G ;* supervenire *V, C.* — [8] (gaudium. Si-gaudium et) *om. C.* — [9] fui *C.*

Capitulum XX. Octavus veniendi modus complexus.

Alia die, sumpto sacramento, dixit mihi Dominus: Ego veni tibi omnipotenter, deifice, fortiter, ditanter, largiter, misericorditer, consolatorie et dulciter cum Patre et Spiritu sancto. Veni etiam ut redemptor, gubernator, custos, illuminator, pater, salvificator, ut te gubernem, custodiam, illuminem, diligam et beatificem. Rursus: Veni ut te mihi placentem efficiam et satiem, ne pro transitoriis esurias aut anheles; veni ut tibi intensum ad æterna tribuam desiderium; veni cum varigenis caritatibus et cum [1] multigenis fructibus et magnis operationibus. Nec tu vales exprimere qualibet vice qualiter venio ad te; immo nec hoc plene vales comprehendere tota tua ratione. Deinceps debes habere pro diversis bonis multiplicem et non [2] unius generis sitim et esuriem, et hoc dumtaxat de adventu meo dicere quod habueris ex consilio meo et informatione. Porro non est putandum quod aliud aut aliter fecerit ei ante; sed hoc est dictum ut Dominus dicta sua authorizaret et sponsam suam a sollicitudine relevaret.

Capitulum XXI. Nonus veniendi modus complexus.

Alia die, cum a raptu gaudio plena rediissem et me erexissem, in me vehementem sensi dolorem, me valde affligentem et graviter infirmantem, in tantum quod [3] non valui aperire ad orandum os meum. Cor meum erat tam ferventer æstuans et totum corpus meum ex ardore tam largiter sudans, quod cœpi fieri quasi amens et nimis esurie spirituali affligi. Ob hoc me ad stratum meum reclinavi, cogitans ex quo non possem orando me præparare, quod vellem sacramento isto die [4] carere. Postquam ergo reclinavi me, Dominus dixit ad me: Velociter surge et præpara te ad suscipiendum me sacramentaliter. Ac [5] ego mox surgens, præ debilitate sine adminiculo stare non potui. Manibus enim me [6] tenui ut potui et ad sedendum me composui, oravique ad me præparandum, tam intensum habens desiderium ad Dominum suscipiendum, quod vix valui exspectare donec accepi sacramentum. Porro quamvis inter hæc amare fuerim cruciata, attamen gaudio eram plena, sciens dolorem non esse ex causa naturali, sed ex causa aliqua spirituali. Sumpto sacramento, Dominus advenit deifice, omnipotenter, ditanter [7], hilariter et cum caritate ferventer ardente, educens largifluas lacrimas; quæ licet præ fervore tanquam flammæ de oculis exiverunt [8], attamen non adurebant, sed lenes et dulces erant, oculos meos non offendentes, sed quasi collyrio optimo perungentes. Verum sensi Dominum omnes vires meas

[1] *om.* *G*, *C*. — [2] ut *C*. — [3] *om.* *G*. — [4] (i. d.) d. illo *G*, *C*. — [5] At *G*, *C*. — [6] *om.* *G*. — [7] ditans *C*. — [8] exiverint *C*.

animæ et corporis pertransire et sua virtute pertransiendo omnia interiora mea et exteriora beneficiare, consolari et lætificari; nihil enim [1] *erat in anima aut corpore quod non fuisset visitatum et pertransitum Domini virtute, quæ omnia suavificabat* [2] *mirifice, fueruntque omnia amplius in me dulcorata quam prius fuerant amaris doloribus afflicta. Denique in dicta Domini visitatione et virium* [3] *mearum pertransitione sensi magnam sanitatem et fortitudinem mihi collatam, nec sensi me aliquid doloris aut infirmitatis habere neque habuisse. Cœpi ergo in illa admirabili Domini beneficentia magnifice admirari. In qua admiratione oriebantur in me, Domino hoc specialiter efficiente, magnæ gratiarum actiones, supplicationes et blanditiones, cum lacrimis valde largis, de quibus dixit Dominus : Ista, scilicet gratitudo, supplicatio et cetera, cum lacrimis, tibi fidele debent testimonium perhibere me operatum fuisse in te beneficia bonitatis meæ jam præmissa ; et quandocumque hæc habueris, non erit necessarium te habere sollicitudinem aut timorem ne* [4] *seducaris per spiritus maligni fraudem. Rursus : Sicut omnes vires* [5] *tuas interiores et exteriores visitavi, affligendo illas magnis doloribus et esurie pro me, sic nunc visito singulas vires tuas lætificando illas et magnifice benefaciendo. Quippe qui non esurit pro me, ille* [6] *non satiatur a me ; et qui non affligitur pro me habendo, ille etiam non sentit dulcorem me suscipiendo. Tu utique debes graves pro me sustinere labores et quasi omnibus viribus tuis furere ut me possis obtinere. Hoc enim paucis hominibus cognitum est et super terram valde rarum : multi siquidem* [7] *vellent me habere* [8]*, sed pauci sunt qui pro me volunt graves labores perferre.*

Capitulum XXII. Decimus veniendi modus complexus.

Alia die, post intensum et afflictivum pro sacramento desiderium, Dominus in susceptione sacramenti advenit deifice, sensibiliter, cum caritatibus valde magnis, scilicet supereffluente, dulci et locupletante. Præ bonorum abundantia mihi recte sic fuit ac si in me fuisset vita æterna, et sic ac si cum Domino Deo unum fuissem. Ebrietas spiritus redundabat in corpus, in tantum quod non valui aperire oculos meos. Dormitabam quodammodo et sopori inserebar ; tenuiter tamen, quia non recte alienabar [9] *a me. Mihi etiam sic erat ex deliciarum plenitudine quibus plena eram et satiata, ac si tota terra esset* [10] *immutata et dulcedine plena; ecclesiæ cantus fuit mihi tam suavisonus ac si in vita æterna a me fuisset auditus.*

[1] ei *G.* — [2] salvificabat *G.* — [3] virtutum *G.* — [4] *ita C;* neque *V, G.* — [5] *om. G.* — [6] illa *C.* — [7] quidem *G.* — [8] *om. G.* — [9] alienabatur *G.* — [10] fuisset *G.*

Capitulum XXIII. Undecimus veniendi modus complexus.

Alia die, Dominus advenit mihi valde omnipotenter, deifice, cum altissima desiderativa caritate; quæ erat tam magnifice desiderativa pro vita æterna, quod similem et tantam prius non cognoveram. Venit cum hoc cum caritatibus novem, scilicet ferventer ardente, infatigabili, insatiabili, vulnerante, scatente, exhilarante, languente, impatiente et desiderativa communi. Porro adventus ille etiam est factus cum celeri cursu, amico colloquio, bona revelatione et multigenis fructibus valde bonis. Dominus in me multiplicem habuit actionem, et ego præ multitudine agendorum nesciebam quid primo foret agendum : quælibet enim caritatum inclinabat ad suum actum. Idcirco fui valde inquieta et actionibus plena, quamvis fuerim etiam gaudiosa.

Capitulum XXIV. Duodecimus veniendi modus complexus.

Alia die, cum largas effudi lacrimas, in magno gaudio sedens, dixit mihi Dominus : Istas lacrimas hausisti de vitæ æternæ fluminibus hac nocte, dum in raptu puer juvenis et delicatus fuit oblatus, cum quo jocundis lusisti lusibus. Porro ego præparavi mihi aulam talem qualem libenter volo inhabitare. Est enim sic armata a me quod nullus audet te offendere nec aliquis audet tibi nocere neque præsumit quispiam te aggredi. Hoc dicto, propter intensum desiderium cum difficultate exspectavi sacramentum. In ejus sumptione Dominus venit mihi valde amice et consolatorie, locupletanter et celeriter, currens cum tam magno gaudio quod anima non valuit clamare aliquid, occurrendo Domino, nec aliqua præparare hospitalia ad hospitem dignissimum suscipiendum. Et ecce Dominus præ nimia amicabilitate non potuit se continere, sed mox ruebat in amplexus animæ, uniens sibi animam intime. In mutuis vero amplexibus et unione Dominus et anima habebant tam varia agere, quod hoc nullo modo sufficio exprimere. Dixit autem mihi Dominus valde amicative : Si tu pluribus indigeres aut plus super terram habere deberes, ego vellem tibi tribuere et nullatenus negare. His dictis, sentiens vidi Dominum se mihi exhibere ita amicative, recte sicut homo diceret homini præ nimio amore : Si manibus meis infra te positis valerem te gestare, ego libenter vellem hoc opere adimplere. Quippe per hæc perveni ad magnam vitæ æternæ certitudinem, ingentem habens spem me cito morituram et mox post mortem vitam perennem habituram. Nota quod hoc sentimentum præcessit ejus mortem bene per dimidium annum.

Capitulum XXV. Tertiusdecimus veniendi modus complexus.

Alia die, anima et spiritu me[1] *a se invicem absolvi desiderantibus et inter se pro separatione conantibus, flevi fortiter, valde*[2] *intensum habens desiderium usque ad exinanitionem virium ut susciperem sacramentum*[3]. *Quo accepto, Dominus venit cum desiderio ineffabiliter intenso et esurie nimis valida pro vita æterna. Et hæc quamvis fuerint ita*[4] *excellentia, attamen per aliquantulam moram in oratione transeuntem fuerunt plus majorata*[5]. *In quibus inconsolabiliter flevi, cupiens dissolvi et esse cum Christo. Qui exteriores sensus meos claudens, interiores aperuit et animam meam magnifice illuminavit. Quo facto, anima vidit in spiritu Dominum Jesum sanguinolentum, vulneribus plenum et ita magnum prout in cruce pependit. Et hoc idcirco actum fuit, quia modicum ante hoc anima mœsta cogitavit : Quia Dominus venit ad me ita parvus quemadmodum erat quando fuit natus, ob hoc oportet me desiderium tam intensum et esuriem tam validam habere ad æternitatem. Mihi ergo ex hac visione passionis Dominicæ lacrimanti uberius quam prius, dixit mihi Dominus : Ego non veni ad te parvus, sed pauper et magnus, talis siquidem et tantus qualis et quantus fui quando in cruce pependi, habens corpus variis tormentis attritum, exinanitum totaliter et consumptum*[6], *tunc videlicet quando jam ultimum volui efflare spiritum; et ego, quia animæ tuæ viam*[7] *ad vitam revelavi æternam manifestius quam prius, ob hoc anima non permittit carnem tuam aliquando habere quietem*[8], *nisi ad cultum meum simpliciter necessariam. His dictis fui consolata et Domino Jesu intime compassa, qui mihi ita præsens cum sua passione amara permanserat, sicut multoties in die Parasceves se mihi ostenderat.*

Capitulum XXVI. Quartusdecimus veniendi modus complexus.

Alia die, dum anima mea post sumptionem Eucharistiæ in abyssum divinitatis dimersisset se profunde et univisset intime, Dominus ei per diem multigena bonitatis suæ beneficia impendit et varia revelavit, sicuti mihi indignæ frequenter fecit; inter quæ multa sunt mihi ineffabilia. Mihi quidem cibum corporis accipere volenti, ex magno cordis jubilo oblita fui, et flexis genibus per horam unam me nesciens ex deliciis absorpta circa mensulam meam remansi, infra quam Dominus animæ meæ susurrando multa dixit, quæ in fine horæ per hoc dictum

[1] *sic.* — [2] *om. G, C.* — [3] *om. C.* — [4] (f. i.) ita fuerunt *G, C.* — [5] majora *G.* — [6] *in marg. V:* gar (*om. C*) vorqwelt (vorquelt *G*, vorqwest *C*), vornicht und (onde *C*) vorczert. — [7] *om. C.* — [8] requiem *G, C.*

"Sic est" etiam[1] distincte patefecit. At ego, sentiens me inæstimabiliter magnifice[2] beneficiatam, remoto cibo de quo valde modicum acceperam, mox corrui in faciem, ut gratias agerem et revelata repeterem. Et dixit mihi Dominus : Dic ad C[onfessarium] tuum : Dominus fecit mihi quoddam novum. Mihi enim[3] in mensa sic erat, quasi Dominus de sursum mihi cibum misisset; circa quem sedens fui magnifice beneficiata et sum valde ebria et dives effecta. Nec apparet mihi quod unquam fuerim taliter disposita ex cibo corporali, neque videtur mihi quod ex cibo et potu corporalibus[4] sim effecta tam jubilosa interius; sed mihi videtur directe quod sim refocillata cibo et potu spiritualibus in veritate. Addiditque Dominus, dicens : Ego modis varigenis soleo tibi advenire et bona specialia[5] facere quæ ignoras. Et etiam istos modos exprimere non vales. Ecce nunc volo tibi triplicem modum patefacere quo tibi soleo sacramentaliter et spiritualiter advenire. Primus est, quando advenio[6] tibi sicut puer parvulus, prout fui primo natus. Secundus est, quando advenio tibi sicut vir ætate et quantitate perfectus, et tantus quantus fui quando super asinam sedens Hierosolymam[7] fui ingressus. Tertius est, quando advenio tibi cum magna omnipotentia de vita æterna. Sane oportet me utique tibi taliter advenire quod cognoscas te esse miseram et pauperem hominem, me vero magnum et habentem potestatem omnipotentem[8], et habentem[9] potestatem agendi sicut volo, ac etiam habentem potentiam veniendi sicut volo. Quippe anima tua, sponsa mea, quando eam a raptu redire permitto, tunc statim bene cognoscit et oculis suis clare perspicit quali modo ei advenire propono; et quamvis hoc ita sit, tu tamen adhuc nunquam fuisti ausa hoc dicere, te scilicet adventus mei qualitatem præcognoscere, nisi quando jussi te et extitit de beneplacito voluntatis meæ. Porro[10], quando sicut puer parvulus tibi advenire volo, tunc animæ tuæ parva gratiæ munera præmitto; quæ hoc sentiens flendo et intense desiderando clamat ad me, supplicans quod velim venire magnifice. Nimirum; nam me per nativitatem ingrediente mundum oportuit me flendo clamare, non propter meam sed propter tuam miseriam[11] : ob hoc etiam merito flendo clamas propter[12] tuam miseriam propriam ac indigentiam. Me autem sicut puer parvulus adveniente, tunc in animam tuam repono me ita parvulum sicut natus in mundum fui reclinatus ad præsepium. Tunc enim fui puer pauper et modicus; loqui tamen bene scivissem, si voluissem : sic in[13] adventu meo tali, licet sentias me tibi præsentem, ego tamen permitto te pauperem, et modicum loquens tecum permitto te mundum in spiritu contemplando percurrere, ut possis cognoscere

[1] (S. e. e.) *codd.* sic etiam illud. — [2] *om. G, C.* — [3] *om. C.* — [4] (c. et p. c.) c. corporali et p. *G.* — [5] spiritualia *G, C.* — [6] venio *G.* — [7] in Jerusalem *G.* — [8] (omnip.-potestatem) *om. G.* — [9] (hab.-etiam) *deest in C.* — [10] De primo modo *add. in marg. C.* — [11] (ob-miseriam) *om. G.* — [12] (propter-miseriam) *om. C.* — [13] *om. C.*

miseriam et afflictionem spiritus ibi esse. Mundo contemplato cum mœstitia, soleo trahere animam tuam ad æternæ vitæ gaudia. Quibus contemplatis, traho te tam valide ad illa, tribuens tibi tam intensum desiderium, ut possis veraciter perpendere vitam æternam esse bonum optimum valeasque facietenus ac perfecte te ad æterna convertere, dorsum vero tuum ad transitoria faciliter peritura. — Rursus [1] : *Me tibi veniente ut vir perfectus, super asinam, in virili statura, tunc beneficio animam tuam, sponsam meam, magnificentius quam feci prius, specialiter illustrando eam clarius, ita quod* [2] *ex illustratione posset* [3] *me et se luculentius cognoscere, meam permagnam perfectionem et suam ingentem imperfectionem. Nam ego permitto eam contemplari meam multiplicem bonitatem, et qualiter conversatus fuerim super terram, vitam agens imitabilem; et cum hoc doceo eam sectari humilitatem, mansuetudinem et pietatem. Hæc me faciente, ipsa posset bene vias vitæ rectas a me discere, qualiter posset me imitari et se circa me meliorare. Posset etiam de me bene fieri sapiens et seriosa; nimirum quia ego ostendo tunc me animæ tuæ, sponsæ meæ, cum tam seriosa facie, prout me Judæis ostendi, quando in die Palmarum eos qui reprehensibiles erant expuli* [4] *de templo. Sermo quoque meus licet sit cum anima seriosus, est tamen suavis et amicativus.* Amplius : *Hoc modo secundo advenio ita seriosus, humilis, mansuetus et propitius, ingrediens animam sicut super* [5] *asinam sedens ingressus fui Hierosolymam usque ad templum. Postquam autem animam intravero et illam mihi univero, tunc me in illa magnificans efficior ei valde seriosus, rigorosus et justus, premoque eam tam graviter quod ex hoc bene posset* [6] *cognoscere tam meum rigorem quam justitiam.* Postremo : *Quando illo modo a te recedo, tunc te mecum ad vitam æternam vehementius quam prius traho, permittens te vitæ æternæ gaudia clarius quam antea contemplari. Post hæc Domini dicta,* inquit sponsa, *ego luculenter illustrata vidi qualiter Dominus in asina* [7] *vadens usque ad templum habuit valde magnam tam mansuetudinem quam humilitatem; et permansit hæc visio usque in* [8] *diem sextum mihi præsens, plena et illæsa. Nempe Dominus solet mihi venire hoc modo, quando magnificat uterum meum adventu suo usque ad quantitatem fetus vividi et plenarie formati.* — *Tertio modo* [9], *quo venire soleo cum omnipotentia mea de vita æterna, in illo præmitto antequam venio animæ tuæ, sponsæ meæ, larga munera gratiæ, ditanter eam beneficians, ferventer incendens et luculenter illuminans, præmittoque ad ipsam solemnem nuntium Spiritum sanctum meum, ut eam præparet et ipsa in hoc cognoscere valeat quod velim magnifice venire. Ego etiam meipsum præparo cum cœlestis curiæ meæ*

[1] Secundus modus *in marg. C.* — [2] ut *G.* — [3] *om. G.* — [4] expulsi *C.* — [5] *ita G, C;* supra *V.* — [6] possent *C.* — [7] *ita C;* anima *V, G.* — [8] ad *G.* — [9] Tertius modus *in marg. C.*

exercitu ad veniendum gloriose cum magna omnipotentia, gloria et honore. Quando autem venio illo modo tertio, tunc advenio animæ tuæ tam suaviter te suavificans, tam ditanter te ditans, tam consolatorie te consolans, tam amicative me exhibens in valde magna caritate et tam excellenter te lætificans, quod non æstimas aliud esse nisi vitam æternam. Revera, si qualibet vice tibi taliter advenirem, tu nullam scires esse[1] *miseriam super terram, nec tu posses præ abundantia gaudii et bonorum quibus abundares miserias hominum et defectus cognoscere, videlicet eorum sitim, esuriem,*[2] *æstum, frigiditatem, fatigationem, ægritudinem et consimiles miserias ac defectus.* Etiam : S*i tibi in beneficentia*[3] *tali semper uniformiter adessem, tu non posses pro vita æterna habere intensum desiderium, magnam sitim aut esuriem.* — *Hæc,* inquit sponsa, *infra horam supradictam Dominus cum anima mea susurravit, et post horam per illa verba " Sic est „ illud distincte revelavit, faciens me scire quæ in susurrio non valui intelligere. Consequenter toto sero jubilans cum Domino jocundabar.* Præterea est sciendum quod aliqua hujus venerabilis sacramenti sentimenta bene notabilia et hic scriptis majora, sunt alibi scripta, videlicet in libro Vitæ sponsæ, lib. VI, Cap. XIV, XVII, XX, XXI et XXII. In libro de Festis, videlicet in diebus carnisprivii, Joannis evangelistæ, profesto nativitatis beatissimæ Virginis, festo præsentationis ejusdem et Michaelis. Nec est putandum quod æque qualibet vice Dominus venerit, quamvis qualibet vice magnificentius venerit quam sponsa expressit. Unde Dominus ei dixit : *Non potest amicus ad amicum omni tempore æque magnifice venire, prout heri ad te veni. Nam, si hoc fieret, cito bona amici consumeret quæ haberet.*

Capitulum XXVII. De gratiarum actione et de aliquibus verbis in anima sponsæ ortis, consummata Christi et animæ unione.

Dominus Jesus per sacramentum in animam sponsæ veniens ejus voluntatem et desiderium intraxit, et illa se in abyssum divinitatis profunde immersit et divinam similitudinem induit, sicut cera sigillo funditus immersa sigilli[4] characterem suscipit, et sicut aquæ stilla vino infusa aquæ saporem, colorem et odorem amittit et in vinum transit, ac etiam sicut ferrum ignitum igni fit simillimum, quasi sit a natura sua exutum. Sic in hac sponsa fiebat, quæ, igne divino liquefacta, in divinam transformata est imaginem ac similitudinem per intimam unionem post Eucharistiæ sumptionem. Porro: Ut[5] frequenter, anima sponsæ, quousque fuit Domino intime conjuncta,

[1] rem *G.* — [2] et *add. G.* — [3] beneficientia *V.* — [4] *add.* scilicet *G.* — [5] ac *G.*

dixit aliqua [1] blanditionis amatoriæ dulcissima verba; copula vero intime peracta, oriebantur ut frequenter supplicationes et gratiarum actiones suavissimæ et delectabiles valde. Solebant etiam propter nimia caritatis incendia in unione illa Domini cum anima cessare oris verba et oriri in ea varii cogitatus devoti et breves, videlicet tales : *Puer natus est nobis et filius datus est nobis; nomen ejus est Jesus Christus, et ipse est de Virgine natus.* Item : *O Deus, tu puer parve, quam bonus es tu!* Item : *O omnipotens, æterne Fili Dei, quam magnus es tu in omnipotentia tua!* Item : *Ille est suavissimus cibus, sanctissimus, alte dignissimus et optimus quem super terram ad te vales suscipere.* Item : *Omnipotens, æterne Deus, benedicte, dulcis fili Dei, Jesu Christe, concede mihi bene tecum vivere.* Item : *O tu, amantissime puerule, o tu, beatissime puerule, o tu, sanctissime puerule* [2], *concede mihi quod in extremis meis sis cibus animæ meæ.* Item : *Jesu Christe, dilectissime* [3] *mi Domine, in animam meam te merge* [4]. *Jesu Christe, tu optime, qui te habet in corde, bonos hospites dinoscitur habere.* Item : *Omnipotens* [5], *digne unigenite fili Dei, quomodo est gratia tua et caritas tam magna!* Item : *Omnipotens Domine, permane mecum; alte laudabilis Domine, permane mecum!* Item : *O omnipotens, æterne fili Dei, permane mecum; non permittas me exulem neque tristem, sed* [6] *permane mecum die noctuque.* Item : *O omnipotens, æterne, dulcis Domine Jesu Christe, permane mecum et fac magnum in anima mea convivium.* Item : *Ad me venit magnus hospes et alte dignus; idcirco, Domine, ordina omnes vires meas interiores et exteriores ut tibi serviant diligenter.* Item : *Domine dilecte, omnibus virtutibus vesti me et infunde gratiam tuam in me prævenientem, concomitantem, et da subsequentem. Da mihi quatuor virtutes cardinales et tres theologicales* [7]. Item : *Domine Jesu Christe, ciba et refocilla me; anima enim mea ferventer esurit et sitit pro te.* Item [8] : *Dilecte Domine Jesu Christe, cum rore cœlesti benedic me, cum pinguedine terræ benedic me, cum benedictione Spiritus sancti benedic me.* Item aliqua verba Dominus jussit sponsam dicere pro gratiarum actione, talia videlicet et similia [9] : *Dilectissime mi Domine, pro immensa pietate tua quam mihi facis, sis laudatus et veneratus millesies, mille millesies, quod tam gratiose dignatus es ad me venire. Ego regratior tibi pro omni bono quod tu es et quod* [10] *tu summum bonum es.* Cui Dominus sic regratianti dixit: *Si valeres* [11] *mihi in tantum regratiari quantum Mater mea dilecta et omnes beati in vita æterna, adhuc tu non posses mihi condigne regratiari. Ecce, nunc vales cognoscere quod ego sum omne gaudium*

[1] aliquando *G.* — [2] (o tu s. p.) *deest in C.* — [3] dulcissime *G.* — [4] ingere *G.* — [5] O omnip. *C.* — [6] *om. G.* — [7] theologicas *G.* — [8] *om. C.* — [9] *add.* verba *G.* — [10] *om. G.* — [11] vales *G, C.*

tuum, omnis consolatio tua et omnis confortatio tua. Dic ergo : Domine Jesu Christe, tu es virtus salutis meæ et totius felicitatis meæ. Ego regratior tibi pro omni bonitate tua quam mihi impendisti. Ecce, aliqualiter patet per præmissa, quod divinæ præsentiæ familiaritas huic [1] sponsæ frequenter sit indulta in hoc sacramento non uno modo sed modis multifariis, licet ipse Dominus sit in se unus, simplex et uniformis. Unde ejus exhibitio aliquando fuit amica et blanda, aliquando seriosa et austera, aliquando familiaris, hilaris et jocunda, et tanto suavior quanto erat spiritualior. Tanto enim erat intimior et per consequens certior, quanto [2] omnes creaturæ disparuerunt et sensus animæ interius aperti fuerunt. Dominusque locutus fuit tunc animæ non per verbum exterius sonans, sed interiora penetrans; nec per formam imaginariam se ostendit, prout alias aliquando fecit, sed sine omni effigie se præsentavit animæ, cujus faciem lætificavit cœlesti munere, et variavit gustum [3] suæ præsentiæ persuavem juxta suam dignationem et desideriorum animæ qualitatem. Modo ergo differenti et non uniformi per hoc venerabile sacramentum Dominus Jesus oblectavit animæ palatum [4]; cui sit honor et gloria per secula infinita. Amen.

Explicit tractatus tertius, de sacramento Eucharistiæ [5].

[1] fuit *G, C.* — [2] *ita videtur leg.; codd.* quando. — [3] *ita C;* gustu *V, G.* — [4] palatium *G, C.* — [5] Euchar. *deest in V; add. ex G.*

VITA
SANCTI VULMARI
ABBATIS
IN DIŒCESI MORINENSI IN GALLIA.

Quam hic proferimus Vitam S. Vulmari, reperimus in codice bibliothecæ regiæ Bruxellensis 18018, olim cœnobii S. Petri Laubiensis, qui exaratus est seculo XI. Mire concordat, quod ad seriem rerum descriptarum pertinet, cum Vita quam ex aliis codicibus ediderunt Mabillonius (1) et Cuperus (2), nisi quod hæc in posteriori parte uberior est; sed quum res eædem et eodem omnino ordine in utraque referantur, diversis tamen verbis narratio concepta est. Unde pronum est concludere alteram ex altera derivatam esse; quumque textus codicis Laubiensis in fine brevior sit et paulo politior sermo, hunc ex edito contractum facile aliquis arbitretur. Attamen et ipse simplicitate sua se valde commendat, neque ex hac parte alteri postponendus, immo et forte præponendus videri potest, ac præterea nonnulla continet quæ ex edito certe non hausit. Itaque et haud absurde conjicere licet, ni fallor, utrumque ex communi aliquo exemplari prodiise.

Quidquid sit de ea re, a ratione operis nostri sane alienum non est, quin et illi maxime congruum, ut hanc alteram recensionem Vitæ S. Vulmari exhibeamus, quum præsertim, ut jam monuimus, nonnulla in ea legantur quæ in Vita edita frustra requiras. Imprimis nimirum diserte indicatur (3) dies obitus sancti nostri fuisse *XIII kal. Augusti;* quæ indicatio apud Mabillonium et Cuperum omnino non legitur, sed tantummodo significatur in relatione miraculorum (4) ejus festivitas illa die celebrari. Præterea refertur in hoc altero textu (5) S. Vulmarum cum *benedictione beati Autberti episcopi,* Cameracensis utique, ex Altimontensi cœnobio in eremum demigrasse, et postea (6) *benedictione venerandi viri, tunc temporis Morinorum urbis episcopi, Fulcuini* ecclesiam construxisse. Quæ nisi temerario et nulla auctoritate ab anonymo scriptore adjecta fuisse opineris, habemus inde S. Vulmarum ex Altimontensi monasterio ad tractum

(1) *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. I, p. 234. — (2) *Act. SS.*, ad d. 20 Julii, tom. V, p. 84. — (3) Num. 9. — (4) *Act. SS.*, tom. cit., p. 88, n. 23. — (5) Num. 6. — (6) Ibid., extr.

Bononiensem recessisse ante annum 667 vel 669, quo anno S. Vindicianus S. Autberto in sede Cameracensi successerat (1): quod utique chronotaxi a Malbranco propositæ (2) non contradicit. Habemus etiam circa idem tempus in Morinorum civitate episcopum sedisse nomine Folcuinum: quem quidem seculo VII hucusque nulla documenta memorarunt; sed series episcoporum illius sedis seculo VII adeo incerta est et hiulca (3) ut facile Folcuino illi locus reperiri valeat. Denique et certius jam ex textu nostro statuere licet, quod Cupero videbatur dubium, ecclesiam scilicet in pago Mempisco a Vulmaro conditam, fuisse *monasterium* (4).

VITA SANCTI VULMARI ABBATIS XIII KL. AUGUSTI.

1. Temporibus Dagoberti, Francorum regis inclyti, huic exteriori Galliæ parti veneranter refulsit Vulmarus, Domini confessor et abbas. Qui non longe a littore maris, in pago Boloniensi, in villa quæ dicitur Silviacus, natus atque altus patre Vulberto, matre vero nomine Duda, secundum seculi dignitatem nobili prosapia, sed, quod est nobilius, ex christiani nominis professione inclyta atque gloriosa. Ergo cum jam pueritiæ annos excedens pubescentis ævi primordia cœpisset contingere, non sua voluntate sed parentum suorum nobilitate coactus est uxorem ducere quæ jam tradita erat cuidam legali desponsatione. Sed quia existebat minoris potentiæ neque ex æquo facile illis poterat resistere, regem super hoc studuit adire, quatenus ejus auctoritate illam mereretur recipere. Vulmarus vero, nolens infamiam tam vilis factionis apud Deum et apud homines sibi acquirere, quod suum non erat neque ut esset volebat, dimisit alteri habere, manifeste demonstrans plus se Deum quam regem nolle offendere.

2. Postquam ergo Deo inspirante reliquit conjugium, recto tramite petiit monasterium in pago Hainonensi situm, cui Altus mons inerat vocabulum. Quo deveniens, post difficillimas a fratribus sibi illatas objectiones secundum morem regulæ, tandem susceptus est a patre monasterii libentissime. Cujus obedientiam statim sic voluit comprobare: curam boum

(1) *Gall. Christ.*, tom. III, p. 7. — (2) Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 81, n. 8. — (3) *Cfr. Gall. Christ.*, tom. X, p. 1529-31; E. van Drival, *Histoire des évêques de Boulogne* (Boulogne 1852), p. 35 sqq. — (4) Num. 7 init.; cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 81, n. 4.

illi præcepit agere, et ut ligna variis fratrum usibus pernecessaria nunquam deessent omnimodis satagere. Sed quam benedictus Deus! Oblitus propriæ hereditatis, oblitus gloriæ paternæ dignitatis, labori tanto se subdidit humillime. Exhibebat in omnibus mansuetudinem et, quæ totius boni fons et mater est, liberalissimam caritatem. Omnibus erat omnia factus, atque inter domesticas curas obedientiæ sibi injunctas tentabat pro posse studiosius scholas frequentare et litteris animum gratanter intendere. Postulavit sibi conscribi alfabetum, quoniam adhuc illi erat incognitum.

3. Quadam namque die, dum more consueto ad silvam pergeret cum vehiculo, contigit ut ferret in manu sua tabulam litteris conscriptam a magistro. Quo cum intenderet avidissime, et iccirco animalibus correctio stimuli parumper defuisset in itinere, æstimabat enim illa se sequi citissime, eminus subito respiciens vidit illa fixo gradu subsistere seque ab illis non parvo spatio abjunctum esse. Cujus negligentiæ incommoditate perculsus et in semetipso verecundiæ rubore perfusus, cum festinatione repedavit ubi inutiliter remanserat currus, et quod inchoaverat pulchro labore emendando, ut erat suavissimæ mentis, perconsummavit opus.

4. Factum est ergo, sicut Dominus dicit: *Nemo lucernam accendens in abscondito ponit neque sub modio, sed super candelabrum*, quatenus fama pervolans ad præsentiam patris monasterii perduceret tantæ suavitatis et innocentiæ virum. Quo accersito, blandis cœpit allocutionibus rogare illum ut habitum monasterialem susciperet, et a memorata sibi injuncta obedientia dignaretur quiescere paululum, quatenus liberius litteris potuisset accommodare animum. Cujus jussioni quasi a Deo sibi offerretur aggaudens, tunc primitus ab ipso clericus effectus est, omnibus quoniam dignus esset id simul acclamantibus.

5. Erat enim moribus suavissimus, animo pacificus, vultu angelicus, corde piissimus. Gerebat in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, in humilitate modestiam. Quiescentibus fratribus nocturno tempore ista illi consuetudo erat assidue, silenter videlicet omnium calceamenta accipere

et ad abluendum deferre, a se vero purgata diligentissime iterum singulis singula restituere. Cumque id operis indesinenter exerceret, et quis hoc faceret omnes prorsus lateret, consilio inito elegerunt inter se qui hoc abbati notificaret. Abbas vero hæc audiens et diligentius probare cupiens, quadam nocte suos posuit calceos, purgatione ipsorum et ipse indigens. Cumque Dei famulus ad stratum ipsius accessisset nocturnæ quietis silentio, ut ipsos purgaturus acciperet, pater monasterii manum ipsius arripuit subito, quis esset interrogans bis atque tertio. Cernens vero quia esset deprehensus, summis respondit labiis : *Ego sum Vulmarus, filius tuus.* Tum ille : *Fac,* inquit, *fili mi, quod vis; et cave ne quando sit manus tua vacua lampade bonæ operationis.* Perstitit itaque egregius Christi miles in agone certaminis, quod ad hoc usque protelavit ut gradum sacerdotalis officii mereretur conscendere.

6. Sed dum vir Domini hinc se videret plus solito ab omnibus honorari, licet cum nimio dolore et contra voluntatem omnium, licentia tamen abbatis sui atque benedictione beati Autberti episcopi, secretum petiit heremi. Egressus itaque de monasterio divertit in pagum Mempiscum, ubi erat immanis silva et maxima solitudo tunc temporis. In quam ingressus, arborem cavam reperit, ubi tribus diebus ac noctibus neminem videns neque [cibum omni]no sumens, soli Deo tantum cognitus mansit. Deus vero manum misericordiæ non diutius ab eo suspendit, sed cuidam per angelum suum mandavit, dicens : *Surge, et quæ ad refectionem sunt necessaria sumens, in illam heremum defer servo meo, qui non habens quod manducet sustinet me ecce jam triduo.* Qui statim exiliens, ascenso equo, pervenit ad virum Dei cum necessariis quæ sibi paraverat. Vir autem Domini intellexit statim munere divino quia non esset hominis, sed miserentis Dei hujus humanitatis ministratio : et pariter sumpserunt cibum, exultantes in Domino. Postquam vero epulati sunt, volens vir bonus suis ex reditibus pro remedio suæ animæ aliquid caritatis impendere beato Vulmaro, dixit ad illum : *Quia, ut video, tibi desiderio est Deo velle servire, veni mecum, et tribuam tibi partem hereditatis meæ, ubi cellam ejus cultui aptam possis ædificare.*

Quod se facere vir sanctus primitus renuit; sed illo in precibus persistente, tandem compulsus ejus desiderio satisfecit. Surgens ergo cum eo ivit, et ille ei quæ spoponderat cuncta legali auctoritate deliberavit. Congruum ei locum ad habitandum designavit, ubi ex largitionibus fidelium, assensu tamen et benedictione venerandi viri, tunc temporis Morinorum urbis episcopi, Fulcuini, ecclesiam construxit, et in eodem loco plurimos ad Dei cultum suæ humilitatis exemplo convertit.

7. Et ordinato monasterio pro arbitrio suæ voluntatis, iterum latenter inde egressus, divertit in partibus occiduis, cujusdam silvæ inibi secretiora captans, non plus miliario sejunctæ a villa in qua nativitatis sumpserat exordium. Inibi ergo struxit sibi tugurium, ubi non parvi temporis percomplevit spatium, serviens Deo vigiliis et jejuniis. Contigit vero ut per memoratam silvam ejus germanus iter faceret, Gualmarus nomine, capturis ferarum operam dans; reperitque eum ante tugurium, labori manuum intentum. Ignorans tamen suum esse germanum, ejus studio compatiens dixit ad illum : *Quis es tu, aut unde venis? Vel cur tam gravi labore consumeris?* Heremita vero Christi respondit ei : *Noveris Vulmarum, germanum tuum, me esse.* Illa vero ubi sanctus morabatur heremi vastitas ejus erat propria h[eredita]s : ideo licet alios agnoscens, semper manebat incognitus, quia hispido monachi habitu erat immutatus. Quibus auditis, frater in ejus amplexibus ruens flevit diutius. Satiatus tandem de eo, dixit ad illum : *Scis, frater, quomodo tua subita et insperata conversione reliqueris matrem tuam omnemque familiam plenos gravi mæstitudine? Sed, quæso, descendamus pariter ad domum illius, ut ex tua visione illi atque omni familiæ sit dies festus, quibus a die egressionis tuæ semper extitit dies amarus. Ne,* inquit beatus Vulmarus, *talia dicas, neque ponas offendiculum animæ meæ. Hoc solum pignus vestri amoris mihi concedite, illud solatii causa amoris Dei impendite, ut quantulamcumque alimoniæ sustentationem tempore opportuno dignemini subministrare.*

8. Illo quoque tempore construxit ecclesiam vir Dei in eadem heremo beatæ Dei genitricis Mariæ et beati Petri apo-

stolorum principis, ubi certatim undique sexus cœperunt confluere, viri simul et feminæ. Ergo per dies desudans in tali opere, cernensque pondus operis vires suas excedere, ancillis Dei abbatissam præfecit neptem suam, Deo per omnia dignam, Herembertam nomine. Quidquid vero huic sexui erant necessaria, sollicita prævidebat cura. Ipse vero tanta devotione se subdidit fratrum servitio ut omnia quæ habere poterat ad ipsum locum deliberaret. In tantum autem excrevit, ut usque hodie in memoria ibi refulgeat grex in commune viventium monachorum.

9. Sunt præterea et alia beati viri opera digna relatu et dulci memoria, quæ pro fastidio legentium relevando ad finem festinans nostra supprimit pagina. Postquam ergo beatus Vulmarus duros corporis labores pro Dei amore patienter toleravit, tactus infirmitate, convocatis carissimis filiis suis dixit : *Amodo sine me in hoc mundo eritis. Sed mementote, quæso, admonitionum mearum, et cogitate qualiter vos sanctos et immaculatos Deo reconsignare possitis.* Hæc audientes, nullo modo se poterant a lacrimis temperare. Sed superveniente nocte, XIII videlicet kl. Augusti, cum modicus adhuc calor teperet in pectore, dulcissimas Deo gratias retulit ; sicque inter verba piæ confessionis spiritum emisit, in suo cœnobio et propria hereditate post sepultus.

INDEX CODICUM

QUI IN HOC TOMO ADHIBITI SUNT AUT CITATI.

INDEX SANCTORUM

de quibus

DOCUMENTA IN HOC TOMO EDITA SUNT

VEL SALTEM IN CATALOGO NOSTRO GANDAVENSI RECENSITA.

N. B. — Sancti quorum nomine inscribuntur documenta in corpore hujus voluminis, indicantur litteris capitalibus minoribus, v. g. Agnofleda.

Sancti circa quos aliquid editum est in corpore Catalogi hagiographici Gandavensis, designantur charactere italico, v. g. *Amandus*.

Reliqua omnia eorum Sanctorum sunt, qui solummodo recensiti sunt in Catalogo Gandavensi.

(Numeri paginas indicant.)

INDEX SANCTORUM

QUORUM ACTA RECENSITA SUNT

ET ETIAM ALIQUA SUBINDE EX IIS EDITA

IN PARTE CATALOGI HAGIOGRAPHICI

BIBLIOTHECÆ REGIÆ BRUXELLENSIS

HUIC TOMO ANNEXA.

N. B. — Sancti circa quos aliquid hic editum est, designantur charactere italico, v. g. *Abbacuc*.

Reliqua nomina eorum Sanctorum sunt qui solummodo recensiti sunt in Catalogo.

INDEX GENERALIS

HUJUS TOMI.

Bruxellis. — Typis POLLEUNIS, CEUTERICK & LEFÉBURE.

Date Due


3 0000 108 511 118

